Examen omnium simplicium medicamentorum, quorum in officinis usus est / Addita sunt insuper Aristotelis Problemata quae ad stirpium genus, et oleracea pertinent.

Contributors

Brasavola, A. M. (Antonio Musa), 1500-1555

Publication/Creation

Lyons : J. Barbous for J. & F. Frellaeus, 1537.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/avf3kgxa

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org



Unable to display this page



A. CLOSS

L x
16/b
1045
c 2/2
16818
9

Unable to display this page

Unable to display this page

Reuerendiſsimo,

PRIMO ARCHIDIACONO
Epiſcopi Ferrarienſis, ac Lugdunenſis Ar=
chiepiſcopi Vicario digniſsimo, ALPHONSO CISTARELLO,
IOANNES ARGENTERIVS Haſtenſis, Medicus S. P. D.

CVM multa eſſent, aut potius omnia, in medicina ab antiquis autoribus Græcis & Latinis bene explicata, à nobis nõdum ſatis cognita: tum in primis perdifficile fuit noſtris temporibus accommodare quæ illi de alimentis medicamẽtisq;, magno eorum labore, magnaq; mortalium omniũ utilitate prodiderunt, ALPHONSE Vicarie digniſsime. Siue enim quòd bonis in hac arte autoribus, ut in alijs omnibus hactenus contemptis, medici qui nos iam per multos annos præceſſerunt, ab incultis barbarisq; quibuſdam ſcriptoribus ea mutuauerint: ſiue quòd illi etiam in quæſtiunculis ac nugis tractandis diligentiores, id quod eorum arti proprium erat omniumq; utiliſsimum (nullo ut fortè putabant humani generis periculo) idiotis, ad ſummumq; indoctis hominibus, uel plebi etiam curandum reliquerint: ſiue aliter factum ſue

rit (non enim in hoc magnopere laboro) ad tantam obſcuritatem, tantosq; errores peruenieramus, ut cũ omnia confuſa eſſent & deprauata, nihil penè etiam ex ueterũ remedijs amplius extaret, quod mortalibus magno uſui eſſe poſſet. Quam ob rem plurimum illis debemus, non minus certe quàm inuẽtoribus, qui huic rei propemodũ deperditæ ſuppetias tulerunt, ac tanto uehemẽtius ei patrocinati ſunt, quanto negligentius ab alijs cõtempta fuerat. Tanta enim fuit noſtro hoc ſeculo uirorum doctorũ in hac parte reſtituenda honeſta contentio, ut dum alij in uertendis Græcis, unde potißimum illa emanarũt, alij in refellendis falſis opinionibus, alij in rei hiſtoria explicanda laborauerint, pauca iam ſuperſint quæ ſuos autores non agnoſcant, nosq; fallere poßint. Veruntamen in tanta rerũ ueluti luce aliquid deſiderabatur, licebatq; id adhuc admirari, quòd omnes qui hanc medicinæ partem illuſtrandam ſuſceperunt, ita rei herbariæ hactenus incubuiſſent, ut reliqua quibus in officinis utimur, uel penitus contempſerint, uel, quod nemo negare poteſt, negligẽtius explicauerint. Neq; uero id ſolùm, ſed quòd etiam ea ita tractauiſſent, ut medicos dũtaxat docere uoluiſſe uideãtur. Quanquã tamen & alia utilitate nõ carent. ac mihi uidetur nũquam fieri poſſe ut res hæc nitorẽ ſuũ omnino recipiat, niſi ſeplaſiarij & herbarij unà cũ medicis inueteratos errores exuant, melioraq; diſcãt. Quòd ſi doctioribus bene admonentibus ſponte credere uellẽt, conarẽturq; bonos libros alijs reiectis intelligere, minori profectò labore id conſequerentur. At cũ eorum plurimi, propriæ ſcilicet ignorantiæ ſibi non conſcij (neq; enim aliud

exiſti

existimare possum) nec doceri patiantur, neq; alios præter eos in quibus à principio male instituti fuerunt, aut legere uelint, aut intelligere ualeant, hosq; tanta pertinacia tueantur, ut nihil apud eos reperiri quod reprehendi possit iam dudũ sibi persuaserint: aliter profectò res tractãda est, atq; ita sanè, ut posteaquã eos quos sequebãtur errasse cognouerint, priorem uitã detestentur, ac meliorẽ tandem eligere cupiant. Itaq; non antè rem perfectã fore sperandum erat, quàm aliquis inter medicos, ad quos scilicet res pertinebat, illorum sectæ non ignarus, omnia quæ sub antiqua specie falsò uenditant, quibusq; abutũtur, ueriusq; utantur, ad antiquorũ rationes examinanda suscepisset, effecisset q; ut uel inuiti demonstrationibus uicti, ueterem barbariem relinquerẽt, ueritatemq; capesserẽt. Ac mihi quidem uidetur id præstitisse ANTONIVS MVSA, medicus Ferrariensis doctißimus, tãta profectò felicitate, ut non minori admiratione à nobis legi possit, quàm olim à GALENO reliquisq; Græcis medicis celebratus fuit antiquißimus ille medicus ANTONIVS MVSA, ut certißima cõiectura ob studiorũ animorumq; similitudinem, hunc ab illo emanasse existimandum sit. Nam si huius uiri & aliorum qui in eodem ferè argumẽto uersati sunt, monumenta cõparare inter se libeat, illos pauca sparsim, nulloq; sæpe ordine: hunc plurima, eaq; certo, antiquo, & iucũdo scribẽdi genere tradidisse cõperiemus: ut si propter utilitatẽ alios legimus, amamusq;, hũc iam uenerari & in sinu gestare oporteat. Et mehercle multis alijs nominibus laudandus est. Etenim alij non omnes ex æquo, sed Germani Germanos, Galli Gallos, ac

tandem unuſquiſque ſuos potiſſimum iuuare ſtuduit: hic omnibus prodeſſe uoluit, ad omnesq; nationes ſua tranſferre laborauit, ut ita ab omnibus uehementer amari debeat. Alij præterea ita doctè ſcripſerunt, ut à ſolis doctis legantur: alij ineptè, ut nulla uoluptate lectores alliciãt. Hic etſi rem cũ idiotis tractaret, tamen orationẽ ita temperauit, ut ab eruditis, quoniã eruditus, & à paulò rudioribus, propterea quòd à populari faciliorcq; ſtylo omnino non recedit, cum utilitate & iucunditate legi queat: ut poſthac neminẽ eſſe putẽ tã male in antiquos autores animatũ, qui huius uiri lectione oblectatus, tandẽ nõ reſipiſcat, cupiatq; in bonis ſtudijs uerſari: neminem tam doctum qui illius conatus uehementer non approbet, fateaturq; ſe multũ cũ eo profeciſſe. Quapropter cũ ſuperiore menſe Lugdunum ab Vrbe unicũ huius præſtãtiſſimi operis exemplar delatũ fuiſſet, utilitate eius maxima inſpecta, nõ paſſi ſumus ut eo alij diu carerent. Itaq; imprimendũ curauimus, tibiq; ALPHONSE Reuerẽdiſſ. dedicandum eſſe duximus, dignũ eſſe rati, ut quemadmodum in Italia auſpicijs illuſtriſſ. principis tui Ducis Ferrarienſis autor primam æditionẽ fecit, ita tuo fauore in uniuerſam noſtrã Galliam, Germaniam, aliasq; omnes gẽtes quæ ab huiuſcemodi literarũ ſtudijs nõ abhorrẽt, prodiret. Acceſſit quòd te harum rerũ maxime ſtudioſum cognoſco: ut quoniam etiã noui Archiepiſcopi noſtri uicẽ geris, hac ratione fieret, ut opus hoc apud omnes hosq; præſertim generoſiſſimos comites noſtros qui omni diſciplinarũ genere ſummopere delectantur fauentq; literatis omnibus, maiorem gratiam & autoritatẽ cõſequeretur. Vale, nosq; dilige. Lugduni III. Idus Ianuarij. 1537.

Unable to display this page

perfectiſsimis uirtutibus ornantes. Nos, Illuſtriſ. principes, per Socraticum ſpeculum, non materiale, aut chalybeum intelligimus, ſed ſpeculũ quoddã myſticè, & philoſophicis inuolucris deſignatum. Quippe Socrates, eius diſcipulos animi mores, actionesq; contẽplari iubebat, quæ ſi proprijs lineamẽtis reſpondeãt, et uiuidè in eorũ animis inſerta ſint, totis uiribus perſeuerare conẽtur, & in dies melioribus optima addẽtes exaugere. Si è cõtrario prauis moribus, et quaſi ferinis ſe ipſos imbutos intueãtur, pudeat his maculis deturpari: ſed ueris, & exquiſitis animæ bonis indui tentẽt, nec deſiſtant, priuſquã ineptis moribus depoſitis, ueri præcipui, & quodãmodo diuini egregie introducti ſint. Hæc præfatus ſum, Illuſtriſsimi Principes, ne aſſentandi, palpandiq; uitio argui poſsim, ſi nonnihil ueſtrarum laudum, & probatorum morum enarrare incipiam. Nam uos potius tanquã in Socratico ſpeculo uobiſipſis commonſtrare tẽtabimus, ut quibus, qualibus'ue præſtãtiſsimis uirtutibus inſigniti ſitis agnoſcentes, in eiſdem perſeuerare conemini, & in dies exaugere. Sed alicui fortè ſtilus noſter humilis nimiũ, & penè depreſſus uidebitur, ineptusq; ad tantorum principum laudes enumerandas. Huic ſtatim reſpon

respondebimus: sat nobis esse hac tenui, & serpente uena, Illustrissimos hos principes sibi ipsis ueluti in Socratico speculo ostendere, quantū præsertim nūcupatoria Epistola exigit, aliàs ubertim de ipsis (ut dignū est) tractaturis. Viros, è bonis potissimū laudauit antiquitas, quorū tria genera apud probatissimos philosophos inueniūtur, naturæ, fortunæ, & animæ. Naturæ bona corporis pulchritudinem amplectuntur, mēbrorum symmetriam, concinnam totius, suo ordine respondentem compositionē, robur immensum: quæ à Stoicis μέσα uocantur, & ignauissimis quibusque contingere possunt, ad humanam perfectionem felicitatemq; indifferentia, nullus, ex his culpa, uel laude dignus est. Sed rerū effectrix natura, Seneca etiā omniū moralissimo, & penè in uirtutibus tetrico, admonente, Egregiā mentē sub quauis etiā pelle, & cute latēre. Cui nec illud Virgilianum aduersatur, Gratior est pulchro ueniens in corpore uirtus. Nec poëtarū mores, qui quū uiros aliquos uirtutibus præstantes adumbrāt, pulcherrima forma, & uenustissimos pingunt: ineptos uero & mendaces, turpi & indecora. Verumenimuero, et si hoc naturæ bonū sit, in quo ipsamet potius laude digna est, tamen ad felicitatē humanā

mire adiuuat: philosophorum omnium sapientissimo in Ethicis dicẽte, Eum omnino felicẽ non esse, qui turpis sit forma, & careat prole. Ad Christianam uero felicitatẽ, & uerè philosophicã, pulchritudo nihil facit, sed inter externa bona numerãda, quæ nec meliorẽ aut insigniorem hominẽ reddunt: quãuis, Gratior sit pulchro ueniens in corpore uirtus. In hoc autẽ bono potissimum naturæ debetis, quæ uos, & pulcherrimos effecit, & pulcherrimis natis ANNA, & ALPHONSO decorauit: Fortunæ bona diuitiæ sunt, quæ & ipse hominẽ meliorẽ non faciunt: sed cuique etiã scelestissimo contingere possunt, quãuis eorũ usus ad uirtutũ culmina progredi adiuuet, atq; dirigat. Quid enim in se egregij habet, quod in infanda scelera cogit? in furta? homicidia? auaritias? bella? nisi eorũ usus tẽperatissimus sit. In hoc etiam fortuna ipsa encomio extollenda, quæ uos principes fecerit, antequam nati essetis, ditiores, quàm in tota Italia regnẽt. Ex hoc autẽ uos Illustriss. principes laude digni estis, quòd his diuitijs perpulchre utimini, bonis, honestisq; uiris impartiendo, ut nullus indonatus à uobis recedat. Magnus ego sum testis, quem (alijs pluribus omissis) nuper amplo prædio donaueritis. Testes

sunt

sunt omnes alij domestici, quorum neminem absque munere inuenire licet. Imò quis ex Ferrariensi populo etiam abiectissimus, Mutinensi, & Regiensi, HERCVLIS illustrissimi Ducis Ferrariæ hoc nomine secũdi immunitatibus non gaudet? Vt hinc colligere liceat, diuitias Herculem non perficere, sed ipsum ad sui perfectionem, & uirtutis cumulũ diuitijs uti. Quibus, cur, quomodo, quando conuenit, elargiens, hoc est in ipso principe egregiũ, non quod diues sit, quod omnes Italiæ principes non æquet quidẽ, sed longe superet gemmis, auro, urbibus, campis, mari. Potissimũ uero laude digna sunt, & encomio decantanda hæc duo fulgentia Italiæ lumina, & lucidi soles HERCVLES & RENATA, ex tertio bonorũ genere: hæc uera bona sunt, & unicuique propria, & peculiaria, non à natura, uel fortuna tributa, sed à nobis ipsis acquisita primo omniũ motore adiuuãte & ostendẽte. Quæ animæ bona nuncupantur, hæc non sunt, pulchritudo, aut membrorũ Symmetria, non corporis dexteritas, non agilitas, non diuitiæ, non latæ urbes, maria, & montes, quæ à uobis ample possidẽtur, non genus Estense, aut Gallum, non genitores bellicæ rei egregij LVDOVICVS duodecimus Gallia-

rum Rex, & ALPHONSVS tertius Ferrariæ dux: sed ea sunt animi bona, quæ uos beatos, & in hoc statu, & in futuro reddent. Hæc ea sunt bona, quibus proceres, & antiquissimi heroës iere, hæc quibus Christianissimi, & qui de fide bene meriti sunt, incessere. Fides in primis, quæ decus est, & animi ornamentũ, adeò in uobis splendet, ut pro fidei specimine HERCVLES & RENATA adducantur. De prudẽtia, Magnanimitate, fortitudine, munificẽtia, tẽperãtia, charitate quid referã? quũ plura passim nota sint, quàm ego referre possim? nullus enim tam obliuiosus qui non meminerit, nullus tam uecors qui non nouerit, nullus tam inciuilis, qui dissimulare possit. Iustitiã quoq; transigere decreui quum & ipsimet Rei, & crimine aliquo correpti iustissimos principes esse fateãtur, & prædicent. De liberalitate autẽ quid opus est referre, quum nullus sit qui ab illustrissimo HERCVLE & serenissima RENATA indonatus, aut suis uotis (modo honesta sint) inexpeditus recedat. Hæc sunt uera bona, quibus laudandi, quibus extollẽdi, quibus in cœlũ rapiẽdi principes, quibus uita perenni uiuere datur: felices arbitror, & terq; quaterq; beatos nostros ciues, quoties mihi in mentẽ ueniũt

hi pro

hi proceres à ſummo rerũ opifice in hoc calamitatibus pleno æuo donatos, ut initiũ ſint remittendi aduerſa, populos in rectã uiam dirigendi. Hoc eſt Socraticũ ſpeculũ, Excellentiſs. principes, ſeipſum ſibi ipſi qualis ſit, oſtendere. Vobis autẽ uoſipſos commonſtraui, qui principis exquiſitiſsimi exẽplaria eſtis, ut continuò perſeueretis, & in dies exaugeatis: quanquam ad uirtutũ ueſtrarũ cumulũ nihil addi poſsit. Ne autẽ uidear potius aſſentandi gratia, quàm uera narrandi præfari, his finẽ faciemus, ad præcipuũ huius Epiſtolæ inſtitutũ accedentes. Superioribus menſibus omnia ſimplicia medicamẽta, quorũ in officinis uſus eſt, Ferrariæ, noſtra trutina, qualiſcunq; ſit, percenſere cœpimus Illuſtriſsimo genitore tuo ſuadẽte, fauente, & exorãte, imò & qui plerunque uarios apud pharmacopolas errores audire & uidere delectabatur, propterea hunc libellũ, eius excellẽtiæ inſcribere atque dicare inſtitueramus, ſed inopina morte præuentus eſt, & nobis ferè clanculũ ſubreptus. Tu mox Illuſtriſsime Princeps, & patrone ſereniſsime, totius ditionis, & imperij, & omnium bonorũ hæres euaſiſti. Vnde et huius libelli, ſicut cæterorũ aliorũ bonorũ hæres eſto, quem tibi inſcribimus, tibi dicamus,

atque deuouemus. Vt excellentiæ tuæ aura fretus, ubique aperta fronte incedere posit, & eo tutius euagari, quo illustriss. RENATAM fautricem nactus erit. Iamq; huic nuncupatoriæ epistolæ extremã manũ imposuissem, nisi ea in mentẽ uenissent quæ superioribus diebus de citris, Adami pomis, narantijs, ita à nobis appellatis, ab excellentia tua quærebantur, An apud antiquos inuenirentur, & quomodo à profunda hyeme seruari possent. Quippe hoc anno frigoris inclementia omnes ferè huius generis arbores periere, quæ in amœnissima Padana insula Beluidere nuncupata, Alcinoi & Hesperidũ hortos delitijs excedente, uirebant. Nunc tuæ illustrissimæ excellentiæ satisfactũ iri statuimus: quanquã superioribus annis ad illustrissimũ & reuerẽdissimũ fratrem HIPPOLYTVM Mediolani archiepiscopũ unam & alterã Epistolã supra hoc negotiũ scripserimus. At nõnulla in tuæ excellentiæ gratiã repetere non grauabimur. Primo autem communis omnium error menti occurrit, eorum præsertim qui sacras literas interpretantur, ex hac arbore ligna cedrina putantium: quibus Salomon Hierusalem templum strui præcepit. Et de hac etiã id intelligunt, quod in libris Regũ scriptũ

repe

Unable to display this page

quum sit ferè arbuscularum pomilio, fructus quoq; myrti magnitudinem longius excedit. Liceat præterea Plinij uerbis præmonstrato loco aures admouere: Sunt autẽ, inquit, cupresso fœminæ etiamnũ syluestris similes, folio, odore, caudice. Quod apertissime Theophrastus uel hoc indicio manifestat, nusquam de cedro loquutus, quin cupresso, iunipero, altioribus'ue arbusculis propinqua sit. Imò & tertio de plantarum historia uolumine inquit, Est iunipero non absimilis, sed folio maxime distat. Quippe cedro durum, acutũ, spinosumq;: iunipero mollius. Additq; fructum iunipero similem. Ex his quantũ antiquior illa cedrus ab hac nostra uulgari dissentiat, cuiq; etiam mediocriter erudito manifestum esse arbitramur. Ex antiquiori etiã mẽsas, delubra, naues factas esse Plinius & Theophrastus prodidere. Antiquam cedrum aliàs, nunc uulgarem prosequamur. At unum in primis submonere instituimus, nominibus etiam in autorum communi usu differre. Quippe illam ex qua naues, & templa, cedrum: nostram uero, citrũ, atq; citriam apud Græcos appellatã legimus. Quin & Dion in Neronis uita non citreas, sed cedrinas mensas nũcupare maluit. Quod adiectiuum in sacris literis frequentius

animad

animaduertimus. Quanquã nullo modo dißimulandum ſit Phaniam Ereſsium quinto de plantis libro Cedrũ appellaſse, atq; malum cedriũ: pro eo quod nos citrum uocamus, & citriũ. Præſtat igitur antiquum nomen exarare: quo fuit diu hæc arbor inſignita. Legitur apud Theophraſtũ quinto plantarũ uolumine ſub mali medicæ, aut perſicæ titulo, quã in hunc ferè modũ pingit: folium habet ſimile, & penè æquale portulacæ, aculeos, quales pirus, aut ſpina acuta, ſed leues acutosq; uehementer, & ualidos: pomũ eius non manditur, ſed odore præcellit: necnon & foliũ arboris odoratißimũ eſt, & ſi inter ueſtes pomum ponatur, inoffenſa conſeruat. Vtile & cum medicinã mortiferã quis biberit, & ad oris ſuauẽ olentiã: quippe ſi quis interna pomi in iure aut aliquo humore concocta in os expreſſerit, digeſſeritq;, ſuauem halitũ reddet: fert poma omnibus horis, alijs decidentibus, alijs ſubnaſcentibus, alijs matureſcentibus. Quæ noſtræ arboris imaginem repreſentant. Ambiges uero, dictũ eſſe pomũ eius non mãdi: ſed ambiguitas ceſſet. Quippe Theophraſti & Plinij tempore nondũ mandebatur, ſed tantũ odore commendabãt. Athenæus etiã autor eſt, neminẽ ex antiquis guſtaſſe. Mox poſt Palla-

Unable to display this page

mus esculentis, cõmendandi halitus gratia. Ex his quisque etiam ineptus, arborẽ, quam citrum appellamus, ab his autoribus adumbratã intueri potest. Eiusdem generis omnino sunt, quæ limonia, Adami poma, aut rancida nunc uulgò dicuntur. Quæ Rantia dicuntur, Hermolao teste, quasi raudia, à colore æris, id est, fulua: uel à Neratio inuentore, Neratia dici potuere, nisi quis uelit Araniũ quasi Arianum, id est, persicum à gente appellatum. Est enim Aria, ut inquit Hellanicus, Persica quædam regio. Quid item si malum Arantium ab Arantia oppido Achaiæ, Iuba autor est, Hesperida, & malũ hespericum nuncupari, placetq; Herculẽ in Græciã trãsportasse, & malum aureum esse uocatũ. Cuius in pastoritia contentione Virgilius meminit, Aurea mala decem misi, cras altera mittam. Quãuis Pausania non aureum malũ, sed Hesperidum ab Hercule primum in Græciã transportatum dixerit. Aristophanes etiã Grãmaticus oximala persica uocari prodidit. Galenus quoque pomum ipsum non medicum, sed citrinum appellatũ uoluit. Quanquam sit apud Theophrastũ, sub medicæ mali dictione repertum. Græci quidam fabularum inuentores, nuptiale pomum esse putauerunt, à Tellure editum fa

bulantes, nunciato Iouis, & Iunonis connubio. Superest illustrissime princeps antiquissimam curam in plantando, & diligentiam in seruando edocere. Propagine ac seminibus ortum ducit. Semina, inquit Theophrastus quarto plantarum historiæ libro, detracta Vere, terris seruntur diligentissime cultis. Rigantur deinde quarto, aut quinto die: quũ autem maiuscula fuerint, transferuntur Vere iterũ ad molle, riguumq; solũ, nec ualde tenue, tale enim desiderat, opusq; est pingui aqua, marcidáue irrigari, non admodum frigida, qua etiã equorum stercora triduo macerata sint. Additq; seri fictilibus in uasis perforatis. Prosunt, & columbinæ sordes eadem aqua maceratæ. Quum hæ arbores in iustã molem creuere, flores pariunt, qui an spes sint futuri partus, Theophrastus primo plantarum libro his indicijs ostendit: Inter flores, inquit, mali Medicæ, qui ueluti colum quandam, erectam in medio habeant, fœcundos hos fore affirmant: qui uero non habeant, hos fore infœcundos. Quod iterum uolumine quarto animaduertisse testatus est. Vnum uero submonendum arbitramur, si hyemis inclemẽtia in Ferrariẽsibus hortis flores, aut subnascentia poma defuerint, causam à Theophrasto

primo

primo de plantarum cauſis aſſignari. Quippe placi dum aërem expetunt, medioq; conflatum tempore, quo ſcilicet germinatio, & fructificatio aſſidue fa ctitari poteſt. Nec illud poſthabere dignum eſt, illa eſſe fœcunda ſemina, quæ in colo quadam pro-rumpant. Hic unus eſt naſcendi modus. Nonnulli ramuſculum ut ſubnaſcentia uirgulta radicibus euellunt: ac intorquẽt Vere in molle ſolum, udum, & pingue magis, quàm gracile plantantes: quarto etiam aut quinto die prædictis aquis irrigant. Alij ramos non ab arbore euulſos, ſed adhuc illi infi-xos, fictili uaſe, teſtaceo, aut cucurbiteo uertice pingui terra pleno circundant, quod radices emit-tat, proinde ab arbore diuellitur, tranſplantatur q; dato radicibus ſpiramento. Sæpius integras arbo-res è longinquis partibus transferre excogitaui-mus, ut antiquiori tempore ex Perſia & Media euehebantur. Nunc triuialis eſt ferè arbor: pluri-bus horum pomorum generibus Citreta Liguriæ, Campaniæ, Apuliæ, Benaco lacu, & tota ferè Ita-lia, præſertim uero calidioribus locis felicius ger-minant, & quamcunque imaginem topiario opere reddunt. Nos Genuæ, & Sauonæ atria, Cubicula, Papiliones topiario opere ex his arboribus fictos

uidimus, quum excellẽtia tua Anno à CHRISTI ortu M. D. XXVIII. Galliam peteret. Sed qua arte ſine ullo diſcrimine transferri poſſint, Plinius tertio, duodecimi uoluminis capite oſtendit: Tentauere, inquit, gẽtes trãsferre ad ſe propter remedij præſtantiam fictilibus in uaſis, dato per cauernas radicibus ſpiramento: qualiter omnia trãſitura longius ſeri arctiſſime, transferriq; meminiſſe conueniet, ut ſemel quæque dicantur. Necnon eiuſmodi arbores antiquitus inſerebantur, quorum fructus Citromela nonnulli appellarunt. Denique huius arboris morbos, & remedia opus eſſet afferre, niſi ſatis ſuperq; in noſtra arborum medicina oſtenderimus, Tamen illud unũ admonere non grauabimur, corticis ablationem eſſe huic arbori mortale nocumentum, hyeme præſertim. Tunc opem ferre, noua cera, reſinaue obſtructo uulnere decet, ne frigus intimã arboris medullam ingreſſum perimat. Hyeme uero à temporis inclementia ſeruantur, ſi in fictilibus plantatæ ſint hæ arbores, & in clauſum locum portentur, in quo aër natura uel arte temperatus ſit. Arte autem ſi propè calidarium fabricetur. At ſi communi ſolo plantatæ ſint, tugurio cannitio, aut ex milij nigri culmini-

bus ſpa

bus ſpatio unius pedis ab arbore, circundentur. Mox equinum fimum ad medium uſque tugurij exterius circumponatur. Hæc ſunt Illuſtriſſime Patrone, quæ ex antiquorum uoluminibus de hac arbore tuæ excellentiæ gratiſſima delineare ualuimus: quibus iam eſſet finis additus, niſi hoc unum in mentem acceſſiſſet, Lacedæmonios, Ariſtophane Grammatico autore, Deos hac arbore coronare ſolitos. Vale Illuſtriſſime Princeps, & totius Italiæ Decus eximium, & noſtrum hoc Munuſculum, ut cætera alia, hilari fronte ſumas, quod hæreditario iure tibi debetur.

IN LIBRVM EXIMII PHIlosophi ac Physici ANTONII MVSAE Brasauoli Francisci Bouij Ferrariensis Epigramma.

Simplicia Examen subeunt Medicamina cuncta
Libro hoc: flos, radix, fructus, & herba potẽs.
Lignum, Poma, Nuces, Oleũ, Sal, Gẽma, Metallũ,
Mel, Liquor hic, Succi, pharmaca quæq; patẽt.
Mille notæ occurrunt, rerumq; uocabula mille
Hic, quibus haud dubiè singula nosse datur.
ANTONI MVSAE gaudent præsentia, quantum
Prisca Dioscoridis nomine secla sui.
Perlegat hunc Medica quisquis desudat in arte:
Verset & assidua Pharmacopola manu.

Examen omnium

Simplicium medicamentorum, quibus Ferrarienſes pharmacopolæ in ſuis officinis utuntur, ANTONIO MVSA BRASAVOLO Medico Ferrarienſe autore.

BRASAVOLVS, SENEX PHARMACOPOLA, HERBARIVS.

QVORSVM optimi uiri per has Alpes inhoſpitas, & inacceſſas, & per tam horridos receſſus, qui uix timidis capreolis, & leuibus damis, ac dorcadibus aditũ præſtant? HERBARIVS. Quorſum pedibus ducimur. BRASAVOLVS. Nos capite ducimur, pedibus autem ambulamus. SENEX. Mihi uideris æquè ut nos pedibus incedere, & capite aërem ſecare. BRA. Ita incedimus, quoniam pennis caremus. Sed, ô optime ſenex, Mens eſt quæ nos ducit, & quæ huc uel illuc pedes ambulare iubet, ipſi autem ucluti famuli pa- BRASAVOLVS.

Unable to display this page

cuellendarum herbarum comitem? ubi potius urſos, uoracesq; lupos inuenire putabamus. HER. Sol prope meridiem eſt, & ſolis radij adeò calent, ut in proximam illam planiciem ſecedendum ſit, & in certa illius ſpecus umbra prandendũ, dum cicadæ reſonant: inclinante enim ſole tot radices euellam, quod non uidebor diem & operam luſiſſe. ERA. Meridiano æſtu ingentes deſtillationes, capitis dolores fieri ſolent, ideo huius arboris incerta umbra derelicta, Herbarij conſilium ſequamur. SEN. Tu ergo Herbarie onere depoſito mappam ſupra uirentes illas herbas & humiles ſternito, pernamq;, & tucetũ in ligneum orbem ponito, & cantharum generoſo uino plenum deobturato: hæc ſunt, quæ in hac ſyluestri ſolitudine Antonio Muſæ præſtare poſſumus. ERA. Hæc principi inter montium iuga equitanti ſatis eſſent. Ego pane, uinoq; etiam dilutiſſimo, & maxima uiſendarum herbarum appetentia contentus ſum. Antiquitas herbis, & glandibus diu ueſcebatur, dum homines ſyncera fide, & probis moribus uiuebant. Mox (pro pudor) ganea, tot uaria, in ſaporibus coquendi modis, uariarum rerum permixtione, cibaria adinuenit, ut nullus ſit modus, nullus finis edulijs, quæ infinitos morbos pariunt, & plerunque in mortem inopinam perducunt. SENEX. Quid ad nos ſi alij ægrotent? Ego pharmacis, tu medendo lucraris. ERASA. Quantum in me ſit, Deum optimum oro, neminem unquam ægrotare: quum uerò id fieri non poſſit, ægros aliquot mihi cõtingere opto, ut ex mea arte honeſtum uictũ, & ueſtitũ habere poſſim. At ſi nullus unquam ægrotaret, nõ ſum adeò ſtupidi ingenij,

quin ſtatim artem aliquam mihi comparare ſciuerim, ne uitam per inertiam tranſigerem. HERBA. Omnia in promptu ſunt, in hac uirenti herba ſedete. SENEX. Tucetum hac parte rancidum eſt, illa uerò optimum. HER. Nec deeſt ſua laus pernæ. BRA. Vinũ generoſe reſpõdet. Verùm, ô Herbarie, quæ nã herba illa eſt, quæ apud cantharum uiret? HER. Apud omnes notiſſima, eã ignoras? Reuponticum appellatur, cuius radix adeò præſtat, ut eius duplum pondus Reubarbarum æquet. BRA. O mirus Recentiorum error, & mira pharmacopolarũ ignauia, per tot ſecula in hac herba decepti ſunt, & nũc decipiuntur, tamen addiſcere nolunt, & ſi res ipſa præ oculis adducatur, ueritatem agnoſcunt, ſed maligno quodam animo uerum abnegant, potiusq; in ſua illa ceruicoſa ignorantia perſeuerare uolunt, quàm uerum agnoſcere. HER. Id fortè noſtra gratia dictum cupis: apud me certum eſt herbam illam Reuponticum eſſe, ut ab ineunte ætate à ſummo quodã herbario didici. SE. Nec ego aliud Reuponticum uidi, quàm ſimile: tu fortaſſis uis nobis oſtendere, panem non eſſe panem, aut uinum non uinum. Ego ita Reuponticum noſco, ut tu hoc uitrum, uitrum eſſe putas: nunc autem quidam Iuniores inſurgunt, qui potius libidine gloriolæ, quàm ueri ſciẽtia, optimos libros reprehendere conantur, nec uerentur, noſtrum Euangeliſtam, id eſt, diuinum Meſuem, execrari, Pandectas reprehendere, Auicennam taxare, Serapionẽ demoliri, & Auerroim exibilare: non deſunt nobis lumi naria, ſed hi conãtur extinguere. BRA. Obſecro te optime pater, ne ira conciteris, ſed blandis uerbis rem tra-

Rhaponticum,

ctemus

ctemus, & mites aures præsta. SE. Nunquam potero in Mesuem, aut alterum Arabem cõuicia audire. BRA. Et quis adeò audax hos præstantißimos uiros uellicare conabitur? SE. Tuus Leonicenus, Manardus, & nescio qui recentiores. BRA. Deciperis optime senex: nam Leonicenus, & Manardus, si aliquot Arabum errores detexerint, modeste loquuntur. Recentes autem illi potius culpa digni sunt, quum execrantur, quàm laude, erant demonstrandi errores, non conuicijs lacessendi autores. SE. De Mesue quid sentis? BRA. Quid aliud quàm optimum uirum, qui omnia Deo duce scripserit, & posteris iuuandis multum insudauerit. SE. Quid de Auicenna? BRA. Non quidem principem medicorum (ut recentes putarunt) sed Cordubæ. At summum philosophum, qui multa uiderit, ac perlegerit, quanquàm eius uolumina multis erroribus scateant. SE. Quid de alijs Arabibus? BRA. Id quod Plinius testatur: Nullus liber tam malus quin aliqua ex parte prosit. Ego omnibus rei medicæ candidatis suaderem, ut in primis, Græcis perlectis, Arabes quandoq; gustarent, quos aliqua ex parte prodesse, non dubitamus. Vnde consilium id non modo non probo, sed ualde improbo, quo nonnulli Arabes penitus abolendos suadent: nos uero potius corrigendos iudicamus, ubi mendæ aliquæ appareant. SE. Si omnes tuam sententiam amplecterentur, nulla esset inter Arabum, & Græcorum sectatores controuersia. BRA. Non laudamus Arabum sectatores, sed omnes Græcos imitari hortamur, Arabibus non spretis. Ad tẽpora incidimus, quibus Græcis maledicunt, nec ipsos dignantur suo nomine appellare, quod in

Arabes non omnino reiiciendi.

bonis literis tyrannidem quandam peperit. Hippocratem igitur, Oribasium, Galenum, Paulum, Aëtiumq; admiremur: sed nec Serapionem, Rhasim, Auicennam, Auerroim. Mesuem omittamus, nisi ubi inextricabiles nodi inciderint, & nonnullæ in rebus ipsis lituræ. SENEX. Sunt'ne aliqui Iuniores Ferrariæ, inter eos qui recenter doctores creati sunt, ad id nauandum commodi, ac prompti? BRAS. Equidem sunt: Hippolytus Guarnacius, Franciscus Brusantinus, Maurelius Sanctus, & Ioannes Leo Vercellensis. Hi quandoq;, & breui, nostræ patriæ splendentia lumina euadent, qui Græcos autores summè obseruant, nec Arabum recte dicta cõtemnunt. Vt enim propriam animam rectis & Christianis moribus exornarunt, ita ab omni maledicentia immunem fecerunt. SEN. Ad rem ipsam sermo uertatur: Herbarie, affer Reuponticum. HERB. En, nec unà deest radicis fibra. SEN. Hoc igitur Reuponticum esse ambigis? BRAS. Imò non esse certus sum. SEN. Sum'ne tam grandæuus sententiam mutaturus? BRAS. Eia pater, quacunq; ætate discendum, statim autem te assensurum non dubitamus, si benignas aures præstare volueris. SEN. Amor erga te meus, aures præstare cogit. Id igitur non esse Reuponticum ostende. BRAS. Apertissime ostendam, modò antiquioribus autoribus fidem adhibere statuas. SEN. Quos antiquos appellas? Pandectarium mecum attuli, quem omnia ad unguem scripsisse arbitror. BRA. His igitur autoribus fidem præstabis, qui à Pandectario in testimonium adducuntur? HERB. Aliter fieri non potest. BRA. En igitur, Pandectarius Dioscoridis testimo

ſtimonio utitur, eo capite, quo de Rheon, uel Rha, à Romanis Rha ponticum appellatum tractat (non enim Reuponticum, uel Reubarbarum, ut uos paſsim dicitis: ſed, Rha ponticum, & Rha barbarum proferre oportet: uerùm uocabulis uestris uti non impediam.) Tamen idem Pandectarius per Rhaponticum id intelligit, quo paſsim in officinis utimini, cui magna recentiorum pars conſentit. At ſi tibi apertis oculis, hoc non eſſe Dioſcoridis Rhaponticum oſtendam, non'ne dices non ſolum non eſſe Rhaponticum, ſed longe Pandectarium hallucinatum eſſe? SEN. Alij adhuc ſuberunt ſcrupuli, nunc iſtud demonſtrare pergas. BRASA. Dioſcoridi aures præſta: hanc radicem, quæ Rhaponticum dicitur, eſſe ſine odore, eſſe fungoſam, & ſine pondere, & habere guſtum glutinoſum dicenti. Olfacias igitur ipſam radicem, optime ſenex. SENEX. Iam olfacio. BRASAVOL. Caret'ne odore? SENEX. Minime: ſed grauem habet, fortè intelligit, non habere odorem, ſcilicet bonum. BRASAVOL. Hoc potius eſt ſine ratione fugere: quoniam Dioſcorides hoc uocabulo, odor, tanquam medio utitur, cui bonum, aut malum, ſuaue, aut inſuaue coniungit. Quum igitur ſine odore ſcripſit, quod ſua lingua ἄοσμον dicit, odore carere penitus cenſet. Sed aliud conſideremus, χαῦνη ſit, & ὑπόκοφος, fungoſa & ſine pondere. SENEX. Equidem fungoſa non eſt, ſed potius denſa, ut inde grauis efficiatur. BRAS. Nec guſtum prætereamus, quem glutinoſum cenſet. Guſta, mihi nullum glutinum in lingua parit. SEN. Nec

Rheon, uel Rha.

Lib. 3. cap. 2

mihi. BRA. In alijs si quodammodo huic nostro Rhapontico conuenire uideatur, in multis dissentire certum est. SE. Hoc adeò manifestè percepi, ut is cæcus sit, qui non uideat. Nunc sententiam mutare cogor, ut deinceps in simplicibus Pandectario nostro fidem non adhibeam. Tamen plures de Rhabarbaro differentes audiui, qui hoc Dioscoridis Rhaponticum, Rhabarbarum, quo utimur esse profiterentur. BRA. Non defuere plures, qui id sentirent, quod etiam Leoniceno attributum est, tamen decipiuntur, quoniam ἄοσμος non est Rhabarbarum, id est, sine odore, nec habet radicem similem Centaurio, quippe Centaurium radicem longam habet, & quamuis Rhapontico minorẽ inesse scribat, tamen eandem formam non habet, quia Rhabarbarum in formam rapæ, & rotundum uergit. Nec Rhabarbaro inest ῥίζα μέλαινα, id est, radix nigra, sed potius in subcroceum quendam colorem uergit, adeò ut tabulas quasdam ex infusione Rhabarbari apte croceas reddiderim: & nisi pretium impediret eo pictores uterentur. SENEX. Vidisti'ne unquam radicem, huic Dioscoridis descriptioni similem? BRA. Vidimus, Venetijs in ædibus pharmacopolæ, qui Campanam pro insigni habebat: hic (ut uir erat nulli parcens sumptui) ex ripis Rha fluminis in Meotidem paludem influentis, radicem hanc, & ipsam herbã Venetias portari curauit, cui hæc Dioscoridis descriptio adeò quadrabat, ut tu ipse tibi ipsi similis es. SE. Est'ne Rhabarbaro similis, quo nunc passim utimur? BRA. Non equidem, sed potius Rhapontico uestro, his demptis in quibus Rhaponticum uestrum ab

Rhabarbarum.

illo

Unable to display this page

Hoc non ita quadrat. BRASA. Omnino inciſuræ ſunt, licet paruæ, caulem rumici ſimilem habet, duorum, trium'ue aliquando cubitorũ modo altitudine. SE. Hoc frequentißimè uidi: habet enim radices longiores, quàm herba altera quam uiderim. BRAS. Multis à radice adnatis, in quibus papauerum capita ſunt. SEN. Rectè modo papauerum dixit: quia centaurij caput, non eſt omnino ut illud papaueris. BRAS. Floret colore ad cœruleum inclinato. SEN. Ita certè uidetur. BRA. Cnico ſimile ſemen, ueluti lanis in flore inuoluitur. SE. Et ſi hæc res lana appellari non poßit, ſimilis tamen lanæ uidetur. BRA. Radix uaſta, ponderoſa, dura, longitudine ad bina cubita, ſucco plena, ſapore acri, cum adſtrictione, dulcedineq; aliqua, rubeſcens, & cuius pariter rubeſcat ſuccus. SEN. In guſtu nullam acredinem percipio, & nullam, uel minimam adſtrictionem. BRA. Nec ego: tamen optimè mando, & iam magnam copiam deglutiui. SENEX. Suſpicor igitur noſtrum hoc Rhaponticum, id nõ eſſe, quod Dioſcorides Centaurium maius appellat: præſertim quum ex Apulia afferatur. BRA. Affertur quidem ex Apulia, & ſponte oritur in monte Gargano, nunc ſancti Angeli, ob Archangelum Michaëlem, qui ibi uiſus eſt, appellato, in cuius pede, olim Sipontum inſignis urbs ſita erat: nunc ab eo diſtat, & Manfredoniæ nomen acquiſiuit. Aliàs loca celeberrima, nunc adeò preſſa, ut uix extent antiquitatis ueſtigia. Quamuis ergo ex Apulia afferatur, & Dioſcorides in Lycia, Peloponneſſo, Helide, Archadia, & Meſſenæ abundare, & plurimum circa Pholoën, Lyciam, Smyr-

nam

nam nasci fateatur, non tamen negat alia loca eo abundare posse: imò & in Liguria, hoc, & Rhaponticum Dioscoridis, & nostrum uocatum Rhabarbarum, quũ essem Genuæ cum illustrissimo principe HERCVLE ESTENSE ducis Ferrariæ primogenito frequentia uidimus: quæ omnia radicibus quidem, sed foliis non multum differebant. SENEX. Imò & nunc Ferrariæ habetur, & plerisque in hortis plantatum uiret. BRAS. Et futurum speramus multas alias herbas ad nos afferri. SENEX. Vt autem de hac re receptui canamus, tres diuersas radices edocuisti, Centaurium maius, Rhaponticum Dioscoridis, & Rhabarbarum quo utimur. BRASAVOL. Imò si Centaurium maius, à nostro uocato Rhapontico separes, quia in pluribus differre uidentur, quatuor radices erunt, quarum si unam ignorabimus, perfectam ipsarum historiã nesciemus. SENEX. Obsecro igitur, quid sint, edoceas. BRAS. Tibi satis sit hodie, nostrum Rhaponticum, non esse Dioscoridis Rhaponticum, didicisse: nec etiam esse Centaurium maius eiusdem Dioscoridis. Nec parum fuit, adeò inueteratis opinionibus, id simplex non esse id quod quæritur, demonstrasse. SENEX. Igitur hoc Rhaponticum proijciam? & deinceps domum nostram non ingredietur? BRASAVOLVS. Imò collige: est enim radix multis nominibus digna, & qua frequentissimè ad meos ægros reparandos utor. HERBARIVS. Iam stomachari cœperam, si tam magnum acerum proiecturus eram, quem uobis loquentibus effoderam. SENEX. Nisi cito properemus, non erimus hac ebdomada

expediti in colligendis herbis. HER. Tot herbas collecturus es? SE. Officinam meam oppelleturus sum, ut nihil desit: nec ab his montibus discedam, quin hos sacculos plenos uideam. BRA. Studes igitur in his montibus omnes herbas inuenire? SE. Omnes, quibus utimur, & omnes flores, omnia semina, omnes radices. BRA. Hoc erit in maximum ægrorum incommodum: non enim omnes herbæ à montibus petendæ sunt, sed aliquæ in conuallibus, aliquæ in humentibus locis, & planis utilius colliguntur. SE. Arbitrabar montanas herbas uirtute magis pollere. BRA. Pollent quidem eæ, quæ à montibus sumi debent. SE. A' pueritia hoc imbiberam, montanas herbas cæteris præstare. BRA. Nec solus eras huius opinionis particeps. SE. Obsecro te per Medicæ artis Deos, ut in hac herbarum collectione mecum sis, & eas herbas ostendas, quæ in montibus, & quæ in plano, loco'ue aquoso & humenti ualeant: hic enim non desunt conualles, aquosa loca, & plana. BRA. Id lubentissime agam, sed nec omnes herbæ hic nascuntur, quia nonnullæ aliubi petendæ, nec tempus hoc aptum est, ut omnes colligantur. SE. Non'ne possemus omnes Ferrariam afferre, & transplantare? BRA. Possemus quidem, sed uires amittunt. SE. Tamen eadem folia seruant, eundem caudicem, eosdem flores, & eosdem fructus. BRA. Imò multæ non fructificant, ut castaneæ, xylocharactæ, quæ in montibus, & sua cœli periodo fructificant: alibi uero nunquam, & pinea nisi salso quodammodo solo fructificat. SE. Vidimus pineam Ferrariæ, quæ fructus gignebat, & nunc gignit extra mœnia spatio unius milliari, in

Herbæ non omnes à montibus petendæ.

horto

horto Monachorum ſancti Bartholomæi & in horto patrum ſancti Pauli caſtraneam. BRASAVOL. Fructus quidem pariunt, præſertim pinea, ſed imperfectè maturant, & pineæ nuces minores ſunt. Ita natura res diſtinxit, ut hæc cœlo iſto, illa altero gaudeant: nam cœlū eſt quod parit, non ſolum, ut Theophraſtus inquit: quāuis & terra aliquid faciat, tanquam mater & materia: cœlum uero, id eſt, aër, forma eſt, & agens, præſertim cū influxu cœleſti, & hoc non ſolum in plantis, ſed etiam in animalibus uſu uenit. SE. Quomodo in animalibus? BRA. Leones in Italiā, cameli, dromedarij conuehuntur, tamen nō pariunt, uel ægrè id faciunt, ut per ſobolem non multiplicentur, adeò cœli periodus in uiuentibus agit: imò & in lapidibus ac mineralibus. HER. Hæc nihil ad rem, ſed totus ſermo ac labor circa herbarum collectionem ſit, ſi prius me admonueris, ita Rhaponticum apud alias nationes nunc alio modo appelletur. BRA. Nomina illa omitto, quæ à Dioſcoride citātur, quoniam ex teipſo ea legere poteris. Etiā omitto à Serapione Raued uel Reu dici. Nunc uero Hiſpani hoc eodem nomine appellant, quo nos uulgò Reupontico: Germani uerò ultimam ſyllabam omittunt, & Repontic dicunt: Galli uero per e, & u, ſcribunt Reupontic: proferunt autem ac ſi inter e, & u, media quædam litera ſit. Sed, ô pater, quem ordinem ſeruas in colligendis herbis? SE. Mihi in primis omnes flores, poſtea omnes herbas, tertio omnes radices: deniq; omnia ſemina, quibus utimur, deſcripſi. BRA. At quomodo flores nunc, radices, & ſemina colligere poteris, quum hæc uarijs temporibus in ſuam perfectionem

ueniant? SE. Omnia simul colligebam, tu nunc ordinem edoceas. BRA. Librum scripsimus de colligendarum herbarũ temporibus, qui iam propè ad umbilicũ est: illũ tibi dono dabimus, quo colligendis herbis apta tempora, & radicibus, seminibus, ac floribus inuenies: imò & quibus locis quæque herba quærenda sit, ubi proprias uires efficaciores habet: multum enim refert quo cœlo, & qua prouincia herba ortum duxerit. SE. Esto dux fati, & à qua parte incipere lubeat, admoneto. BRA. Schedã illã tuam sume, in qua omnia scripsisti, & à prima incipito. SE. Nullus ordo seruatur, ego à floribus cœpi. BRA. Et ab his incipere opportunum: primum florem legas, etsi nullo ordine digesti sint: nam satis ordinem seruabis, si nullum in colligendo omiseris. SE. Primus est in ordinem scriptus Camomillæ flos, quo frequentissimè utimur. BRA. Chamæmalon potius dicito: nam Dioscorides ita appellari censet, quia odorem mali habeat. SE. Id aliàs audiui, sed quomodo odorem mali haberet, nunquam discere potui. BRA. Nonnulli putarunt floris mali odorem habere: ego autem puto odorem mali præmaturi intelligendum. Non tamen is præcise odor est, sed in illum uergit: nec cuiuslibet mali, sed alicuius tantum speciei. hanc herbam in hoc mõte colligere poteris: nam siccis gaudet, & macris, ac semitis uiret, in ipsaq; caliditas & siccitas aliqua expetuntur. Sed miror quur flores tantum legere studeatis, quum & herba & radices uiribus præstent. SE. Herbam quoq; seruamus, sed flores seorsum, radices uerò in usu non sunt. BRA. Iubeo ut deinceps serues. SE. Seruabo, sed nunquam uendentur.

Chamæmalon.

BRA.

BRA. Ne uerearis, nam curabo ut eas prius uendas. Vnum præterea admiratione dignum est, quum tres sint Chamæmali species, quur hanc unam tantum colligatis, quæ in medio orbiculum aureum habet, foliolis albis circundatum, quum alterum genus habens foliola illa purpurea calculosis efficacius ualeat, & Eranthemum à quibusdam propriè dicitur, quia Vere floreat. Præterea uide in hac semita tertiũ genus habens foliola illa aurea, unde Chrysanthemũ nũcupatur, quod ciendis urinis magis ualet. Nescio quur uos pharmacopolæ hæc genera omiseritis, quæ longè mortales iuuare possunt: de quibus Macer poëta, qui de herbis carmine scripsit (si is liber qui circunfertur Macri sit) in hunc modum canit:

Chamæmali species tres.

Eranthemum.

Chrysanthemũ

Autores dicunt species tres illius esse,
Quas solo florum distingui posse colore
Tradunt. est cunctis medius flos aureus illis:
Sed uarijs folijs flos circumcingitur ille,
Albi, uel nigri sunt, purpureiue coloris.
Dicitur Anthemion propriè, cuius foliorum
Purpureus color est, maiorq; & fortior hæc est.
At Leucanthemion folijs deprehenditur albis,
Mellinis Chrysanthemion. uis omnibus illis
Sicca, calensq; gradu primo conceditur esse.

Hactenus Macer, qui uires trium specierum postea enumerat. Et quamuis speciem unam nigri coloris esse dicat, Mellinum intelligere oportet, ut postea quum eas distinguit, manifeste scribit. SE. Nos unam speciem tantum seruamus, quæ habet foliola illa alba aureum globũ circundantia: quoniam in Ferrariensi solo, illa uireat, cæ

teræ minime. Est autem ea, quæ Leucanthemon appellatur. BRA. Aliæ etiam ſpecies in Ferrarienſi agro naſcuntur, licet non adeò frequenter. Tu igitur ex omni ſpecie colligas. SE. Deinceps hoc agam: uerum uno deterreor, ut ambigam hoc eſſe Chamæmalon: quoniam Dioſcorides illa florum fóliola, magnitudinem fóliorum Rutæ habere tradit. BRA. Rem non probè intelligis: quoniam Dioſcorides inquit, fóliola illa eſſe parua, tenuia, numeroſa. Quum autem dicit habere magnitudinem fólij rutæ, id in toto flore intelligit, nõ in paruis fóliolis circa luteam partem ſitis: ut ſenſus ſit, flos totus Chamæmali, magnitudinem fóliorum rutæ habet, & in rotundum uergit. SE. Tibi aſſentire cogor. HER. Satis'ne colle ctum putas? SE. Duobus annis ſatis erunt. BRA. Ne tam magnam copiam legas, ut ea altero anno utaris: uerum ſingulis annis recẽtem habeto, alioqui uires deerũt. Secus autem eſt de eius oleo, quod inueteratum efficacius ſanat: nec prætermittas ex floribus recentibus paſtillos fingere, & ſeruare pro ſudoribus ciendis, ut Aëtius ex ſententia cuiusdam Aegyptij conformari docet. SE. Singulis annis herbas colligo, & ueteres proijcio, præſertim quum in puluerem redigi uideantur. BRA. Probè agis. HER. Ego autem ſcire uoluerim quibus nominibus ab alijs nationibus, appellentur, his demptis, quæ à Dioſcoride & Plinio numerãtur. BRA. Rẽ dignã quidẽ petis, ſed ferè infinitam. Nam quot prouinciæ ſunt, tot ferè nomina, & quot etiam in prouincijs diuerſæ urbes aut caſtra, etiam nomina diuerſa reperiuntur. En Hiſpania, prouincias habet Luſitaniam, Bæticam, & Taraconenſem:

nensem: Lusitani ipsam Macellam appellant, alij Mancanillam: Galli, Cameminam: Germanorum pars Chamillenblüm: blüm enim apud ipsos florem significat. At posteaquam nouisti tres Chamæmali species seruandas, & simul herbam, radices, ac flores, nec hos montes præterire conuenit, ideo ad alia transire opportunum erit. SEN. In hac mea schedula secundo loco uiolarum flores scripti sunt. BRA. Ergo nullũ ordinem seruas, quia frigida calidis immiscuisti? SEN. Hoc à principio admonui, ne ordinem aliquem in mea schedula expectares. BRA. Esto, uiolæ sequantur, ne ipsas in montibus quæras, præsertim communes has, quas Dioscorides nigras appellat. SEN. Dicis'ne hoc ac si sint aliæ uiolarum species, præter nigras, à quibus uiolaceus color, nostra materna lingua deducitur? BRA. Imò plures aliæ sunt uiolarum species, & ab autoribus multum in medica re commendatæ: sed medicorum incuria nec colliguntur, nec earum usus habetur. Græci enim duo nomina habẽt, quibus uiolam significant: ἴον unum est, quo omnes uiolas intelligunt, ab Io, quæ à Ioue in uaccam conuersa est, pro cuius pabulo iussu Iouis uiolæ in campo creuerunt: unde & nos uiolam, quasi uitulam dicimus. Sub hoc ergo nomine, ἴον, omnes uiolas, etiã quas Ioseminos dicimus, cõnumerantes intelligunt. Aliud nomen est, λευκόϊον, quo proprie albæ significantur: tamen ad omnes uiolas usurpant, præsertim ad eas, quæ primo statim Vere nascuntur, siue candidæ, luteæ, cœruleæ, uel purpureæ sint: de quibus omnibus aliàs diffuse tractauimus, quoniam in re medica plurimum ualent, & uarijs locis quærendæ sunt.

Violæ.

Violarum duo nomina apud Græcos, Ion.

Leucoion.

Ne autem in præsenti ab incœpto remoremur, ne desinas tu uiolas purpureas aut nigras colligere, quia de albis aliàs agemus. Dixi aut purpureas, aut nigras, quoniã apud Dioscoridem in aliquibus codicibus simpliciter legitur περὶ ἴου, id est, de uiola: per hanc tamen, ea quæ apud nos in usu est, intelligitur: in aliquibus, περὶ ἴου πορφύρου, id est, de uiola purpurea, scriptum est. Antiquissimi uerò habent περὶ ἴου μέλανος, id est, de uiola nigra. SEN. Hæc adeò confusa mihi uidentur, ut longiori studio indigeant, quàm nunc opus sit. BRA. Imò longissimo. Verum ad loca illa umbrosa secedamus, ubi uiolas nigras inuenies. En, uide iam terrã præ copia purpurescere. SEN. Quas partes collecturus sum? BRA. Tres, herbam, flores, & medium id purpureum, aut subcroceum, quod in medio floris situm est. SEN. In compositis autorum medicamentis frequenter ambigo, quoties uiolas miscent, an flores, uel herbã intellecturus sim. BRA. Quum Ferrariæ erimus, composita illa medicamenta ostendito: quoniam aliqua flores, alia herbam recipient. Nam in syrupo, qui uiolatus dicitur, pharmacopolæ passim herba utuntur, nos autem potius flores accipere iuberemus. SEN. Medium id purpureum qua de causa colligendum? BRA. Vt anginis succurramus, & comitialibus in infantia, si cum aqua bibatur, quæq; enim pars suis uiribus insignitur. SEN. Est ne uerum uiolam Narcoticam esse, ut Mesue illi tribuit? BRA. Excellentiss. uir Ioannes Manardus Mesuem reprehendit, qui uiolam in primo ordine frigidam, postea Narcoticam dixerit: hic celeberrimus uir in suo paruo Mesue, marginales

quasdam

quasdam annotationes scripsit, quas in uulgatam epistolam collegit. At non debuit existimare, omnẽ Mesue codicem ita legi, sicut suus ille paruus: quippe antiquissimum habeo, in quo, optima, & non Narcotica legitur. Inquit enim: Et ipsa quidem est infrigidatiue optima, id est, inter ea quæ infrigidant, optima est uiola, quoniam nulli parti officit. Propterea addit: Sedatiua dolorũ calidorum, extinctiua inflammationum. SEN. Hæc sentẽtia mihi plurimum arridet, nec erat tam magnus uir ita temere culpandus, præsertim quum Auicenna, quem Mesue imitatur, & Serapio, nihil simile dixerint. BRA. Nõ deest etiam alter optimus modus leuãdi Mesuem ab hoc onere, ex altero antiquissimo textu, in quo quidem legitur Narcoticam esse uiolam, sed ita scribit: Et ipsa quidem est infrigidatiua Narcotica. Postea sequitur: id est, sedatiua dolorum calidorum, extinctiua inflammationũ. Vnde sese exponit, quid per narcoticum intelligat, id scilicet quod calidos dolores sedat, & inflammationes extinguit. SEN. Non ne multa alia dolores sedant, ut Rosa, Chamæmalon, tamen Narcotica non sunt? BRA. Sedant quidem, sed non calidos dolores: unde id uocabulum Narcoticum, stuporem significare certum est. Græci enim uerbum habent ναρκέω, quod est stupefacio, & νάρκωμα, uel νάρκωσις stupor: ideo piscem illum qui torpedo à nobis dicitur, ναρκὸν appellant: tamen omne sedãs dolores calidos apud Arabes quodammodo Narcoticum existimatur. At re uera quæ tenui frigore insignita sunt, proprie Narcotica existimare non debemus: tamen aliquo modo dici possunt. Propter id Mesue, ne quispiã pu-

taret uiolas uere narcoticas esse, seipsum interpretatur, dicens: id est, sedatiuas dolorum calidorum. SEN. Primæ sententiæ potius, quàm huic secundæ assentirem, quãuis nec ista à uero dissentire uideatur. Tamen aliud etiã est, in quo Mesue à Manardo reprehenditur, quia uiolas soluere dixit, nusquam uerò apud Græcos uiolas soluere inuenit. BRA. In hoc etiam res mitius agi debuisset, quoniam Arabes uocabula confundunt, & eorum interpretes magis, ut soluere, purgare, & lenire pro codẽ frequentius sumant, & uocabulum soluere, quo utitur Mesue, pro lenire sæpius accipiunt: sed hæc missa faciamus, ut de uiolis receptui canatur. SE. Fiet, si in primis quæ agenda sunt circa uiolas breuibus edocebis. BRA. Quũ multæ sint uiolarũ species, omnes à pharmacopolis seorsum colligendæ essent, & non simul, ut quidam contraria contrarijs miscentes agunt, quoniam rei medicæ multum proficiunt. De nostris autem his uiolis flores seorsum, herbam, & medium illud croceum seruato, nec radices prætermittas, utpote, quæ ab Auicenna non omittantur. Verum in his montibus radices, aut herbam colligere non laudo, quoniam Ferrariæ toto anno uirent, nec dira hyemis frigora illis officiunt. HER. Libenter scirem quibus nominibus apud diuersas nationes appellentur. BRA. In aliquibus tibi satisfactum erit: Galli, uioletes appellant: Germanorum pars, Veil: alij elegantius, uiol dicunt: magis rude est, uiolaten, apud ipsos: Hispani autem urcielas dicunt. SEN. Iusta uiolarum copia collecta est. Tertio loco Rosæ occurrũt. BRA. Nõ minor est in rosis specierũ diuersitas quàm in uiolis. Poëtæ, omnes

Rosæ.

Rosas

Rosas antiquitus albas fuisse tradiderunt: uerum quum Mars zelotypus Adonidem interfecisset, accurrebat Venus per dumeta opem latura, & uulnerato pede, eius sanguine rosæ tinctæ sunt. Alij ex sanguine Adonidis potius, alij sanguine Cupidinis, alij ex uino sparso à Cupidine lasciuiente alis in cœna deorum. Sed hæc poëtarum fabulamenta omittamus. Dic optime senex, quot rosarum genera seruas? SEN. Tria: Rubras, ex quibus oleum electuarium, & saccharum rosatũ conficimus: Communes nostras, ex quibus aquam præ copia facimus, & syrupũ rosatum solutiuum: & albas, quas Damascenas appellamus, pro solutiuo syrupo, & odoratis oleis conficiendis. At nonnunquam syluestres quasdam albas colligimus, quibus rarissime, aut nunquam utimur, sed pro cynorhodis seruamus. Tu (si lubet) quas collecturus sim edoceas. BRA. Apud Theophrastum, & Plinium distincta genera ex locis reperiuntur, ut Prænestina, quæ celeberrima est, Campana, Milesia, Trachinia, Alabãdica. Distincta etiam sunt multitudine foliorum, quæ à quinto usque ad centesimum sunt. Rosæ enim quinque foliorum & non pauciorum, & centum foliorum, & non plurium reperiuntur. Differunt etiam asperitate, leuore, cãdore, odore. En tu rosas, quæ circa hæc ruderata colligas. SEN. Quas legere debeo, & quas partes? BRA. Nusquam legi (quod nunc meminerim) aut herbam, aut radices in re medica ualere, sed tantum flores. Inter flores autẽ puniceas illas, antiquitus laudatissimas seruato, quas Milesias Plinius uocat, ardentissimum colorem habentes, nec duodena folia excedentes. Cõtentus essem, si has solas col

Rosarum tria genera.

Rosæ Damascenæ.

Rosarum distinctio ex Theophrasto & Plinio.

ligeres (quamuis & alijs suauis insit) tamen quum pauciores sint, ad tot compositiones parandas nõ sufficerent: ideo & nostrates has, quæ passim ubere nascũtur habere conueniet, & Damascenas etiã, quas antiqui ignorarunt. Multas enim rosarũ species nesciuit antiquitas, quas Lusitanorum nauigatio annis elapsis adinuenit: de illis enim partibus, aut de his quæ ibi nascũtur, nusquam antiqui loquuti sunt, aut illuc etiam posse nauigari prodiderunt. SEN. Optarem summopere, ut partes in rosa demõstrares, quas hoc anno & alijs subsequẽtibus seruaturus sum. BRA. Multæ sunt rosarũ partes, à Plinio & Theophrasto numeratæ, quas habere opportunũ erit. Vna est, cortex, illa scilicet quæ calycem circundat, quæ quum calyx aperitur, in quinque partes secatur. SEN. Sunt ne illæ, de quibus scriptum est, quamuis ineleganti carmine:

Cortex.

Quini sunt fratres in eodem tempore nati.
Tres sunt barbati, & duo sunt barba absque creati,
Vnus de quinis non est barbatus ubique?

BRA. Illæ equidem sunt, quæ in illis carminibus tanquam ænigma proponuntur. SEN. Valent ne hæ partes in re medica? BRA. Valent, exiccant enim & extenuant, ideo seorsum illas serua. SEN. Ne alias partes omittas obsecro. BRA. Calyx, est illæ rosæ globus antequam fõlia patescant, quem nos uulgò bocolum appellamus: hoc etiam integrè seruandum est, quoniam optime exiccat. SEN. Forsitan quia adhuc immaturus, immatura autem stiptica quodammodo esse consueuerunt. Imò, & quia eam naturã habet, quæ illi sponte innascitur. Flos, est illud medium croceũ capillamentis insidens.

Calyx.

Flos.

Capilla

Capillamenta uero ſunt ueluti tenuia fila, ſupra quæ flo- Capillamenta.
res inſident. SEN. Hæc etiam uires habent? BRA. Ha
bent, quales in roſa inueniuntur, & ſunt hæ calidiores ro
ſarum partes, quibus ad multa pro ratione uti poſſumus.
Simul enim capillamenta & flores legito, multum enim
adſtringunt, Galeno teſte, & pro gingiuis à Dioſcoride:
pro albis uero mulierum fluctionibus à Plinio parantur,
quanquam & pro rubris ualeãt. Caput, eſt globulus ille Caput.
ab inferiori parte, quem ſi aperias, re quadã ueluti lana
plenum uidebis, quod quũ maturuerit, ſemen ambit, aptũ
plantari: non plantatur autem, quia tardiuſcule naſcitur.
Vnde multos deceptos arbitror, qui putarunt, ſemen, eſſe Semen.
id croceum, quod flos dicitur, capillamentis inſidens. At
ſemen in capite eſt, illi uero flores è ſemine prodeũt. De
cipiuntur autem pleriq; Recẽtes qui Antheram roſæ flo Anthera.
rem putarunt. Verum Anthera, Celſo teſte, compoſitio
eſt ad oris ægritudines proficua, quæ tamẽ roſas recipit,
fõlia ipſa ſunt ueluti tegumentum ſeminum: in his enim
natura propter ſemen omnia facit. Sicut etiam in fructi-
bus, ſemen proprie fructus eſt, ut in II. de Anima lib. ab
Ariſtotele docemur, & à Theophraſto in libro de plan-
tarum hiſtoria. Caro autem illa, quæ ſemen circundat,
propter ſemina facta eſt. Lanam illam per ſe colligito, Lana.
quæ ad Gonorrheam mire ualet, & in menſe Octobris
ſuccum ex capite exprimito. SEN. Eſt'ne caput illud,
quod ſubrubeſcit, & craſſius efficitur quum in maturita
tem peruenit? BRA. Illud inquam. SEN. Quum eram
puer libenter eo ueſcebar quadam inſita dulcedine alle-
ctus. BRA. Succus ad paſtillos cõficiendos optimus eſt,

Unable to display this page

Ideo ſcriptum reliquit: In abſciſione ruboris, id eſt, quum roſa rubra non eſt rubra, id eſt, ruborem amiſit, amplius non eſt roſa: niſi ut homo mortuus, eſt homo: nam æquiuoce homo eſt: nunquam autem rubedinem amittit, niſi uel ex ſenio quum in puluerem tranſit, aut quum putreſcit: ut ſi in humido loco roſas dimiſeris, breui ruborem amittũt, & cœruleæ efficiuntur, & tunc non ſunt roſæ. Nec Meſue intelligit ruborem eſſe ueram differentiam, quæ roſam in eſſe cõſtituat: ſed eſſe aptius accidens quàm aliquod alterum ad circumſcribendam differentiam. Quum uerò Manardus infert tunc albam roſam non eſſe roſam, conſequentiam inficiamur: nam in rubris roſis loquitur: in albis autẽ aliquod aliud fortaſsis ſumeret, quàm colorem, ut eius ſpeciem circumſcriberet: nec id uerum eſt, amiſſo colore adhuc odorẽ & adſtringendi uim ſeruari. Si enim per putredinem hoc fiat, non modo non bene olet, ſed grauiter etiam fœtet, potiusq; relaxat, quàm ſtringat. At ſi hoc per ſenium fiat, quum in puluerẽ ducuntur, nihil penitus redolent, & ita ſtringunt ſicuti puluis. Vnde excellentiſsimus Manardus remitti puniceum illum colorem, amitti eſſe putauit: quod non ita eſt: tamen quum exiccatur, diuerſas uires ſubit, ut Græci pariter ac Arabes docuerunt. Sed in altero de hoc celeberrimo uiro miror, qui inquit Meſuem manifeſtè errare: quum dicat albas roſas non ſoluere, quod dignum conſideratu ſit. Nam roſæ albæ de ſeni, quas Damaſcenas dicimus, quum albiſsimæ ſint, tamen cæteras in purgando excellunt. Sed pace dixerim tanti uiri ac mei præceptoris, plus peccat ipſe, quàm Meſue: quoniã Me-

sue sub genere rosarum eas non numerauit, quæ de sceni appellantur: imò sub alio capite à Serapione & ab Auicenna ponuntur. Quippe Serapio 187. cap. sub nomine, Nersim: & Auicenna sub nomine, Nefrim (quamuis uocabula corrupta existimem) & non sub nomine rosæ eas intelligant. Est ergo uanum Mesuem in alba rosa reprehendere, quam sub nomine rosæ non intelligit, sed per albas rosas communes has nostras deprehendendas uoluit. Sed error peior priore detegitur: quia rosæ de sceni eæ non sunt quas damascenas appellamus: non enim sunt sambuco similes nostræ Damascenæ (nisi colore) ut sunt illæ de sceni: quod hi autores referunt: nec Damascenæ nostræ calidæ & siccæ in tertio ordine sunt, ut illæ de sceni. De his autem aliàs, ut deniq; de Rosa finiamus. SEN. *Ego autem nunquam rectè finitũ arbitrabor, nisi omnes rosarum partes, quas collecturus sum, in summa edoceas.* BRA. *Hoc lubentißimè agam si promptas aures accommodabis: Puniceas rosas collige, rubras, albas utpote magis adstringentes) & Damascenas: ex ommibus autem his rosarum speciebus præscriptas partes serua, quæ ad plura in medica arte proficiunt, ut Græci partim, & partim Arabes edocuerunt: quæ (ut felicius numeres) in hunc modum disponentur.*

ROSARVM SPECIES SERVANDAE.

Rosæ puniceæ.
Rosæ rubræ, quæ paßim apud nos sunt.
Rosæ albæ.
Rosæ Damascenæ.

PAR

PARTES ROSARVM SERVANDAE.

Cortex.
Calyx.
Flos.
Capillamentum, uel capillus.
Caput.
Lana.
Semen.
Vnguis.
Folium, dempto ungue.
Succus ex fŏlijs.

Hæc ſunt quæ ſingulatim legenda ac ſeruanda ſunt, ad rem medicam ualde proficua. HER. *Ne prætermittas obſecro quibus nominibus apud alias nationes roſæ appellentur.* BRA. *A Gallis Roſzes dicuntur, ita ſcribentibus ut nos elineauimus, quanquam nonnulli etiam ita ſcribant, roſe, ſed illud, s, legunt ac ſi, z, fuerit, & proferunt, quod plerunq; faciunt Galli quoties, s, ſimplex inter duas uocales ponitur. Germani ros, uel roſen: primum ſingulare eſt, alterum plurale: ſunt autem qui aſperius illud, s, proferant ac ſi noſtrum, z, ſit. Hiſpani ferè ut nos, Roſas uocãt. Tu, ô Senex, quid in tua charta ſcriptum ſit proſequaris.* SEN. *Nenufar ſequitur.* BRA. Nenufar. *Ecce occaſionem præſentaneam habes, ex utraque ſpecie tibi copiam parare, quoniam conuallis hæc, ad quam facilis deſcenſus offertur, his herbis ſcaturit, alba ſcilicet, Nymphæa, & crocea.* SEN. *Cur Nymphæam dicis?*

BRA. Quoniam quam uos corrupto uocabulo Nenufar
Nymphæa. appellatis, antiqui Nymphæam dicebant: uerùm barbaries in pluribus adeò nomina immutauit, ut nullam cum antiquo similitudinem habeat. In hoc autem aliquid similitudinis seruatur, ut Nenufar, quasi Nymphæa dicatur. Ex his duabus herbis flores, & radices colligere nihil impediet: nam foliorum usus (nisi uireant) in re medica nullus est: ipsis enim in æstuantbus renum caloribus utimur. In Ferrariensibus paludibus copiosè nascuntur, si tamen hic præsentes colligere placuerit, libenter expectabimus. SEN. Hunc descensum ægrè fero, satis erit Ferrariæ colligere. BRA. Imò aptiores habent, & exquisitiores nostro cœlo uires. Duo seruanda sunt ad medicæ rei usum, flores, & radices, folijs quando utitur, quisquis accipiet. HER. Ne aliarum gentium nomina prætereas. BRA. In præsenti silebo apud nos uocari, Taiero de aqua, uel Taierazo, sed referam Gallos qui ferè modo Arabum dicunt Nenufar iaulne, Nenufar blanc, album & citrinum intelligentes. Saxones autem Germanorum partes Selekenken appellant: alij in Germania populi Vuassermaehn, alij Seleehbloumen, alij Seehbloum, quasi flores lacuum. Albos autem à croceis distingunt, uueisſz & Gelbuueisſz: seehblüm album significat, Gelbseehblüm luteum. Alij horuuurtz, alij horstrang, alij Rolletuurtz appellant. Nam, ut à principio te admonui, ferè tot sunt herbarum nomẽclaturæ, quot urbes: Hispani ex Lusitania, Golphano. Tu ad reliqua transeas.

Buglossa. SEN. Buglossæ flores offerũtur, quid circunspicis? BRA. Spectabam an aliquo in loco huiusmodi flores uiderem.

Ecce

Ecce, ad illa ſabuleta tranſeamus, ubi iam uideo purpureſcere. SEN. Tranſeamus, tamen potius ſedere optarem. BRA. Nemo poteſt ſedere, & herbas colligere: fortè non ab re erit, ſi aſellum hunc conſcenderis. SEN. Bona uenia conſcendam, quum ætas id exigat. BRA. Ipſum herbæ nomen manifeſtum errorem oſtendit. Vulgus enim hanc Bugloſſum, id eſt, bouis linguam putat, quum nullam habeat cum bouis lingua ſimilitudniem, ſed potius canis linguæ ſimilis eſt: eius enim folia longa ſunt ac ſtricta, cuius figura linguam canis imitatur: boum uerò lingua latior eſt. Non tamen hæc dixerim, quòd cynogloſſum Dioſcoridis eſſe putarim. Inquit enim, Cynogloſſon caulem non habere: ut nobis Ferrarienſibus conſtat, in quorum agro cynogloſſon in terra ſpinoſum non naſcitur: humi enim ſtratum eſt, ut idem autor refert. Verum herba à nobis bugloſſa nuncupata, & caulem, & à terra multum eleuatur. Ideo non eſt cynogloſſon Dioſcoridis. SEN. Quid ergo eſt? BRA. Nihil à me in præſenti certi habebis. SEN. Hoc mihi ſatis non eſt, quia quod collecturus ſum ignoro. BRA. Huius herbæ flores legito, quæ apud nos borago appellatur: nam apud Dioſcoridem & Plinium bugloſſon eſt: Cirſion uerò cũ bugloſſa noſtri temporis ſimilitudinem habere uidetur. Imò Nicolaus Leonicenus præceptor excellentiſsimus eã eſſe ſuſpicatur: tamen in hac re potius ipſi ſenſui, & antiquorum uerbis cõſentirem, quàm alicui alteri. Id tamen non prætermittam, duo genera Boraginis apud nos eſſe, quorum unum cirſion, id eſt, magnum bugloſſon: aliud, Bugloſſon apud antiquos appellari ſuo loco demonſtrabi

Canis lingua.

Lib. 4. cap. 124 Cynogloſſon.

Borago.

Cirſion.

mus. SEN. Optarẽ ut hoc nunc efficeres. BRA. Nolo sermonẽ sermone confundere, aliàs, herbas omnes tibi ad unguem ostensurum promisi. Nunc satis sit, eas herbas & simplicia recensere, quæ in uestris officinis uagantur. SEN. Quid ergo de hac herba colligere oportet? BRA. Flores, herbam, & radices: nec tuam illam ac communem buglossam prætermittas, ne alij medici à tua officina abigantur, quum abesse nouerint, præsertim illi qui bonas literas negligunt. SEN. Hos adeò paruifacere incipiã, ut nec obambulantes salutare uelim. BRA. Nugaris: nullus, uel penitus ignarus, despiciendus est, sed potius ad bonas literas hortandus, quas si amplecti uoluerit, felici omine incipiat: sin minus, sibi imputetur. SEN. Futurum spero ut omnes ueritatem amplecti curent. BRA. Ego secus arbitror: quippe nonnullos cognosco, qui adeò fatuitates, & sophistica deliramenta imbibere, ut ueluti dibapha uestis, nunquam sint colorem amissuri. SEN. Hos missos faciamus, & hic lege Dioscoridem, qui Cirsion nõ esse nostrum buglosson manifeste ostendit, nec etiam boraginẽ. Inquit enim esse triquetrum, id est, habere triangularem scapum. Nostræ autem borago & buglossa rotundum habent: nec etiam in his foliola sunt rosaceorum figura, nec aculeatis per interualla angulis. BRA. Imò adde ipsarum flores non exire postremo in pappos, nec in illos euanescere, sed hæ duæ herbæ potius in semẽ desinunt, quamuis in boragine nonnihil lanuginis sit. HER. Quibus nominibus ab alijs nuncupãtur hæ herbæ? BRA. A Gallis Borago, Bourache: ab Hispanis ex Lusitania, berragenis: à Germanis, burretsch. Buglossa uerò à Gallis eodem

Lib. 4. cap. 114

Unable to display this page

Unable to display this page

inferiorem partem foliorum extra & exteriorem, superiorem intra & interiorem putabam. BRA. Ita equidem est, & illa est Hermolai summi uiri interpretatio, quam legebas. Imò & Dioscorides ita sua lingua dicit: ἔνδοθεν λευκά. ἐκ δὲ τῶν ἐκτὸς χλωρά. quem si nostra lingua ad uerbum referamus, inquit: Intus alba, extra uiridia. Sed in his locis res intelligenda est, ut ab autore ponitur. nam per eam uocem ἔνδοθεν, inferiorem partem, per ἐκτὸς, superiorem intelligit. Quæ Hermolaus ad unguem nõ aduertit, nec omnia possumus omnes: ipse autem uerba potius, quàm rem considerauit. Nunc Ferrariæ ex libanotidis floribus nonnulli pharmacopolæ zucharum parant roborando uentriculo commodum & odoratum. SE. Nos quoq; parare incipiemus, hic flores & herbam colligentes. HER. Quomodo ab alijs nuncupatur? BRA. Galli, Roumarin: Germani, ut nos, Rosmarin: Hispani uerò Romero, dicunt. SEN. Origani flores ad limen ueniunt. BRA. Nulla ferè herba est, & nulli flores, in quibus antiquissimi etiam autores magis dissentiant, quàm in origano, quippe si nunc tẽpus daretur hãc rem pertractandi, omnium in omni ferè specie opiniones dissentire ostenderemus: tu uerò herbam, & flores colligito huius nostri uulgaris, quo utimur, & potius in his montibus, quàm Ferrariæ: hic etiã copia non modica offertur, quem si gustu tentes, saporem alterũ, & acutiorẽ in hoc mõtano persenties, quàm in nostro humido Ferrariensi solo. Ideo & uires etiam exquisitiores hic habet. SEN. Quam speciem hanc nostram uulgarem existimas, apud antiquos? BRA. Ea est, quam origanum heracleo-

Origanus.

Origanus Heracleotica.

ticam Dioscorides appellat, ab Heraclea urbe Ponti, in qua perfectißima exuberat: tamen alijs plerisq; in locis nascitur. SEN. Quemadmodum sunt diuersæ origani species, ita etiã ad diuersas ægritudines ualẽt. BRA. Paulus Aegineta qui de omni specie origani simul agit in genere, inquit omnes species origani incidere, extenuare, siccare, & calefacere. SE. Fieri ne potest, ut una species altera efficacior sit? BRA. Imò ita esse constat: nã Dioscorides priuatim syluestrem origanum uenenatorũ morsibus ualere tradit, flores & fõlia, cũ uino bibita: & Plinius Tragoriganum pluribus priuatim cõferre censet, tamen & omnes aliæ species in idem concurrunt. Sed ne in tanta antiquorum differentia nunc uelimus sententiã ferre, herbam & flores huius nostræ uulgaris in his montibus colligere nõ desinas: suo enim loco species omnes tãquam digito ostendere, & autorum differentias cõciliare conabimur. SEN. Iam ingentem copiã exaceruauit Herbarius. BRA. In meum etiam usum ac gratiam partem accumulet: nempe eius puluis supra coctos mugiles summè placet, nec in placentis, aut phaselis, alijsq; obsonijs immisceri displicet. SEN. Neapolitani hoc puluere frequentißime utũtur. BRA. Et Græci intinctus plures ex origano parant. Vide hic miram naturã, & ingens odiũ cum Brassica, ubi uiret unum, alterum perit, & arescit. En brassicæ istæ propinquæ aridæ spectantur? SE. Quæ est huius rei causa? BRA. Multarum rerum causæ reddi non possunt: non enim à cognitione oritur hoc odium, sed potius ex quadam naturarum contrarietate & dissidentia, ut lupus ouẽ odio habet, & gryphus equũ. Sunt

Origanus syluestris.

nonnul

nonnullæ manifestæ proprietates, quarum determinatas, & statas causas philosophorum præcipui inuenire nescierunt. HER. Satis mihi erit si aliarũ urbium nomina edocueris. BRA. A Germanis Dosten, à Gallis origan, ab Hispanis oregano appellatur. SEN. Liliũ ex nostro ordine sequitur, quod nos album appellamus. BRA. Nullus antiquorũ albũ addidit, sed absolutè liliũ, aut liriũ dicunt, adeò mire & apte à Plinio descriptũ cap. V. XXI. uolu. ut eius descriptio cũ natura certet. Fingũt ex lacte Iunonis dormientis in terra effuso natum, quũ Hercules puer lac incertè & uagè, ut pueri faciũt, exugeret: unde Rosa Iunonis dictum. Plures sunt eius species, sed potissima hæc est qua utimur, à Græcis Crinon appellata: flores potissimum colligas, ex quibus lirinum, uel susinum unguentum fit, de quo Plinius cap. XIX. lib. XXI. uel succus, nos oleum liliorum alborum ita appellatum conficimus: postea radices, quæ ueluti bulbi sunt, seruato, ad rem medicam aptissimas, ut Plinius ac Dioscorides testantur: nec fõlia prætermittas, quarum succus dum uiridia & recentia sunt, exprimendus, & aceto ac melle in æneo uase coquendus contra uetusta ulcera, nouaq; uulnera optimus: flores tantum colligere didiceramus, sed nunc fõlia etiam ac radices non prætermittemus. HERB. Aliorum nomina edoceas. BRASA. A Germanis lilien, ut in en finiat: ab Hispanis lirio, à Gallis lis blanc dicitur. SEN. Meliloti flores lilium sequuntur. BRASA. Nostri, trifõlij florem quendam colligunt, quem melilotum uocant, ita à meliloto differentem, ut rosa à lilio. Latini sertulam campanam uocant,

Lilium.

Rosa Iunonis.

Crinon.

Melilotus.

Sertula Campana. *uel sertam campanicam, Catone teste, sertam, quia coronas ingrediebatur: Campanicam, quia in Campania oritur, præsertim circa Nolam eius regionis urbem: nõ multum laudo, ut hic melilotum colligas, sed in Campaniã facile mittere poteris, quum naues olei gratia Apuliam petent: non tamen ita in Campania (quæ nunc terra de lauoro dicitur) nascitur, quin alibi nasci nõ possit.* SE. *Iubebo etiam semina afferri: sed quum melilotus trifolij species sit, florem luteum habens, & hoc trifolium sit florẽ luteum habens, cur melilotus non est?* BRA. *Alia plura exiguntur, odora hunc florem.* SE. *Iam odoro, sed nihil penitus nisi herbacei offertur.* BRA. *At melilotus odorẽ habet, quamuis languidum, arida autem diutius odorẽ seruat.* SEN. *Hæc autem semper inodora est.* BRA. *Habet etiam melilotus pinguissima folia, quæ in nostro hoc non extant, nec cana sunt folia, ut Plinius illi attribuit capite nono* XXI. *uoluminis, tamẽ ubiq; nascitur apud nos, & nostræ mulieres trifolium appellant: Germani uero Bernklehe, hanc nostram melilotum uocant: tamen si ex genere meliloti sit, iam degenerauit. Nos autem uidimus, & habemus ueram ex Campania allatam, & eius semina terræ mandauimus, sed degenerarunt in nostro solo Ferrarienſi: tamen certum est trifolij folia habere, quod & nomen lotos ostendit.* SEN. *Tibi morem gerere statui: quum nuntij occasio offeretur, in Campaniam mittã, ut herba, flores, & semina afferantur.* HER. *Nõ sinam uos loqui, nisi aliarũ gentium nomina edocueritis.* BRA. *A Gallis etiam Melilont: ab Hispanis, corona de Rey, quasi corona regia: à Germanis gelutele appellatur, ac si*

dixe

dixerint trifolium croceum. SEN. Saluiæ flores sequuntur. BRA. Hæc herba in locis asperis nascitur, & hortis: quæ in hortis, elelisphacus à Theophrasto uocari accipitur, v 1. de historia plantarum libro. Syluestris autẽ ab eodem sphacelon appellari uidetur, quæ ad omnia in re medica efficacior est, ut suo loco exquisitè edocebimus. Tu nunc in hoc aspero loco, herbam, & flores colligito, quæ seorsum ad plura conferunt. Decipiuntur uero, qui uulgare nostrum eupatorium, syluestrem saluiam putarunt, sed hæc est similis hortulanæ, nisi quòd latiora & maiora fõlia habet, quæ & in hortis etiã reperitur. A Gallis autẽ saluia, saulge dicitur: à Germanis salbey: ab Hispanis, ut nos, saluia, sed ponendo accẽtum supra, i. SEN. Tassi barbassi flores accedunt. BRA. Nõ est opus in hac herba, quæ à Græcis phlomos, à Latinis uerbascũ, à Galeno plomos appellatur, multum immorari, & si uarias species habeat, quoniam eisdem uiribus insigniũtur. Ad campestria igitur illa descẽdens, flores per se, & herbam seruato: tamen marem potius, quàm fœminam habere curarem, quia in omni ferè specie mare ineptior est fœmina: tamen ab autoribus nulla species altera efficacior probatur. Germanorũ pars illam Vuulkraut, quasi lanea herba: nam ex ipsa lychnia fiũt: unde à Dioscoride lychnitis & Thryallis dicitur, cuius flos albus est: etiam à Germanis dicitur Marghicherzen, id est, Mariæ cãdęla. Alteram uero speciem purpureum florem habentem campulosam, & Marien rosen, id est, Mariæ rosam appellant. Hispani uero, ut Latini ferè, & Galli, Melon blanc uocant. SEN. Rubri papaueris flores accedunt.

Saluia.

Sphacelus.

Tassus barbassus.

Lychnitis. Thryallis.

Papauer rubrum.

BRA. Nusquã apud antiquos sub nomine papaueris reperitur, Anemonem uocant, quoniam nunquam aperitur nisi flante uento: non tamen hoc dico, quin etiã nouerim esse agreste papauer, uel papaueralida, de quo Dioscorides distincte ab anemone, tractat. Verùm quod rubrũ papauer dicimus, est Dioscoridis anemone: quippe erraticum papauer duos tantum colores habet, rufum, & candidum: anemon uero plures, & præsertim rubrũ, ut edocebimus, ut ex his constet rubrum papauer apud nos uocatum esse Dioscoridis anemonẽ. Cuius duæ species sunt: syluestre, id est, sponte in incultis nascens, & quod in cultis nascitur: syluestre hoc est, in hac rupe uirẽs, quod etiã frequenter parietes ascendit, hoc (si lubet) colligas, quoniam efficaciores uires habet, quàm cultis locis nascens, sed hoc ex coloribus species uariat: nam aliquæ puniceos flores habent, aliquæ subalbos, aliquæ lactescẽtes, aliquæ purpureos. Nos anemone utimur flores rubros habẽte, in triticis plurimum nascente, quam Dioscorides τὰ ἄνθη φοινικᾶ, id est, flores puniceos habere dicit. Hermolaus Barbarus interpretatus est florem sanguineum, nam hic flos bilioſum sanguinem præsentat: nec ab re fortaſsis ita Hermolaus interpretatus est, florem sanguineum, quoniã poëtæ ex Adonidis cruore natã uolũt. SE. Sum'ne tuo iudicio alias species collecturus? BRA. Vt lubet, sed ego potius in Ferrariensi agro colligerẽ, ubi ingens copia habetur: nostræ mulieres Rosellas appellant, à rubore, uel quasi sint paruæ rosæ: Germani uero à strepitu quem faciunt folia quoties imposita supra manũ, & altera manu percussa crepitant, Claperrosen, id est, crepitans rosa, appellant: quamuis & proprium nomen Germanũ habeãt

Anemone.

Anemones species duæ.

huius floris, scilicet Glitschen, quod tamen ex crepitu ducitur: Galli, ut nos, pauot rouge: Hispani nonnulli Latinum imitatur, quanquã & apud alios Germanos uuild maen, & ab alijs corn rosen appelletur. Nostræ mulieres pro decoranda facie aquã parant. Antiqui Aegyptij ex hoc flore morbos hominũ intelligebãt, Horo teste: huius herbæ in re medica usus est radice, fõlijs, & flore, imò antiqui florum uires breuibus transigunt, circa herbã & radices uires edocẽtes: tu autẽ, ne in hac re nimis immorari uideamur, ad alios flores transire coneris. SE. Croci flores colligendi. BRA. En circa hanc semitã, prope illum fonticulum, quomodo terrã pingãt cõsideremus. SE. Reuera croceus ille color uiridi mixtus perpulchrã picturã efficit. BRA. Ibi flores & bulbosas radices seorsum collige, quæ ad ciendam urinam cũ passo apprime ualẽt: nec multum refert, montanũ aut satiuũ seruauẽris, degenerauit autẽ quod nostræ mulieres gruogo, quasi crocũ appellant. Iam cœpit Ferrariæ plãtari, nec modicus est prouẽtus. Galli Arabico nomine utũtur, ut nos etiã uulgò, zapharan dicẽtes, sed sequẽti modo scribũt, saffran: ita enim & apud Mauritanos ferè dicitur: Germanorũ uero pars etiam saphran: Hispanorum autem casran appellant. Croci flores.

SEN. His sambuci flores adnectuntur. BRA. Sambuci duas species antiqui fecere: maiorẽ, quæ arborescit, hanc nunc quæris: & minorẽ, quæ ebulus etiã uocatur. Vnde à Græcis χαμαιάκτη, id est, humilis sambucus: ἄκτη enim sambucũ dicũt: eædẽ sunt uires ambabus speciebus. Ne sis autem floribus contentus, sed radicem quoque atq; folia seruato, quæ in re medica seorsum ualent, teneros caules Sambucus.

aſcliticis relinquas,& granorum etiam ſuccum,quũ maturuerint exprimito,ad capillos inficiendos aptũ. Apud antiquos nulla eſt pro medicare florum recordatio, nũc uero ipſi ſolũ expetuntur,nos uulgò uacolas appellamus, quibus mulieres paſtillos,ex ipſis, ouis & caſeo in menſe Maij, & quãdoq; lac addentes parant. S E. *Ex interiori cortice ſuccum etiã pro aſcitis, & ex medulla puluerem ſeruabo: quin etiã uirgas collecturus ſum, pro baculis ad podagricos leuioribus parandis.* B R A. *Videris ex pharmacopola lignarius faber euadere.* S E. *Hoc ago,ut nihil meæ officinæ deſit quod ægris aliqua in re cõducere poſſit.* H E R. *Hoc ipſi cõcedatur,ſed baculos Ferrariæ accipiemus.* S E. *Ne tu aliarũ gentiũ nomina deſeras.* B R A. *Germani ſambucũ, holder appellãt, ex cõcauitate: unde ridicula ex eo nomine fingũt & ferè ænigmata. Hiſpani,*

Zeneſtræ flores. *xabugo. Galli uero,ſureau.* S E. *Zeneſtræ flores ſequuntur.* B R A. *Geniſta,& ſpartum rectius dicitur, in re ruſtica pro ligandis uitibus apta. Hunc locũ incultum accedamus,ubi magna copia uiret: flores & ſemina ſeruabis,*

Zeneſtræ uirgæ. *quanquàm & Ferrariæ nũc innaſcatur,& in omni horto magna copia uireat. Nec prætermittendæ uirgæ,quæ in aqua maceratæ,& expreſſo ſucco ad anginas & coxẽdicum dolores ualẽt. Radicũ nulla mentio apud antiquos eſt,quibus tamen plerunq; ad educendã aquã intercutem uſus ſum. An uero proprie differentia ſit inter ſpartũ & Geniſtã,& de duplici eius genere,in eo libro pertractabimus,quo herbarũ diſcrimina,et ſpecies aſſignare iam cœpimus. Galli Geneſt appellant: Germani uero, Genſter.*

Labruſcæ flores. S E. *Lambruſcæ flores ad limen ueniũt.* B R A. *In hac re*

plures

plures optimi uiri decepti sunt, uitẽ syluestrẽ cũ labrusca confundentes, imò nõ solũ recẽtes, ut Serapio ac Arabes, sed & Plinius propter hoc nomẽ deceptus bis de hac re sermonẽ fecit, XXIII. uol. cap. II. & XXVII. cap. VII. sed nobis nũc opus non est opiniones autorũ recensere. Vocabulũ hoc ἄμπελος ἀγρία, id est uitis syluestris, æquiuocum est: nam herbam quandam significat, quæ uitis quidem non est, sed ob fructum racemosum uitis appellatur, quum tamen fõlia uitis non habeat, sed hortensi solano similes sint. Alterum significatum est, labrusca à Gallis resin sauluage nuncupata: à Germanis etiam nomen non habet, nisi ex uite et syluestri compositum, quæ à domestica uite nihil differt, nisi quia syluestrem habitum habeat, nec colitur: & non modo hæ duæ agrestes uites figura differunt, sed & uiribus: nam illa calidissima est, & ui caustica, & depilatoria insignitur, hæc autem frigida, & adstrictiua. Dioscorides etiam agrestis uitis duo capita fecit. Vnũ, in quarto libro, ubi de herbis agit. Alterũ, in principio quinti uoluminis, ubi de uitibus pertractat. Flores huius herbæ, qui non peruenerint ad maturitatem, colligito, uerùm fõlia, & palmites, & capreoli in medicinæ usum seruantur. Fit ex œnanthe, id est, labruscæ flore, oleum ac unguentum: appellant enim labruscæ flores œnanthe, quamuis & herba sit eiusdem nominis, cuius Dioscorides libro tertio meminit. Mirãdum tamen est de Marcello, qui in œnanthe, id est, labruscæ flore, dicit se nunquam legisse apud Dioscoridem herbã aliquam quæ œnanthe diceretur. Ex his quæ edocuisti in Serapione mirum errorem percipio: is enim uir hæc duo

Vitis syluestris.

Oenanthe.

genera agrestis uitis confundit, prius enim inquit agrestem uitem fòlia habere solano similia, quod uerum est in herba iam dicta: postea huius herbæ uires scribit, mox flores describens, & quomodo fructus faciat, de labrusca, id est, de ea uite syluestri, quæ inter uites nũcupatur, pertractat. Imò quod mirum est, inter uites de illa syluestri loquitur quæ hærba est, & illi contrarias uires assignat. BRA. O` beate senex, in hac re optimè sentis, utinã alij non essent adeò ceruicosi, ut rem non aspernarentur, ita enim quisque incorruptam ueritatem cognosceret, sed pauci sunt qui norint uera bona. Ideo & tu, quæ prædicta sunt boni cõsulas, & alios flores numera, quũ Ferrariæ labruscæ copia scaturiat. SEN. Balaustium occurrit. BRA. In hoc flore apud Græcos & Latinos differentiam uideo: quippe Theophrastus, Dioscorides, Paulus, & Aëtius flores Mali punici duobus nominibus appellant, Balaustium & Cytinum: Cytinus est flos domestici & satiui mali, Balaustium syluestris. Intelligũt uerò per florem nõ fòliola illa tantum, sed & calycem, qui pomum efficit, cuius rei argumentum est, quòd Dioscorides comparans uasculum hyoscyami, in quo semina sunt, cytino comparat: certum uerò est in fòliolis illis non esse semina, sed in calyce. Plinius autẽ inter Latinos præcipuus decimoseptimo capite uoluminis decimitertij, balaustium mali punici florem simpliciter nominat: nec inter satiuũ & syluestrem distinctionem facit, quem omnes recentiores medici imitantur, per balaustium cuiusuis mali punici florem intelligentes. Idem Plinius capite sexto uigesimi tertij uoluminis, cytinos appellat primos huius pomi

Balaustium.

Mali punici flores ab autoribus duobus nominibus appellati.

partus

partus florere incipientis: Balaustium uerò floſculos in hoc ipſo cytino, antequam mâlum ipſum prodeat, erumpentes. Ex Plinio nihil aliud intelligere poſſum, quàm cytinum eſſe florem ipſum nondum apertum, & qui fóliola illa rubra non emiſerit. Poſtquam uerò erupere, & iam fóliola rubeſcunt, balaustium dicitur: fortè cytinus appellatus, quia eo colore ueſtes tingantur: aut à κύτος, quod Græcis ambitum, et captum ſignificat, quia intus fructus uel florem capiat: nunc uulgato nomine apud pharmacopolas utamur, tam domeſticos, quàm ſyluestres nomine balauſtij intelligentes. Ita enim & Galli communi nomine balauſt, & Hiſpani flor de granada: & Germanorũ pars, balausten (his enim ob ingentiſſima frigora magna Germanorũ pars caret) appellãt. Eadem uis domeſticis & ſyluestribus ineſt, Dioſcoride teſte, quamuis ego maiorem uim adſtrictoriam ſyluestri tribuerem. Syluestres hic colliges, domeſtici Ferrariæ habẽtur. Nunc Venetias ex Creta, & alijs orientalioribus partibus ualde punicei afferuntur, quos propriè balauſtia nonnulli pharmacopolæ cenſent, quum re uera & apud nos balauſtia, id eſt, mali punici ſyluestris flores ſint. SEN. Ex his arboribus quid colligendum cenſes? BRA. Nunc flores quum maturuerint, poma, ſuccum, malicorium, & cicum, id eſt, pelliculam acinos interſtinguentem, quæ & ipſa rei medicæ conducit: nunc etiam balauſtij ſuccum parare poteris, & pro commodo ſeruare. SEN. Hæc de balauſtio ſatis ſint: flores ſequuntur, quos Cheiri dicunt. BRA. Cheiri.
De his, quum uiolas colligebas, nonnulla diſſeruimus: quæ enim à Græcis leucoia, ab Arabibus Cheiri appellantur:

Unable to display this page

à uiolis, & leucoijs, Iaſmini diſtincti uideantur, id teſtimonium eſſe poteſt, quòd Serapio tria diuerſa capita fecit. Vnum de ſeneſtegi, quod illi reſpondet quod de ἴον, id eſt, uiola, Dioſcorides tractat: Mauritani enim ſeneſtegi, uiolam dicũt. Aliud de Cheiri, in quo Dioſcoridem in leucoio preciſe imitatur, & tertium ab his diſtinctum de Zambach, uel Sambach, id eſt, Ieſemim: in quo capite oſtendit manifeſtè rem eſſe à Dioſcoride, & Galeno non pertractatam, quoniã Arabum teſtimonio tãtum utitur. Et quamuis ſpecies diſtinguat per colores, ut in leucoio fit, in album, citrinum, & cœleſtis coloris (ut eius more loquar) tamen hic album citrino præmittit, ſicut in leucoio citrinũ albo. Id autẽ oleum, quod à Græcis Iaſminũ uel unguentũ dicitur, ab Arabibus zambachinũ uel ſambachinũ appellatur, magno ægrorũ diſcrimine, ex craſſa plurium medicorũ ignauia, qui rerum nomina neſcientes pro eo ſambucinũ oleũ accipiunt, quũ diuerſæ ſint huic & illi uires. Decipiũtur autẽ ex nominis ferè affinitate, ſambacinũ, & ſambucinũ à ſambuco, ſed hæc aliàs: tu interim alios flores enarra. SEN. Iam flores expediti ſunt, quorũ apud nos uſus eſt. BRA. O mira & nimis decurtata res, tam paucos flores in officinis habetis? tamen infinitæ herbæ ſunt, quibus odorati, pulcherrimi, & in re medica efficaces flores inſident. SEN. Poſteaquam hanc artem exercere cœpi, quod à primis unguiculis ferè fuit, nunquam alios flores legi, aut ab alijs pharmacopolis ſeruari percepi. BRA. Arabes rem medicam plurimum decurtarunt, quorum ueſtigia pharmacopolæ imitantur. Verum poſt flores quid collecturus es? SEN.

Unable to display this page

sequuntur. BRA. Optimè duo hæc sigillatim numerasti, à Græcis ambo σέριϛ appellantur: à Latinis intubus: in satiuum & agrestem diuiditur. Agrestis apud Ferrariense uulgus, syluestris radicula nuncupatur: ab auctoribus, picris & cichoreum, quamuis nonnullæ etiam urbes in Italia sua uulgari lingua cichorea uocent, ut Romani, Neapolitani, Thusci, & plures alij: eodē modo Galli, Cichoree dicunt, & Hispani: Germanorum uerò pars, uueguuardt appellāt, quasi custodē uiarum: nam uidetur ferè indicare uiam peregrinis: à profundioribus uerò Germanis, ut Saxones sunt, hirtlaup dicitur: ab alijs crassiusculè, uuege uuisse, quia uiam etiam demonstret. Græci tamen per cichoreum, tam domesticum, quàm syluestre intelligunt. Satiuum duplex est. Vnum, latiora fōlia habens, lactucæ similius, quod nos endiuiam corrupto uocabulo, quasi intubum appellamus: Hispani ex Lusitania, Almeyrorem: à Gallis, Endiue: à Germanis addito n, endiuen. Alterum, strictiora fōlia habet, quod radiculam hortensem nostra lingua dicimus, uel radechio, à multis capillamentis per radicem transeuntibus. Hæc igitur communia uocabula sunt, seris, intubus, cichoreum: sed usus fecit, ut apud nos cichoreum, syluestrem radiculam significaret, quam picrida Græci uocāt: Latini, ut Celsus, Ambubeiam appellare uidētur: Germani plures, præter dicta nomina, hindtleuff. Intubus uerò aut seris eā significat, quam corrupto uocabulo Endiuiam dicimus. Ex his herbis & radices colligito, quæ in Ferrariensi solo efficaciores existunt: præterea expressum succum ad multos usus serua. SEN. Est'ne uerum speciem helio-

Ambubeia.

Intubus.

tropij Cichoreum esse? BRA. Id plerunque obseruaui, sed nunquam uerum esse percepi, quanquam ab autoribus certum esse scribatur, sed hoc nihil ad rem tuam.

Scolopendra. SEN. Ergo Scolopendra sequitur, quam sinistrorsum in illo umbroso loco uirere cerno, præsertim lapidibus inhærens. BRA. Et tu ex illis es, qui scolopẽdrium hanc herbam putant? SEN. Nec aliud unquam audiui aut noui. BRA. Illam ergo esse putas quæ à Dioscoride

Asplenon. Asplenon appellatur? SEN. Illam inquam. BRA. Et tu summè erras: sed utinam error in legenda herba tãtũ esset: audias ergo quomodo illa nõ sit scolopẽdrion, quã uos in officinis habetis, & à Gallis etiam scolopendre appelletur: à Germanis uerò Hirtzzung, quasi lingua cerui dicant. SEN. Libenter hoc audiam. BRA. Dioscorides fõlia similia scolopendræ animali habere tradit. SEN. Et habet nescio quas lanugines in auersa parte, quæ huic animali assimilantur. BRA. Sed hoc non est habere fõlia huic animali similia, sed potius aliquid in fõlijs huic animali simile habere: quæ autem sequuntur aptius te mouebunt: addit, polypodij modo incisuris diuisa. SEN. Nulla est huius herbæ cum polypodio affinitas, nec incisuras habet. BRA. Sequitur, ex inferiore parte aspera & flaueſcens, superiore uiridis: quod in uestro hoc scolopendrio non inuenitur. SEN. Nihil ad me, modo eisdem uiribus muniatur. BRA. Imò contrarias habent, quoniam hoc scolopendrium, quod legere parasti, constrictiuam uim habet, & dysentericis prodest: medici autem tanquam herba aperiente, lienes dissoluente, & calculos frangẽte utũtur. SEN. Hic esset execra

bilis

bilis, & nefandus error. BRA. Imò est, & nescio cur medicos non pudeat simplicium medicamentorum notitiam omittere, non sunt ipsi qui medeantur, sed mulieres illæ, quæ herbas inueniunt, ut Leonicenus quandoq; per iocum disceptabat. SEN. Miror, ac miratus sum frequẽtissime, nostræ ætatis medicos non modo non callere simplicia, sed eos etiam deridere, qui hæc sequantur, & qui aliquid egregij in his parare conentur. BRA. En quorsum res medica trahatur, habemus qui proceres nostra urbe appellari uolunt, purpurati, ac togati incedẽtes, qui duas summas medicæ rei partes ignorant, simpliciũ scientiã, & anatomen, sine quibus nemo aut medicus, aut medico similis appellari debet: hos autem relinquamus, ad rem nostram redeuntes, uidesne circa huius putei latera inhærentem herbam? SEN. Video, & iam fõlia accepi. BRA. Hæc est Asplenon uel scolopendrion antiquorũ. SEN. Nos istã Citharac appellamus. BRA. Vel citharac: aut Cetharac, aut quolibet alio barbaro nomine appelletur, ea est quæ antiquioribus scolopendrion, Asplenion, & à fibris, quas habet in modum filicis, pteryx. Quod ignorãs Marcellus, illius nominis rationẽ reddere ignorauit, à Gallis ceterach etiam dicitur, & ab Hispanorum parte: à Germanis uero styenkern. SEN. Ea inquam est, si descriptionem recte considero: deinceps autẽ quid acturus sum? BRA. Hanc pro scolopendrio serua, quam Citharac appellasti, & quum ignaui medici scolopendrium ordinabũt, hac utere: Tamen nec illud cõmune scolopendrium pro dysentericis omittas, quod à Dioscoride phyllitis, quasi fõliosa dicitur, passim lingua ceruina Citharac. Phyllitis.

nuncupatur: à Gallis etiã ſcolopẽdre: at à Germanis magis proprio uocabulo hirtzzung, id eſt, lingua cerui. Infra autẽ Leoniceni errorẽ uidebimus in lingua cerui, quã hemionitida putauit, quũ potius ſit phyllitis. SEN. Si lubet, deſcriptionem huius phyllitidis conſideremus. BRA. Maxime lubet, Rumicis fõlia habet, longiora tamen, & ſpecioſiora. SE. Hucuſq; res ita ſe habet. BRA. Interius leuor, auerſis annexos exiles ueluti uermiculos præferens. SEN. Adeò illa eſt, ut nec cæcus errare poſſit: ſed quæ fuit tam magni, & execrabilis erroris cauſa? BRA. Nihil aliud arbitror, quàm quod ſub fõlijs ueluti uermiculos habet: in uſu autẽ medico uires cõtrarias habet, quàm ſit communis, & uulgatus eius uſus. SEN. Gaudeo in hanc ætatem ſeruari, utpote qui in multis uerum aſſequi potuero. Abſinthium ſcolopendri terga conſequitur. BRA. Montanum paluſtri noſtro efficacius eſt, ideo hic colligere opportunum erit: herba notiſſima, hæc præſertim quæ barypicron ab amaritudine, & ab odore dicitur: à Gallis abſinſe: ab Hiſpanis aloſena: à Germanis Bermuet, quaſi prohibens alacritatẽ dicta: fortè ob guſtũ ita appellarũt Germani. De ſantonico, et ſeriphio, id eſt, marino, aliàs loquemur: tu in his montibus hoc collige, quo omnes in re medica utuntur: oſtendunt enim oculata fide montanum efficacius eſſe paluſtri, aquæ, quæ ui ignis eliquantur. SE. Menta ſequitur. BRA. Duas, aut tres herbas numera. SE. Poſtea calamentũ. BRA. Siſte, quoniã has duas recte copulaſti: Menta notiſſima eſt herba, & humano generi pluribus nominibus utilis, cũ in medicamentorũ, tum in cõdimentorum uſu, à Luſitanis ortelan, à Gallis

Abſinthium.

Menta.

à Gallis Mente, à Germanis Mirz dicta: calida, & uentriculo ſummè apta, ut de Ariſtotele mirãdum ſit, qui eã frigidam, & ſeminis uirilis abſumptiuã dixerit, in Problematum libris, ubi rationem reddit cur belli tẽpore ſerẽda non ſit. Hermolaus per ſe quidem calidã fatetur, ſed fieri poſſe, ut per accidens infrigidet. Suſpicor autem ego ibi corruptum eſſe uocabulum, nec mentam legi debere, ſed herbam alteram frigidam, in qua re quid ſentiã aliàs me edocturum promitto: ſylueſtris menta, Mẽtaſtrum à nobis dicitur: à Gallis, Mente ſauluage: ab Hiſpanis, Mentraſtes: à Germanis, uuilt mintz, id eſt, ſylueſtris menta: hoc peculiare Germanis eſt, ut adiectiua ſubſtãtiuis continuò ſua lingua præmittãt. Ad omnia ualet, ad quæ mẽta, ignauius tamen: ideo ſolam mẽtam habere ſtudebo, ut re efficaciori, & nõ minus efficaci utar. Calamintha à mẽta nomen habere uidetur, quã & Galli calament dicũt: tamen re uera non habet cum menta figuram: & licet tria genera calaminthæ inueniantur, montanum ſcilicet, quod prope pedes habes, ocimi fõlia præ ſe ferens, & alterum, odorem pulegij, tertiumq; fõlia mentaſtri, longiora tantum habens: omne tamen genus, Nepeta, à Latinis nuncupatur, quamuis peculiari nomine ſecundum genus à Romanis Nepeta dicatur. Noſtri pharmacopolæ duo uulgata harum herbarum nomina habent, neueda ſcilicet, & herba Gattara. SEN. Hoc magis notum mihi eſt, quàm ut dicatur. BRA. Sed his, quæ dicturus ſum, mentem adhibeas. Quam uos nepetam ſiue neuedam, aut herbam Gattaram appellatis, ſecunda ſpecies calaminthæ eſt, quam nonnulli agreſte pulegium uocant, ut Dioſcorides

Mentaſtrum.

Calamintha.

Nepeta.

Neueda.

Gattara.

inquit, quia pulegio aßimilatur: id autem nõ in fõlijs, ſed
Calamentum. in odore intelligendum cenſeo. Eam uero, quã calamentũ
appellatis, eſt tertia ſpecies calaminthæ, ignauior & in=
efficacior cæteris: quam uero hinc habes in hoc cãpeſtri,
aſpero & aquoſo loco, calamintha mõtana eſt, omnibus
efficacior. Quã ob rem quum hæ tres ſpecies æquas uires
habeant, & tertia, quam uos pro uera calamintha colli=
gitis, cæteris inefficacior ſit, eam dimitterẽ, & montanã
ſolum colligerem, aut etiam ſecundam ſpeciem, quã Ro=
mani proprie Nepetam dicunt, quãuis & hoc eodẽ nomi
ne tres ſpecies ſignificẽtur: quumq; ab aliquo medico ca
lamintha, aut Nepeta, aut herba Gattara ordinatur, ſem
per aut montanã calamintham, aut hanc, quam uos Gat
tariam uulgò appellatis, & apud Dioſcoridem ſecunda
ſpecies calaminthæ eſt, accipito. Itaq; nullus fiet error,
& illa inefficax herba dimittetur, à Dioſcoride tertia
ſpecies calaminthæ, & à uobis peculiari nomine calamẽ=
tum nuncupata. SEN. Hoc conſilio utar, quandoquidem
Maiorana. optimum eſſe uideatur. Maiorana ſequitur. BRA. In hac
herba, quæ Amaracus dicitur, an eadem eſſet cum ſam=
pſucho dubitaui, eandem eſſe Plinius apertißime oſten=
dit lib. XXI. cap. IX. & Theophraſtus, imò & ipſemet
Dioſcorides ſampſuchum amaracum appellari tradit.
Quod autẽ dubium fecit, primus Dioſcoridis liber fuit,
in quo duo capita ſunt: alterum, de ſampſuchino unguen
to: alterũ, de amaracino, ac ſi amaracus & ſampſuchus
duo diuerſa ſint. Re uera multũ dubitaui, & nonnunquã
huic ſentẽtiæ hærebã, in primo libro additum eſſe ab ali
quo librario caput de amaracino ungũcto. Mox id præ=

ter rem

ter rem esse cognoui: quoniã Galenus, & Paulus Aegineta duo diuersa capita, & ipsi faciunt, alterum de sampsuchino, alterũ de amaracino unguẽtis. Imò & Plinius seorsum Amaracinũ à sampsuchino describit: fortè quẽadmodum & nunc, nõnulla in uno Italiæ loco fiunt, quæ in altero precioſiora, & diligentius fieri possunt, ut Theriaca, quæ apud Tortonam laudatißima existimatur, tamen ubiq; etiã fit (sed nullibi uera) ita usu uenit in amaracino unguẽto: ex sampsucho enim fit, tamẽ in Cyzico perfectius fiebat: nam & ibi amaracus perfectior est, & efficaciores uires habet: hinc ex urbiũ diuersitate, perfectius & imperfectius unguentum fiebat, & secundũ aliarum urbiũ nomina uario modo denominabatur. At quia diuersæ compoſitiones erant, ideo duobus nominibus appellabantur, & duo distincta capita facta sunt. Non tamen hoc ideo est quia sint duæ herbæ sampsuchus, & amaracus, sed quia ubi fit perfectũ hoc unguentũ, id est, in Cypro, secũdum Plinium, & Cyzicenis, quæ sunt propinquæ Siciliæ, ubi nominatur amaracus, ideo potius illa compoſitio dicta est unguentũ amaracinũ: illa uero altera in tota Græcia facta ubi sampsuchus appellatur, suæ compoſitioni nomen dedit, & sampsuchinũ unguentum dictum est. Quæ diſſolutio ex hoc suſpecta est, quia diuersæ sunt compoſitiones & nõ eadem, dempto solũ nomine: propterea id fortè melius, quum duæ sint amaraci ſpecies, una odoratior, quã nos uulgò gentilẽ appellamus: altera minus odorata, & habens latiora fõlia, ex odoratiori Amaracinum unguentũ fiebat, quod Cyzicenis potißimum cõponebatur, quoniã is locus gentili maiorana

exuberabat. In alijs Græciæ partibus fiebat ex inodoratiori, ideo ſampſuchinum dictum eſt: quicquid ſit, eadem herba eſt ſampſuchus & amaracus, quã nos Maioranã dicimus: Germani Maioran, uel meyran: Luſitani Maiarona: Galli Mariolaine: herbã in his mõtibus colligo, ubi odoratior eſt, & potius hanc ſerpentẽ, quàm illã rectam, quæ & ſi à Dioſcoride ſerpere dicatur, id ubiq; nõ fit: tamen intelligi poteſt ſerpere, quia nõ ſolum naſcitur ſeminibus iactis, ſed etiã ramulis plantatis, uel terræ quomodocunq; admotis. Nihil autẽ in præſenti diſſerendum eſt de Galeni amaraco, ipſe enim ita noſtrã matricariam uocauit. Quid deinde ſequitur? S E. Cyclamen. BRA. Panis porcinus uulgò dicitur, quoniã ſuibus mirè placeat: ubi in Theophraſto κυκλάμινον legitur, Theodorus Gaza, Malum terræ interpretatur, ſed re uera deceptus: quoniã ut ex Plinio ſumi aperte poteſt, Tuber terræ, & rapũ terræ, & umbilicus terræ dicitur: nã malũ terræ, ut ex eodẽ, & Dioſcoride patet, Ariſtolochia eſt. Quicquid tamen ſit, huius terræ rapi tres ſpecies inueniũtur, & hæc tantũ apud nos nota, ea eſt quæ uires medicas habet, ideo hanc ſolum colligere expedit: ſed nõ debes eſſe ſola radice contentus, imò & quum caudex plurimum in re medica ualeat, ideo & caudicem & eius ſuccum ad uſum reſerua, imò & ipſius radicis ſuccus ſeruandus. Recentes alio nomine, arthanitam uocant. S E. Id agam: nunc pulegiũ occurrit. BRA. De pulegio multi dubitarũt, quibus uiſum eſt eſſe ſylueſtre ſerpyllum, ſed tenuibus argumẽtis inhærent: ſi eius hiſtoria apud autores cũ hoc noſtro uocato pulegio, & uulgò polezolo, ab Hiſpanis poleo, à Gallis

Cyclaminus. Panis porcinus. Theodori Gazæ error. Tuber terræ. Rapum terræ. Vmbilicus terræ. Arthanita. Pulegium.

poleont

poleont,à Germanis poley, conferatur, nullus erit adeò stupidus,qui nõ noscat pulegiũ esse. Ex hoc montanũ seruandum,& dum flores in orbiculos habet,etiã quod habet flores purpureos magis seruãdum, quàm quod albos: nam primum est fœmina,alterum mas:putant autem autores (monstrum profectò, & res mare indigna) fœminam efficaciorem esse mare in hac specie, quum domi eris suspende pulegium,nam brumali die florescere uidebis. SEN. Hoc expertus sum, sed nunquã uerum comperi. BRA. Tamen à grauissimis autoribus refertur: quicquid sit,hanc herbam in puluerem redigas, & præter usus medicos,pro condiendis obsonijs utaris. SEN. Id agam,& frequẽter egi,sed uno hoc molestor, quia apud Laërtium me legisse suspicor,quendam philosophũ, qui ostendere uolens exemplo nõ uerbis,castigandos esse dissidentes ciues,pultem in medium attulit pulegio aspersam, ut ostenderet,ita amarè eos tractandos, quemadmodum ipse pultem tractauit,& dissidentiam pultis, & pulegij annotaret: quo exemplo pulegium amarum esse deprehenditur,nostrum uero amarum non est, ideo pulegium esse dubitaui. BRA. Non ob amaritudinem pulegium pulti miscuit (quamuis & sapor eius dulcis non sit) sed ob dissidentiam naturarum. Quemadmodum saccharum optima res est,quo omnes dapes aptantur, tamen ocimis ineptissimum est, adeò ut eorum gustus saccharo uilescat. SEN. Thymum ergo & Epithymum colligamus. Thymus.
BRA. Hæc duo iure simul copulasti, quoniam uiribus, nomine, & locis, quibus nascuntur, ferè quadrant. SEN. Non ne Epithymus est thymi flos? BRA. Quid sit audies,

Thymi ſpecies duæ.

ut mox colligere poßis. Thymus duplex eſt, candidus, & nigricans, herba notißima eſt, ut etiã Dioſcorides cenſet, quamuis ipſe de albo Thymo ſolum loqui uideatur. En

Epithymus.

quanta copia in hoc petroſo loco & ſterili ſit. Epithymus uero, quo uos utimini, nõ ueſter apud Dioſcoridem, nam ipſe florem Thymi epithymũ eſſe cenſet, lib. IIII. Quod autẽ in officinis habetis, nõ eſt flos Thymi, ſed id quod à Plinio deſcribitur cap. VIII. lib. XXVI. quod naſcitur ſine radice rubens tenui ſimilitudine pallioli, uel tenuis, naſciturq; circa Thymum, unde epithymus appellatur. Laudarem, ut Thymum herbã, & flores ſeorſum colligeres, poſtea id quod circa Thymũ naſcitur, tanquã capillamenta quædam, hoc eſt epithymus, quo nũc utimur, ſunt rubri ferè capilli, qui circa arbuſcula & herbas naſcuntur, ut circa linũ uocata cuſcuta naſcitur, quæ et ipſa ex hoc genere uidetur circa myrtũ aliquod ſimile fit, ſed id uerè epithymus, qui Thymum ueluti palliolum ambit. Tamen in hac re ſum ualde ambiguus, an ſcilicet Dioſcoridis Epithymus altera res ſit à noſtro nunc uocato Epithymo, & quo Meſue utitur. S E. Libẽter quid in hac re ſenticndum ſit addiſcerẽ. B R A. Et ego teipſum ueluti iudicem in hac cõtrouerſia uoco. S E. Nullum autorẽ, præter Meſuem, uidi de Epithymo loquentẽ, quomodo in hac re iudex ero? B R A. Ego tibi partes diſponã ueluti inſtructas acies, ut facilius iudices. S E. Incipe, fortè & te iudicẽ, reum, actorẽ eſſe cogemus. B R A. Nõ licet quenquã officio partis & iudicis fungi. S E. Nunc licebit, nulla parte reclamante. B R A. En igitur principio uidetur Dioſcorides de noſtro communi Epithymo loqui, quoniam ſem-

per

Unable to display this page

faciunt,ut consentaneum sit potius nostros ueluti capillos apud Dioscoridem epithymum esse, quàm thymi florem. SEN. Ex his certus sum, nostrum epithymum à Dioscoride quarto libro tractari. ERA. Mihi similis uideris iudici cuidam, qui actore audito, statim pro eo iudicabat,mox audito Reo,pro illo ius ferebat: nondum aliam partem audiuisti, tamen ex abrupto iudicasti. SEN. Quoniam nihil aliud dici posse arbitror. ERA. In hac re longe deciperis:nam si oppositæ parti aurem præstabis, te pro ea sententiam laturum puto. SEN. Incipe igitur, quandoquidem nimis repente iudicasse confiteor. ERA. Hinc exordium sumam,quòd Dioscorides quarto libro inquit,epithymum esse thymi florem. Nec moueor quòd summus uir Hermolaus interpretatus sit, florem è thymo: quoniam Dioscorides sua lingua scriptum reliquit ἐπίθυμον θύμου ἄνθος: quæ si ad uerbum referantur, inquit: epithymum,thymi est flos,non autem è thymo:nec etiam obstat quòd à Romanis inuolucrum appelletur,quoniam ob pediculum,cui flos inhæret,fortè id nomen sumptum est:imò si flores demantur ab herbâ, uidentur ferè crines, tamen parui:ideo appellat codiculas.Nec etiam moueor,quòd congenera congeneribus nõ miscuerit,quia in alijs quibusdam idem fecit, fortè quum scriberet in mentem non uenerant:nec multifaciendum est ex nomine argumentum, quoniam etsi epithymus in thymo significat, tamen & flos in thymo est. Præterea Galenus,Paulus, & Aëtius Thymum & epithymum calidum & siccum in tertio ordine faciunt, tamen epithymum uehementiorem esse censent,quod flori thymi optimè quadrat

mè quadrat. Conuenit enim florem perfectiores uires habere sua herba, utpote in quo species per semina seruetur. Addéq; hos autores thymum exhibere cum sale & aceto, & per se cum melle: hoc idem faciunt in epithymo, quod indicium est florem thymi epithymum esse. SEN. Et huic parti iam fauere incipio. Verùm abs te hanc sententiam ferri percupio. BRA. Libenter tibi morem geram: prius florem thymi epithymum esse censebam, nunc Plinius me attentum fecit capite octauo lib. XXVI. ubi inquit: Item epithymon, qui est flos è thymo, satureiæ simili. Differētia, quod hic herbaceus est, alterius thymi albus. Postea interpositis quibusdã ad quæ ualet, addit: Quidam aliter epithymum tradunt, sine radice nasci, tenui similitudine pallioli, rubens. Ex his uerbis, duo ab antiquis epithymum uocari colligo: sunt autem tres thymi species, albus, de quo Dioscorides tertio libro: niger, cuius Theophrastus & Plinius meminit: & tertius qui assimilatur satureiæ: hic potissimum nascitur in Pamphylia & Cappadocia. Thymus niger, ut docet Actius, non debet esse in usu medico: quoniam temperamentum corrumpit, & bilim generat. Relinquuntur igitur duo thymi genera in usu medico: thymus albus, & thymus similis satureiæ. Hic thymus satureiæ similis, flores habet herbaceos, qui epithymus dicuntur: & hic est epithymus, de quo Dioscorides quarto libro agit, quẽ dicit esse florem thymi durioris similis satureiæ: sunt autem capitula tenuia & leuia, codiculas habentia quasi crines. Hunc epithymum nõ habemus, & rectè animaduertit Plinius esse flores è thymo simili satureiæ: & hoc

Thymus niger a medicis improbatur.

dictum esse ad differẽtiam alterius thymi, qui habet flores albos, quum hic habeat herbaceos. Quum autem Plinius dixerit flos è thymo, propter hoc Hermolaus interpretans Dioscoridem, dixit flos è thymo, non flos thymi, ut autor ipse dicit: quia in pluribus conatur ex Plinio Dioscoridem exprimere. Hos flores epithymum esse Dioscoridis, Serapio etiam manifestè ostendit, inquiens, epithymum secundum Dioscoridem, esse florem cuiusdam herbæ, quæ est similis thymbræ. Verum quum in Creta etiam nascatur, curabo ut semina saltem afferãtur, quum Ducis nostri nauis illuc accedat. Altera species epithymi est palliolum illud circa thymum sine radice, de quo nullus antiquorum nobis notorum, præter Pliniũ, loquutus est, ad nos ex Apulia affertur, & Creta, & orientalibus partibus. Hic est epithymus quo nos utimur, qui quum à Mesue describitur, dicit esse similem cuscutæ, de quo nec Dioscorides, aut Paulus, aut Aëtius, unquam tractarunt, quoniam ipsi tantum primum exprimunt, qui quum sit flos alterius speciei thymi, propter id tertio libro de thymo albo Dioscorides tractat: quarto autem libro de hoc flore, utpote de diuersis speciebus: & meritò inuolucrum appellatur, quia pediculi florum ueluti caudæ inuoluti sunt, & crinibus assimilantur. SEN. Igitur noster epithymus apud antiquos non erit? BRA. Non quidem Græcos, sed bene Arabes, quamuis Auicenna & Mesue adeò confusi sint, ut quandoque de flore thymi, quandoq; de simili cuscutæ loqui uideantur. Nam Arabes per hasce aut hyssopum, hasce thymum intelligunt: per epithymũ Serapio idem accepit quod Dioscorides. Mesue autem &

Auicen

Auicenna, licet confundere uideantur, præsertim Auicenna, tamen hæc capillamenta intelligunt ueluti palliolũ, quæ circa thymum sine radice nascuntur: sed errore magno detinentur, quoniam de epithymo Dioscoridis non tractant: tamen easdem ures illi suo epithymo tribuunt, quas & Dioscorides, & cæteri Græci suo: imò Dioscorides sui epithymi ad summum quatuor drachmas tribuit, Mesue ad uiginti accedit. Miror autẽ de excellentissimo Manardo, qui quũ nouerit, & docuerit alterũ esse epithymum Mesue, alterum Dioscoridis, Mesuem ita reprehendat, quia uiginti drachmas dederit, Dioscorides autẽ quatuor, & Plinius ad summum sex. Verum nullus in rebus diuersis dignus reprehensione est, quum sit alterum epithymum Mesue ab illo Dioscoridis, cur per dosim Dioscoridis, quæ in altera re est, Mesuem reprehendat? Imò si Mesuem in capite de hasce, id est, thymo, consideremus, manifestè deprehendemus eius puluerem exhibere, à drachmis duabus ad quatuor, quæ ferè eadem dosis est cum illa epithymi Dioscoridis, qui est flos alterius thymi: sed non mirum, quia interdum Homerus hallucinatur, hoc iure obseruandum esset, quum pro atra bile epithymus ordinatur, flos thymi saturciæ similis sumendus esset, si apud nos existeret: loco autem ipsius potius flores nostri thymi sumerem, quàm capillamenta illa ueluti palliolum: nam flores illi humori melancholico aduersantur: nec tamen ita capillamenta illa omitterem, ut officinam meam non ingrederentur, quibus ferè omnes utuntur, quum Plinius eandem ferè uim habere cum thymi flore præcitato loco tradiderit, & hæc saxosis lo-

Cuscuta. cis colligenda. SEN. Cuscuta offertur. BRA. Nec immeritò, quia ab epithymo parum differat: nam Recentiorum epithymus circa thymum, Cuscuta circa linum nascitur: unde à Recentioribus podagra lini, & strangulator lini nuncupatur: alij uerò grongum dicunt: Germani uerò, filzkraut: Galli & Hispani, ut nos ferè, tamen non solum lino inhæret, sed & rubis, ac alijs pluribus arbuscu-lis, & herbis: differentia est per colorem: magis albicat quæ in lino, quàm quæ in rubo, uel moro est: in re uerò medica est ferè eadem ratio. Reperitur & Cuscuta terræ serpens. SEN. Nos cuscutam terræ nascentem appellamus. BRA. Ratio est, me iudice, quia nihil propinquum habet, cui inhæreat. SEN. Ita est, nam quandoque expertus sum baculos circùm ponere, qui eius capillamentis tecti sunt. BRA. Id non possum non credere. SEN. Imò certus sis: hæc autem cuscuta quo nomine ab antiquis appellatur? BRA. Nonnulli epithymum existimarunt, quod falsum esse quisque ex prædictis sumere potest: nam nec Mesue aut Dioscoridis epithymum esse potest, quoniam circa thymum sunt, uel in thymo: cuscuta uerò in lino & alijs rebus. Quandoq; putaui herbam, quæ à Dioscoride Androsace appellatur, Cuscutam esse. SEN. Eius picturam legamus. BRA. Vt lubet. SEN. Herba est candida, tenues habet cirros. BRA. Hoc Græca lingua uno uerbo dicitur λεπτόκαυλον, id est, tenuibus cirris. SEN. Amara sequitur, & sine fölijs, quæ omnia nostræ cuscutæ quadrant: nam herba est candida, id est, in album uergens: potest enim herba appellari, amara, sine fölijs, habetq; fölliculũ in summis cirris

mis cirris, in quo semen continetur. Certè nostra cuscuta est: gaudeo inuentam esse cuscutam apud antiquos. BRA. Ne exultes ante certamen, nam & ego aliàs id sentiebam: nunc Androsacem, non esse cuscutam certus sum: imò tuo argumento aliud addam: uires, quæ nostræ cuscutæ ab omnibus exhibentur, à Dioscoride Androsacæ exhibentur, quoniam ducit urinam, aquam intercutem patientibus, & ut Galenus inquit, desiccat, aperitq; obstructiones epatis, quæ omnia nostræ cuscutæ quadrāt. SEN. Moueris forsitan, quia dicit in maritimis Syriæ nasci: cuscuta autem apud nos etiam est. BRA. Hoc non moueor, quia à Dioscoride omnia loca non enumerantur, in quibus herbæ nascuntur, sed tantum in quibus potissimū exuberant, aut efficaciores sunt, uel ipse uidit. SEN. Quid ergo impedit hanc non esse cuscutā? BRA. Androsacem uidi frequētem elapsis annis in Istria circa mare, quū illuc appulissem cū illustrissimo ALPHONSO Duce Ferrariæ, piscandi gratia. SEN. In Syriæ maritimis nasci Dioscorides tradit. BRA. Et Plinius Istriam dicit esse Androsaces feracissimam. In primis differt à nostra cuscuta, quia Androsace radicem habet, cuscuta non. Secundo, androsace est ueluti manipulus cirrorum uel capillorum breuis, & supra unumquenque capillū adest folliculus, in quo semina sunt. At cuscuta longa est, ut quādoq; multas ambiat lini plantas, nec in apice folliculos habet, sed per medium. Tertio, Androsace similis est plantæ arnaglossæ, cui folia sint ablata, & nerui relicti: cuscuta uerò elongatur ad magnum spatium. Quarto, Androsace est amarissima herba, ut illi nomen

Androsace in quibus differat a cuscuta.

dederit amaritudo: nam ab aliquibus picris appellatur, ut etiam ſicca amaritudinem ſeruet, ſed cuſcuta ſicca nihil amaritudinis habet, recens parum, uel nihil. Quinto, ueræ albedini cirri Androſaces albicant, adeò ut nomen leucæ meruerit: quod non facit cuſcuta, licet quum recẽs eſt in album uergat. Sexto, Androſace nulli inhæret, ſed per ſe in littore ſpargitur, imò, & ſi quid propinquum ſit, non inhæret, ut cuſcuta facit, quæ inhæret propinquis rebus, & in longum extenditur. Septimo, Androſace acris herba eſt, ut Galenus & Paulus teſtantur, cuſcuta non acris, ſi quis uero guſtu dijudicet. Octauo, Androſace ſemen habet notatu dignum, pro ratione herbæ cui inhæret, quod eſt in cuſcuta ferè inſenſibile. Nono, ab omnibus fere autoribus, a quibus Androſace deſcribitur, ut à Dioſcoride, & Plinio, libro uigeſimoſeptimo, capite quarto, maritima herba dicitur, cuſcuta uerò cãpeſtris: imò peculiari nomine ab aliquibus Thalaſſia dicitur, per excellentiam, ut Dioſcorides docet, quaſi maritima. SEN. Nunc uerè cognoſco Androſacem antiquorum noſtram cuſcutam non eſſe: quamuis etiam eisdem uiribus inſigniri uideatur, tamen quo nomine ab antiquioribus inſigniretur, ſcire optarem. BRA. Nunc mihi non conſtat, ideo præterita diſſertatione cõtentus ſis. SEN. Ergo ad fumum terræ me uertam. BRA. Herba apud nos adeò nota ut monitore non indigeat, in illam planiciem deſcendamus, in qua ſeges ordeacea uiret, pro hac herba colligenda: nihil tamen impediet Ferrarienſes hortos expectare, in quibus ſummè ſcaturit: decipiuntur uerò qui cymbalariam, fumum terræ, id eſt, fumariã herbam (ita enim

Fumus terræ.

enim Latinè dici debet) putarunt: Græci capnion appellant, propterea quòd palpebras ueluti fumus mordicat: eodem nomine, ut nos, Galli & Hiſpani utuntur: Germani uero in dictione ſolũ differũt: uocãt enim Erdtrauch, quod Latinè interpretatur terræ fumus. Huius ſimplicis herbæ puluere à ſumma atræ bilis copia Magnificum Bartholomæum Proſperum Illuſtriſſimi HERCVLIS ESTENSIS Carnutarum ducis, & principis Ferrariæ primogeniti à ſecretis, uirum omni doctrinarum genere præditum, & bonorum morum columen, liberũ reddidi.

SEN. Sena, & eius fõlliculi in mediũ ueniunt. BRA. Senam apud antiquiores incognitam eſſe certum habeo, ideo ab Auerroë optime inter medicinas nouas numeratur: & iure hoc dicit, quum nuſquã apud Dioſcoridem, Theophraſtum, Plinium, Galenumq; inuẽta ſit. SE. Res mira, herba adeò digna decantari, & tot nominibus inſignita Græcis ignota fuit? BRA. Fuit quidem, ut uidetur. SEN. Non'ne eorum tempore extabat, aut deinceps terra peperit? BRA. Et tunc extabat, ſed fortaſſis, aut ab his non experta, uel non uiſa. SEN. Quomodo non uiſa à Dioſcoride, qui ferè uniuerſum orbem circuiuit? BRA. Dioſcorides militauit quidem, ſed uniuerſum orbem perluſtraſſe non conſtat, illuc ſaltem nõ iuit, ubi naſcebatur, aut mox etiã ad propinquiores prouincias delata eſt, ut de pluribus alijs rebus factum conſtat, quas antiqui ignorarunt, aut data opera reliquerunt. Certum uero eſt centeſimam partem herbarum in uniuerſo orbe conſtantiũ, non eſſe deſcriptam à Dioſcoride, nec plantarum à Theophraſto, aut Plinio, ſed in dies addiſcimus, & creſcit ars

Sena.

medica. SEN. Mihi decrescere uidetur, quoniam audiui quosdam Recentes syrupos penitus demere, & tantum aqua ordei, mulso, & pauciſsimis quibusdã utũtur. BRA. Hi suo modo agant, & si ad ægros curandos uocentur (quod rarius accidet) curent. Ego mihi proposui omnes bonos autores imitari: & si quandoq; aliqua noua inueniantur, quæ ratione & experimento optima esse constiterit, semper assensuri sumus: eos enim imitari nolumus, qui decocto guaiaci uti despiciunt, quoniam ab antiquis sileatur. At quomodo ab illis scribi poterat, quum adhuc quadraginta anni nõ sint, quòd insula, in qua nascitur reperta est, prius penitus incognita. In dies crescit ars medica, sicut & aliæ artes, ut Plinius testatur, et ante ipsum Plato edocuerat. Imò & Galenus nostram artẽ per incrementum fieri tradit. SE. Ea insula paucis ante annis ortá ne est? BRA. Non orta, sed nullus unquam illuc nauigare ausus est, præter nostro hoc æuo Lusitanos. SEN. Quomodo hoc scitur? BRA. Quia à grauiſsimis uiris, Ptolemæo, Põponio, Strabone, Plinio, qui uniuersum descripsere, hæc nunquã uel à lõge monstrata sunt: sed hæc alias. Nunc de sena loquamur, quã ita Hispani & Galli, ut nos appellãt: Germani uero potius fõliorum memoriã faciunt, senet bletter dicentes, id est, senæ fõlia: plures conati sunt eã apud Dioscoridem inuenire, adeò ut aliquis
Empetron. empetron esse putarit. SE. Huius sentẽtiæ excellentiſsimus Manardus quãdoq; fuit ea cõiectura, quia à Dioscoride scribatur: si in esculento iure decoquatur, purgat bilem, pituitã, & aquas, nos autẽ senam in iure bullimus ut purget. BRA. Adeò tenuis cõiectura est, ut nec filo inhæreat:

reat: nam & ita bouem capum esse probarem, quia bulliuntur ut nutriant. Non enim habet fŏlia lentis sena, ut phacoides appellari posit, quemadmodũ empetron, quia & locis maritimis nascitur & saxosis. Nec salsa est sena, sed subamara, & quo magis mari propinqua, eo amarior, ut iuguſtica sena ostendit, quãuis ea inefficacior sit quæ ex partibus Aegypti defertur. Hi adhuc peius sentiunt, qui Delphinium putarũt: nam senæ fŏlia non sunt delphino similia, nec opus est ad fŏlliculos fugere, quoniã de fŏlijs Dioscorides loquitur, φυλλάζια enim fŏliola significat, non fŏliculos aut siliquas, nec floribus quadrat. Decipiuntur etiã qui senam peplion esse arbitrãtur: non enim lac habet, nec semen simile. Minus est Alipon, quia semine multum differt, quod nullam habet cũ epithymo similitudinem, nec radice, aut surculis cõuenit. S E. Quomodo tot uiri decepti sunt? B R A. Ob duo. Primo, aliquã similitudinem acceperunt, & multas dißimilitudines omiserunt. Secũdo, quia uires cõsiderarunt potius quàm rem ipsam: quũ enim atram bilem ducere legerũt, senã esse putarunt, & præsertim quia circa maritima nascitur. S E. Quid est ergo apud antiquos sena? B R A. Alij quomodo lubet censeant, nos senam ab antiquioribus nusquã descriptam scimus: sed cũ Auerroi nouã herbã esse putamus: nouam, inquã, id est, antiquioribus illis incognitã. S E. Nõ est igitur aliquo pacto colligẽda? B R A. Imò maxime seruanda, tot enim dotes & præcipuas habet, ut nunquã sit prætereunda. S E N. Quomodo id nouisti? B R A. In primis Arabum autoritate, quæ non est adeò temere despicienda, ut nonnulli recentes faciunt, præsertim ubi Græcis Delphinium. Peplion.

non opponũtur, postea ipsa quotidiana experientia, quæ est omnium rerum magistra. SE. *Audiui hanc esse uiam Galeni, quam regiam dicunt.* BRA. *Est.* SEN. *Quid collecturus sum, folliculos (ut dicunt) aut folia?* BRA. *In his saxosis locis hic prope mare herbam & folliculos legerem.* SE. *Dic (ni pigeat) debet'ne re aliqua roborari, aut corrigi, ne uentriculum offendat?* BRA. *Debet omnino, zinzibere, cinamomo, Garyophyllis, aut alia re ex his quæ uentriculum roborant.* SEN. *Manardus, senã uentriculum roborare censet absq; alio adminiculo, quia subamara, & adstringẽs, & experientia (ut inquit) hoc demonstrat.* BRA. *Tam celeberrimi uiri pace dixerim, & præceptoris colendißimi, experientia oppositũ ostendit: nam qui senæ decoctum bibunt, aut uocatam infusionem, uentriculo offenduntur. Nullus est Ferrariæ, aut alibi medicus, qui non sit sexcenties expertus, & ego quotidie experior: nec omne amarum roborat uentriculũ, aut adstrictionem habet. Quam ob rem semper corrigendã censeo: ob eam, quam singulis diebus experientiam uidemus.* SEN. *Quam partem magis altera seruabo?* BRA. *Folliculos, in quibus maioris educendi est, quàm in fõlijs.* SEN. *Manardus magis fõlia commendat, quæ experientia duce, efficaciora sunt.* BRA. *Laudet quantum lubet: & mihi experientia oppositum ostẽdit, & omnibus alijs qui artem medicam exercẽt, & ratio ipsa dictat maiorem uim folliculos, quàm fõlia habere, ob perfectiorem ætatem herbæ, ob densiorem substantiam, ob potentiam contentorum seminum. Tu ipse hõc experimento ducas, decoctiones duas faciens: alteram, ex puris folliculis: alteram,*

ram,ex folijs,quas si deinde æqua lance bibas, manifeste deprehendes maiorem efficaciam ineſſe folliculis, quàm folijs,ut ego aliàs expertus ſum.Ex his igitur maiorẽ partem folliculorum,minorem foliorum ſerua:tamen potius laudarem,ut Venetijs Senam emeres,quæ Alexandria,& orientalibus partibus defertur, magis quàm ex Apulia, aut Liguria:experientia enim oſtẽdit ſemiunciam Aegyptiacæ tantum ferè proficere, quantum uncia noſtratis. SEN. Hoc iam diu noui.Quæ eſt eius Doſis? BRA. In infuſione quandoque uſque ad ſex uncias exhibui, nec ueritus ſum ad octo pertingere, & contulit, ac ægri bene tulerunt, ſed tres,aut quatuor unciæ tutiſsime exhibentur. SEN. De ſena ſatis: Mentaſtrum ſequitur. BRA. Ipſum cum Menta collegiſti. SEN. Ad ſerpyllum ergo ueniamus. BRA. Notiſsima herba eſt,à ſerpendo dicta. SEN.Quomodo hoc fieri poteſt,quia una ſpecies ad palmi altitudinem creſcit? BRA. Hinc miram Dioſcoridis præſtantiam in ſcribendo accipies.Inquit à ſerpendo nomen inueniſſe:uerum quia ſpecies una ſerpylli non ſerpit, ſed in altum creſcit, propterea addit:& quoniam quæcunq; pars eius,quacunq; terram contigerit, radicatur:ut hinc ſerpyllum etiam creſcens à ſerpendo dicatur, non quia ſponte ſerpat, ſed quia omnes ramuli plantati quacunq; terra creſcunt.Quod etiam Theophraſtus VI. de plantarum hiſtoria ſentit.Quum duæ ſpecies ſint, ſyluestre,& ſatiuum,adeò modicè differũt,ut mira ſit illorum ſimilitudo:tu in his petris uirens colligito, quoniam ſyluestre ſatiuo efficacius eſt, ut Dioſcorides teſtatur: hortenſe uero,coronamentis relinquito. SEN. Coronis

Serpyllum.

Unable to display this page

in uia calcatur. SEN. *Malua,& Maluauiſcus ſeſe offerunt.* BRA. *Optime ſimul copulaſti,nam Maluauiſcus ſpecies maluæ eſt, Latinè hibiſcus dicitur, à Græcis Althæa:notiſſimæ herbæ ſunt,in hoc plano radices ac folia hibiſci, Maluæ autẽ fõlia & ſemina colligito:ſatiua malua Ferrariæ non utimur,ſed Mediolani, ut olera, ſeritur ac colitur,ad cibos apta.Coquitur ut aſparagi, & in acetarijs manditur.* SEN. *Eſt ergo alia ſyluestris malua ab Althæa.* BRA. *Eſt equidem:nam hæc communis Malua,duas ſpecies,hortenſem,& ſponte naſcentem habet:hortenſis cauliculos maiores facit, & edendo aptos:in ſyluestri,id eſt,ſponte naſcẽti,duriores ſunt, & cibarijs inepti.Plinius Malopem appellat,quæ in ſatiuis ampliora fõlia habet:quæ uero non, Malache, ab emolliendo uentre:unde ſatiua malua,& ſyluestris erũt, ambæq; in alias ſpecies diſtribuuntur: tamen Dioſcorides ſatiuam tantum, Syluestrem, & Althæam facit. Nos autem Venetijs in horto nobiliſſimorum Cornariorum, quæ Murani habent, arboream maluam uidimus,imò erant ibi multæ maluarum plantæ,quæ in iuſtam arboris menſuram creuerant, & nunc adſunt, ut facile ex ipſis ingentes baculos quiſque ſibi parare poſſet: quod tamen non mirum eſt, quia à Theophraſto arboreſcere Malua dicitur. Quicquid ſit, Althææ radices, non alceæ (quippe nonnulli decepti ſunt Alceam cum Althæa confundentes) herbam, & flores ipſos ſerua. Maluã Ferrariæ ubertim habebis, & cultu ſatiuam facies, & in arborem creſcere coges, præſertim ſi ſemina illius Venetæ ſeras, quam Romanam*

Malua,ſiue maluauiſcus.

Althæa.

maluam dicunt, nescio id nomen unde sumpserint. SEN. In Althæa solo radicibus utimur. BRA. Ne fŏlia deseras, quoniam priuatim (ut Dioscorides inquit) ex exiguo oleo morsibus & ambustis emplastri modo imponuntur. Hispani, ut nos, Maluam dicunt: Galli, Mauues: Germani, Bappelen, aut pappln: coliculos uero Maluæ, pappl stil. Maluam uero syluestrem, uilt pappln dicunt. Althæam autem Galli, Grimauues: Germani, Ibis appellant: quamuis & nonnulli uilt pappln, id est, syluestrem maluam dicant.

Semperuiuum.

SEN. Deinde semperuiuum maius & minus occurrunt. BRA. Tres species semperuiui apud autores inueniuntur, quamuis plures herbæ sint, quàm tres, quæ semper uiuant, id est, quocunque tempore, ex quatuor anni, id est, quibus ingens calor, aut sæua hyems non nocet: Latinè sedum, Græcè Aizoon dicitur. Ferrariæ in tegulis nascuntur, & potiores uires habent, quàm in his montibus. Maius semperuiuum, à nobis herba orechiara appellatur, à similitudine, quam cum auribus habet: à Gallis, ioubarde. Hæc autem similitudo maior est, quàm ea quam cum oculo habet, secundum quam dicitur Zoophthalmon. Semperuiuum minus, à nobis herba pegnola, & uermicularis dicitur, ob similitudinem quam habent fŏlia cum nucleis pineis: à Gallis dicitur, orcile de souris: supra Ferrarienses tegulas mire serpit. Tertia specie non utimur, quæ ἀνδράχνη ἀγρία, id est, portulaca syluestris dicitur, de qua bis Dioscorides tractat, secundo, & quarto libro: sed quod secundo libro scribitur, id totum in quartum referri debet: Hoc autẽ genus habet uires penitus oppositas prædictis

Semperuiuum maius.

Semperuiuum minus.

Portulaca syluestris.

semper

semperuiui speciebus. Quum uerò nõ sit opus de herbis, quibus non uteris, disputare, ad alias transire opportunũ erit, si prius animaduertero ex harum succo Nobilissimum Comitem Herculem Contrarium, & alterum Herculem Comitem Trottum, duo nostræ urbis fulgentia lumina, ex diuturna Gonorrhea in sanitatem restituerim.

SEN. *Vrtica pedem confert.* BRA. *Conferat hæc notissima herba, ut apud nos in prouerbium cesserit, etiam culo notam esse urticam, duas species habet: unam, folia latiora, & nigriora habentem: alteram, minus nigra. Adest & cania urtica cæteris acrior, & herculeana, quæ odorem habet, in genere à Græcis ἀκαλύφη dicitur: à nobis, ab urendo urtica: omnibus eædem uires sunt, nec aliquid uni peculiarius attribuitur, quàm alteri. Ideo laudarem ut hic in montibus eam colligeres, & seorsum semina, herbam, radices, ac eius succum diuersis locis seruares. De mortua autem urtica, quam Lamium uel Aononium uocant, quoniam non urat, aliàs pertractabimus, edocentes, an ea quæ apud nos mortua & iners urtica uulgo dicitur, antiquorum ballote sit. Ab Hispanis ortiges, à Gallis ortie, à Germanis Nesselen, & hoc tempore nuncupatur.* Vrtica.

SEN. *Vt frigida herba calidæ iungatur, portulaca urticam sequitur.* BRA. *Notissima est herba, potius in Ferrariensi solo quærenda, quàm alibi: satiua est, & agrestis: folia, & simul ramulos legito, ac seruato: ἀνδράχνη Græcis appellatur, à Lusitanis beldroegas, à Gallis pourpie, à Germanis porcelkraut, ac si dixerint porcellorum herbam: in acetarijs editur, cucumeribus, cepis, oleo, sale, & aceto conditis.* Portulaca.

SEN. *Graminea* Gramen.

mox sequitur. BRA. Gramen potius dicito, quàm Graminea. SEN. Quid refert, modo res ipsa intelligatur? BRA. Si absq; uocibus res intelligi possent, nõ indigeremus nominibus: sed posteaquàm huc peruenimus, ut non possint absque nominibus artes intelligi aut addisci, ideo melius est uocabulis à bonis autoribus scriptis uti, quàm barbaris & sine autore dictis: melius enim est rectè loqui, quàm praue & incomptè, etsi ad rem nihil faceret. De agresti, id est, gramine, cum Dioscoride dicã ab omnibus cognosci. Ipsum Ferrariæ potius quærerem, ubi mire uiret, & hoc montano efficacius est: radices seorsum, & ramulos colliges: uel omnia simul seruato, & quum opus erit seiungito. At quemadmodum apud Latinos omnis ferè herba gramen appellatur, præsertim quæ sit iumentorum esca, ita apud Germanos nomen est, Gras, quo gramen significant, & cæteras herbas fõlia strictiora habentes, ueluti fœnum. Nunc autem de sanguinea herba apud nostrum uulgus dicta, aut cauriola, disputare omittemus, quam Plinius libro XXV. alteram speciem graminis putat, & gramen aculeatum uocat, quia plures habet in acumine aculeos, quos cõuolutos naribus inserunt, extrahuntq; ciendi sanguinis gratia: hoc nostri pueri cauriola herba sæpe faciunt, quæ an sit coronopos, aliàs disputare tentabimus: nunc tantum id animaduertentes, dubitari posse à scholasticis, quum dulcia uermibus puerorum conueniant, id est, eos potius nutriant, quàm interficiant. Dulce autẽ sit gramen, quur cõmunis omniũ medicorum usus est, contra puerorũ lumbricos gramine uti? Verum disputationes hæ, quæ nihil ad cognitionem simplicium

faciunt

ficiunt, omittantur. SEN. De lauro igitur sermo fiat. Laurus.
BRA. Ab herbis, ad arbores transis? SEN. In scribendo, aut colligendo nullum ordinem seruo, sed ut præsentantur, ita leguntur. BRA. Plures sunt lauri species, eisdem ferè uiribus insignitæ, & apud nos adeò notæ, ut demõstratore non indigeant. In his montibus folia, daphnides, id est, baccas, & corticum radices collige ac serua. SEN. Nullus est corticum usus. BRA. Imò maximus: nam calculos frãgit, & iocinorosis prodest: Galli laurier uocant laurum, ut plures ex nostris mulieribus, oraro: Germani uerò nomen proprium non habent arbori, sed ita fingũt, lorberbaum, quasi dicant arborem baccarum lauri. SEN. Tamariscus sequitur. BRA. A Dioscori Tamariscus.
de Myrice nuncupatur, ad illam propinquam paludem, ubi stagnum apparet, descendamus, nam ibi myrices copia scaturit: eius fructum, herbam, cortices, & lignum seruabis. Duo ex ligno parantur, uasa ad bibendum lienosis, & eo combusto, cinis, ut fœminarũ fluctiones sistantur, præparatur: est apud nos arbor notissima, quin & semen ac flores seruanda. A Germanis Tamarisch, à Gallis Tamarisisi appellatur: sunt tamen & Germani, qui heyde uocent, sed magno errore, quia erix est arbuscula in magicis rebus salutaris. SEN. Salix deinde scriptus est. Salix.
BRA. O res mira, salices in montibus quæris, sed quæ fe racior terra Ferrariensi solo, omni salicum genere exuberante? ubi & uires efficaciores insunt, quàm in montibus: humido enim solo gaudet, & in ipso ferè sponte nascitur. Ne herbarium tuum hac arbore oneres, quum Ferrariæ ubiq; sint: folia, semina, foliorum succum, à cor-

ticis ſuccum,præſertim quum floret,ſeruato:non quidem ſuccum per expreßionem,ſed eum,qui per inciſionẽ corticis emanat,& ex præuſto cortice cinerem ſeruabis,cortices uerò quocunq; anni tẽpore recentes habẽtur. Quũ uerò apud Theophraſtum & Plinium plures ſint ſalicis ſpecies,omnes æquis uiribus inſigniũtur,aut modicè differunt:ideo non eſt opus niſi ex ea quæ ad manus uenerit, hæc colligere. SEN. Chamædryos ſequitur. BRA. Barbari adeò nomina corrupere,ut genitiuo recto ſæpius utantur:nam, quemadmodum ſtichados pro ſtœchas ſuprà dictũ eſt,ita Chamædryos pro chamædrys dicũt. Recentiores medici ferè Græcam uocem exprimentes,querculam minorem uocant:Latini, trixaginem:Ferrarienſe uulgus, calamandrinam:Germanorum pars,loge, alij gamenderim,alij gamanderlim appellant:tamẽ nonnullĩ uocabulum habent, quo poſtea in amatorijs utuntur, ſcilicet ielenger ielieber,quod uocabulum chamædry ſignificat:ſi uero exponatur, ſignificat, quãto diutius, tãto clarius:unde in amatorijs cauillis hoc nomine utẽtes deridere uidẽtur. In hoc aſpero & petroſo loco uiret, ubi fõlia & ſemina colligẽda, & nunc potißimũ, quia ſuo ſemine prægnans eſt,quo tẽpore Dioſcorides ſeruandã eſſe monet. SEN. Dioſcorides quatuor digitorũ altitudinẽ non excedere ſcriptum reliquit. BRA. Id eſt in Hermolai interpretatione, ſed ipſe ſua lingua dicit: ἔστι δὲ θαμνίσκος σπιθαμιαῖος. uoluit eſſe fruticem breuem,utpote qui habeat longitudinem ſpithami, id eſt, quãtum extendi poteſt à pollice ad auricularem:& quamuis aliquæ etiam hanc menſuram excedant, tamen paucæ ſunt,

Chamædrys.

nec

nec multum exuperant: quum autem Dioscorides alicuius herbæ mensuram tribuit, id facit, ut maiori parti indiuiduorũ illius speciei quadrat. Nec etiam adeò stratam mensuram tribuit, ut quadoque in aliqua portione excedere non possint. SEN. Laureolam ergo colligamus. Laureola. BRA. Hic manifestissimus recentiorum error deprehenditur, laureolam Mezereum esse existimantium. SEN. Qui sunt hi recentes, qui hoc putarunt? BRA. Dinus quidam Florentinus, qui Mesuem commentatus est: hic capite primo, laureolam mezereon esse testatur, sed quantum hallucinetur, primo intuitu apparet, quippe Arabes omnes Mezereon inter lactarias herbas connumerant: at laureola lac non emittit: δ'αφνοειδὲς à Dioscoride, à nobis quasi græcum uocabulum imitantibus, laureola nuncupatur, ita etiam à Gallis laureole dicitur. In his montibus fructum collige & fõlia. SEN. Dioscorides ipsam Alypo similem dicit, & Nymphææ flores habere, quod in hac laureola falsum esse deprehenditur. BRA. In antiquissimis Dioscoridis codicibus ea uerba non sunt, ideo & Hermolaus Barbarus ea suspecta habuit: in reliquis adeò ipsa est, ut nec pictor eam egregius pingere nouisset. SEN. Habet'ne feruẽtem & erodentem gustum? BRA. Tu gusta, ego expertus sum magno meo incommodo, qui etiam multa aqua epota extinguere non uoluerim, & cœnanti omnia uidebantur etiam insipida, multo pipere aspersa, adeò lingua & palatum ardebant. SEN. Tibi potius credam, quàm experiri tentem, & ad Rubi cimas descendam. BRA. Cima Latinè quidem dicitur: uerum in his mõtibus rubi Cima.

quærendi non sunt, quum Ferrariæ efficaciores uires habeant: cacumina, rami, atque mora seruanda: eius autem

Sentis. species plures sunt, at una tantum Ferrariæ uiret, quam appellant Sentem, uel chamæbaton, id est, humilem & terrestrem rubum: in solo Ferrariensi omnia prædia circunsepiuntur rubo, ne iumenta & homines in alienos agros transeant, à nobis absoluto uocabulo spina & roueda, quasi rubus, & sua cacumina cimas spinarum uocamus, quas Galli le coupeau des roses dicunt: rubum uerò Germani bramen beher appellant. De rubo autem canino, cynosbato dicto, aliàs tractaturi sumus. SEN. Myr

Myrtus. tus sequitur. BRA. Duæ potißimum Myrti species reperiuntur, nigra & alba: nigra folia habet, quæ in uiriditatem quandam intensam, & ferè subobscuram tendunt, quæ nigredinem quandam præ se ferre uidetur: alba uerò uiriditatem habet magis apertam, quæ respectu intensæ uiriditatis albedo dici potest. In genere autem omnia ex myrto, quæ in usum medicorum ueniunt, feliciora & efficaciora in nigra sunt, quàm in alba, & ita perhibetur ab autoribus. Ex nigra igitur omnia colliges tibi necessaria, & descende prope illas aquas, ubi egregiè uiret: est enim frutex ambiguæ naturæ, qui modo in aquis, modo in terra uiuit. Multa ex Myrto seruanda sunt, semina, folia, succum ex folijs & seminibus, ex quibus etiã exprimendũ uinum. Vos semina, myrtillos appellatis, antiquio

Myrtidanum. res, ut Hippocrates, Myrtidanum. Parua etiam myrtus, que myrto adnascitur Myrtidanum dicitur, & Myrtida à Paulo Aegineta: efficacior est tota planta, quam seruare expediet. Intelligo etiam per adnatum id quod circa corti

ea corticem nascitur, ut in Thymo, Mesue Epithymus, ita in Myrto Myrtidanum: uel (ut nouum nomen fingamus) Epimyrtus, quem circa myrtos frequentissime uidi: quamuis Galenus myrtida sobolem myrti solum intellexerit. Omnia ergo hæc ex nigra myrto sumenda. SEN.

Cauda equina sequitur. BRA. Nomen rei ipsi conueniens: nam cum equina cauda similitudinem habet, ideo & græci ἱππουρις, & Latini equisetum & equinalem uocant: nescio autem cur à Ferrariensibus mulieribus sceuola appelletur. Tamen quicquid sit, non est in montibus petenda hæc herba, sed potius inter Ferrarienses fossas, & loca aquosa: folia, & radices seruanda, utpote rei medicæ utilia. Tamen unum animaduersione dignum est, ab aliquibus ita appellari, quia equorũ membris succurrat, præsertim ubi fluxerit sanguis, habet enim adstrictoriam quandam uim: ideo à Germanis nomẽ accepit harstrang, à strangulando: quoniam si quispiam masticauerit, ut pueri sæpe faciunt, adeò adstringit ut strangulare uideatur: Galli uerò à similitudine, queue de cheual dicunt: herba apud nos notissima, cuius duæ sunt species: altera breuior, altera longior, quã à saliendo salicem equinalem Dioscorides appellat, longiorem appellant nostræ mulieres sclaream: arbitror inde sumptũ nomẽ, quia stannea uasa, illa fricent, & clarificent: sed aliud uocabulum habent magis usitatum, scilicet Asprella, ab asperitate, ideo mire fricat uasa, breuiorem sceuolam dicũt. Sceuola est secunda species equiseti apud Dioscoridem: Asprella uerò prima. Habet autem sua folia adeò mollia sceuola, & fragilia, ut inepta sit ad abstergenda uasa: sed Asprel

Cauda equina.

Equisetum.

Salix equinalis.

Asprella.

Sceuola.

la, dura habet, & ad frangendum cõtumax, asperaq; est. ideo in polliendis coquinarijs uasis ea utuntur: sunt adeò notæ hæ herbæ, ut nulla sit Ferrariensis muliercula, quæ non agnouerit. Aliàs autẽ in polygono fœmina deceptus sum, quam Romani sanguinalem fœminam appellant, putans ipsam esse equiseti speciem, quoniam ita à Dioscoride describitur: frutex est tener, arundini similis continuatis geniculis, & in seipsos tubarum modo farctis, circa quos piceæ similia fŏliola in orbem exeunt: radix illis inutilis est: nascitur aquosis locis, adstringendi, refrigerandiq; uires habet. Si quis equisetum huic descriptioni comparabit, eius picturam esse ferè deprehendet: tamen deinceps noui sanguinalem fœminam alteram esse, & à nostris mulieribus Coregiolã & ipsam appellari, quia polygonium mas etiam coregiolam uocant: per mulieres, uniuersum Ferrariense uulgus intelligo. Huius herbæ succo ac puluere Illustrem Dianam Estensem, Contrariam, mulierem dignam ut altiori tuba decantetur, à fluxu sanguinis narium immunem feci. SEN. Solatrum maius, & minus sequuntur. BRA. Non modo in solano (ita enim appellari debet) recentiores, sed etiam antiqui inter se dissentiunt. Nam Theophrastus, Plinius, & Dioscorides his nominibus strychnon, & halicacabum uario modo utuntur. Quippe Theophrastus solum duo genera ponit: somniferum, & maniacum: sed hæ lites in aliud tempus differantur. Maniacum solanum deserendum, nec quo utimur, in his montibus colligendum, sed Ferrariæ ubertim habetur: olim edendo erat, nunc non editur: olim etiam satiuum erat, & in hortis, cum alijs oleribus

Solatrum.

Solatri duo genera.

oleribus seminabatur: nunc in hortis, & aquosis locis sponte prouenit, imò & cultoribus inuitis scatet. Tu fo-lia, ac fructum, id est, acinos illos suos seruabis. A Ferra-riensibus biassola, ab alijs uua canina appellatur: sunt etiam qui uuam morellam à colore, quum grana matu-ruerint, uocent: & quoniam eo succo talis color fiat, uul gus enim Ferrariense purpureum colorem, Morellum di cit, quo nomine in hac herba Galli & Lusitani utuntur: illi enim Morelle, solatrum uocãt, isti moura: & ferè idẽ nomen Germani sequuntur Nachtschatn dicentes, quasi umbra noctis, ex colore, quem grana ipsa aut habẽt, aut inficiunt: non est opus notissimã herbam alijs uerbis pin gere, nullus enim est Ferrariæ qui solatrum ignoret. SEN. Iuam ergo doceas. BRA. Hæc à Græcis χαμαι-πίτυς dicitur, quia humilis, & per terram serpat: nõ ta men adeò serpit, quin ramũculos eleuatos habeat: in hac etiam ordinanda Recentiores genitiuo, pro recto utun-tur, Chamæpityos dicentes. Iua autem uocatur, quasi Ibiga: ita enim à Plinio, & alijs pluribus dicitur, uel abi-ga. Nostri recentes Iua, aut Iuam moschatam credo ob odorem uocent, qui tamen mihi ingratissimus est, corru-ptumq; est uocabulum Iua, ab Ibiga, uel Abiga. In mon-tibus efficacior existit, & prope maria. Nomen accepit ab odore quem habet piceæ, uel pinus: nam hoc uocabu-lum πίτυς, modo pro picea, modo pro pinu interpre-tatum inuenies, tamen piceæ odorem potius imitari ui-detur: unde Chamæpitys idem est quod parua picea, uel, si id mauis, parua pinus: fuere tamen recentes, qui cu-pressinam, & qui paruam Cyparissum potius nuncu-

Iua. Chamæpitys.

pare uoluerint: tamen à picea, uel pinu, non à Cypariſſo nomen habet, ut Chamædrys, id eſt, parua quercus, à drys, quod quercus eſt, deducitur. Tres Ibigæ ſpecies reperiuntur, quæ in genere à parte Germanorum uergiſſmeinit appellantur: quod uocabulum in cauillis amatorijs ſumunt, & circa ipſum iocantur: nam idem ſignificat, quod non obliuiſcaris mei. Tres ſpecies Ibigæ reperiuntur, ſed tu hanc, quæ in uſu eſt, ſolum collige flores luteos habentem: nam de his herbis tãtum acturus ſum, quæ nunc in pharmacopolarum officinis Ferrariæ uerſantur. Alio autem loco de omnibus herbis ubertim & distincte diſſeremus. SEN. Fœniculus ſequitur. BRA. Notiſſima herba, à Græcis Marathron appellata, notiſſima inquam, utpote cibis gratiſſima, quam gratia bibendi nunc comedunt, prius ſanitatis gratia ſumebatur, propterea herba & tenello trunco toto anno ueſcebantur, in hoc monte, ubi uires præſtantiores habet, herbam, ſemina, & radices collige, partim pro re medica, partim pro obſonijs ſeruanda: quanquam pro obſonijs, coquorũ & noſtratium mulierum cura ſit. Ab Hiſpanis Imoio, à Gallis fenoueil, à Germanis fenchel appellatur. SEN. Caules ſequuntur. BRA. Nec braſſicæ ſuæ deſunt uires, præter id quod edendo ſit, à Dioſcoride tres ſpecies enumerantur, ſatiua, agreſtis, & marina. De ſatiua nihil amplius Dioſcorides, ſed Theophraſtus, & poſt ipſum Plinius, qui Theophraſti interpres appellari poteſt: in tres etiam ſpecies, ſatiuam partiuntur, in criſpam, caulodem, & eam, quæ proprie dicitur Crambe, quamuis Crambe nomen generis ſit, tamen ſatiuarum omnium idem uſus in re

Fœniculus.

Caulis.

in re medica uidetur, quamuis crambe, quæ tenuiora & simpliciora fŏlia habet, egregius laudetur: tamen in montibus quærenda non erat, quum in Ferrariensi solo mire scaturiat, etiam ex quacunque specie, & præsertim ex ea quæ tenuiora fŏlia habet, fŏlia, semina, & cimæ, seruanda, quæ sale etiam condire oportet pro uomitionibus ciendis, imò & succus, & flores, & crematorum caulium cinis legendus: tamen quum toto anno Ferrariæ uireat, tunc colligerem, quum ea indigerem. Est autem non modo in re medica, sed & in Ganea laudata Crambe, de qua biscocta plura prouerbia à Græcis facta sunt. Hispani Latinum ferè imitantur, coles dicentes, quasi caules: sed & ad hoc nomen potius Germani attingunt, Coele exprimentes, & Galli choulz, quàm ad Brassicam. Id autem brassicæ genus, quod nos à capite caputium appellamus, id fortè est, quod Plinius sessile & cumanum uocat: à Germanis etiam à capite nomen sumpsit, kappes, uel cappes kraut dicentibus.

SENEX. Alkakenghi ad manum ueniunt. BRASAVOLVS. Halicacabus Latinè dicitur. Arabes, & Barbari Latinum peruertentes, Alchachengi, quasi halicacabum uocant: est secunda species solani Dioscoridis, quam Plinius uesicariam appellat, quoniam uesicis succurrit. Dioscoridi autem magis placet, quoniam folliculus ille in quo eius granum continetur, cum uesica similitudinem habeat, uesicariam dictam esse. Qui eam Apollinarem minorem apud Dioscoridem esse tradunt, decipiuntur, de qua in fine primi libri scriptum est, nam nec id caput eo loco esse de-

Alkakengi.

Halicacabus.

bet: & est tertia species Strychni, quam ὑπνωτικὸν, id est, somnificum, uocant, quod prope mare inter saxa nascitur. Ne in his montibus halicacabum quæras, sed quum eris Ferrariæ, in uineis colliges, ubi efficacior est: herbam, & folliculos seminibus plenos seruabis: quin & succum exprime, in umbraq; sicca ad ciendam urinam. Potuit hic succus tribus diebus contentam urinam, Reuerendi præsulis Iacobi Gallini, sanctæ Annæ Prioris dignissimi, expellere, & aliorum aquam intercutem euacuare. Nescio qua de causa Germani eam appellent Iudendocklen, id est, Iudæorum pilam: fortè ex folliculo nomen istud nacta est. Hi uero Germani longe decipiũtur, qui schlaffbechr, uel Tholkraut, halicacabum putant: quoniam ea nomina potius furioso solano conueniunt: primum enim somnificum granum, alterum maniacam herbam significat: plures autem absq; his effectibus halicacabum apud nos comedunt: Adde alteram esse maBeta, niacæ herbæ figuram. SEN. Beta mox occurrit. BRA. Nomen habet secundæ literæ alphabeti Græcorum: nam quum ab olitoribus deprimitur, figuram, b, præ se fert. Est autem duplex: candida, & nigra radice cognoscuntur: non foliis, ut multi decepti sunt, adeò notæ sunt herbæ, ut opus nõ sit pingere: ne montanam quæras, sed Ferrariæ abundè uiret, & efficacior quàm alibi est: ex ambabus speciebus folia, & radices serua: tamen alba in omnibus efficacior est, præterquam in astringendo, quo effectu à nigra superatur: succus etiam foliorũ & radicũ ad plures ægritudines ualet. De Blito nihil in præsenti, quum apud pharmacopolas eius usus nõ sit. Galli poree

betam

betam,& Germani Mangolt appellãt:quo ferè nomine Itali multi utũtur, ut qui circa Vercellorum Coloniã,& prope montes habitant:dicunt enim ſimul cum Mediolanenſibus,& ferè cæteris Inſubribus,manegold. SEN. Ad Mercurialem uenire conueniet. BRA. Hanc Mercurius inuenit,ideo Mercurialis dicta eſt, quam Græci ab eodẽ Mercurio ſua lingua hermipoam uocãt, & alio nomine Linozoſtis.Galli & Hiſpani nomine ferè Latino utuntur:primi Mercuriale,alij Mercurial,noſtrũ uulgus magis corrumpit nomen,Mercorella dicẽs:habet apud Germanos uaria nomina,ut etiã uariæ ſunt nationes, ſed hoc cõmunius eſt cæteris,bingelkraut,per b, aut per p, pingelkraut : alij uero ruwwurtz, alij ſcheiſſzkraut, alij ſcheiſſzmilt,alij miſtrudt,alij ſpeckemalten,alij hundtſmilt,alij ſcoſzmelden appellant:ſed pro diuerſitate nationum hoc fit.Herba notiſſima eſt,& qua pro ſoluenda aluo noſtri ruſtici utuntur, in pultarijs præſertim decocta:ſi quis enim lancem comederit,mira euacuatione ſoluitur. Duas ſpecies habet, marem & fœminam:fœmina efficacior exiſtimatur:mas nigriora fõlia habet,& ſemina rariora:fœmina albiora fõlia habet,ſeminaq; frequẽtiora ſunt:in dumetis & omnibus campis oritur, quãuis in montanis & ſiccioribus efficacior ſit:æquè fõlia, ramuli,& ſemina legenda. SEN. Iam betonica in medium uenit. BRA. Notiſſima herba, quæ in montibus quæri non debet,à ucteribus Hiſpaniæ populis inuẽta,quod intelligendum eſt,primum ab his populis eius uires oſtenſas:adeò autem nota eſt, ut apud uulgus Ferrarienſe in adagium uenerit,quum de re nota ſermo fiat,dicere,no- Mercurialis. Betõnica.

tiorem esse betonica. Gestron à Græcis appellata, à Latinis serratula, ut Plinius testatur, & meritò, quia circuncirca in morem serræ diuisa est. Ferrariæ illam quæres, quoniam frigidiora loca amat. Duas species habet æquis ferè uiribus insignitas: tamen quæ sponte nascitur, satiua efficacior uidetur. Aliàs in hac herba disßidium componemus inter Dioscoridem, & Plinium, quoniam Plinius betonicæ folia, rumicis similia facit, quod Dioscorides Britannicæ adscribit, uultq; betonicam habere folia quercus: in qua re Plinius à Leoniceno reprehenditur: sed an absolutè folio rumicis comparauerit Plinius, uel potius comparatio sit rumici in expansione foliorum solum, aut non absolutè rumici comparet, sed potius rumicis folijs serratis, alio commodiori loco differemus. Tu interim ex Ferrariensi agro herbã ac radicem seruabis. Dioscorides autem folia in fictili uase trita cõseruat. Galli Betoniem, & Germani betonienkraut uocant. SEN. Chelidonia consequitur. BRASA. Duæ sunt Chelidonij, id est, hirundinariæ species, maior, & minor: de minori nihil ad nos, quia in pharmacopolarum usu non est: maiorem tantum prosequuntur, quæ apud nos Ferrariæ in parietibus, & semitis, & lapidum cumulis nascitur. Nostrum uulgus Cerognam appellat, dicitq; dentibus aduersari, ut si quis eius succo, qui luteus est, dentem tetigerit, protinus corruere, quum tamen è contrario sit, nam tremulos dentes confirmat. Ita uero dicitur, quia quum hirundines ueniunt, ex terra prodijt, quum abeunt, marcescit: aut quia eorum pullorum oculis hirundines auxiliantur. Fabulosum est, & quod nostris

Chelidonium.

stris etiam temporibus fertur, ex Dioscoride fortassis, & antiquioribus sumptum: si quis hirundinum pullis oculos eruerit, modo non frangatur neruus, hirundines illis succurrere hac herba, quam multi fatentur se uidisse in nidis. Quum autem puer essem hoc experiri tentans, quinque hirundinum pullis oculos seruì, adeò ut neruus adhuc oculo iungeretur, altera die sanos pullos inueni: at nullam herbam in nido reperi. Tria ex hac herba seruanda, fòlia cum caule, radices, & semina: Adde & succum, qui ex omnibus his partibus fit, in æneo uase cum melle decoctum. SEN. Si hic minus Chelidonium scatet, ne pigeat ostendere. BRASA. Quum Ferrariæ erimus eam ostendere curabimus, nam in aquosis nascitur, fòlijs rotundioribus, quàm hedera: nec caulem habet, sed fòlia à radice prodeunt, præsertim in mense Maij uidetur, herba est quæ cito euanescit: ne cures tu nunc scire, quibus non uteris: alio enim loco herbas omnes edocebimus. Galli Chelidonium, eclere, Germani schelkraut uocant. SEN. De Berbena ergo disseremus. BRA. Nobilissima herba uerbenaca, quæ apud Romanos in honore habebatur, utpote qua lustrabant domus & familiam, qua Fœciales coronabantur, qua mensam Iouis uerri dicebant, qua Magi & Fatidici uaticinabantur, & multa alia, ut Plinius uigesimoquinto lib. capite nono testatur, ab aliquibus peristereon dicitur, quasi columbaria, quoniam in ipsa libenter columbi uersantur: ideo à nonnullis nostræ gentis columbina uocatur. Nostræ mulieres, in festo natiuitatis Diui Ioannis Baptistæ, & assumptionis uirginis Mariæ, hac herba se co-

Chelidonium minus.

Verbenaca.

ronant, & cingunt, putantes eo anno à capitis, & dorsi dolore liberas futuras, qui mos ab antiquitate acceptus est: sed (ut refert Plinius) in ortu canis colligebatur, nec solem aut lunam circunspici uolebant, terra in primis fauis & melle lustrata: illam adeò in ueneratione habebant, ut hierabotane, id est, sacra herba appellaretur, imò herbas omnes, quæ ad lustrationem ualebant, aut Magiam, aut quodcunque aliud simile facinus, per excellentiam, uerbenacas appellabant, & hierabotane, quamuis hoc nomen huic peculiare sit: à Ferrariensibus corrupto uocabulo Borbonaga dicta, à Gallis uerueine, à Germanis ysenkraut, uel eisenkraut, ac si ferri herbam dixerint, & ysenhart. Adeò Ferrariensibus nota est, ut nihil notius uerbena: aquosis enim locis nascitur, ideo ne illam à montibus petas. Duas species habet, in re medica seiunctas uires habentes, quas etiam Græci & Latini uario nomine partiuntur: quippe Plinius in marem & fœminam secat, Dioscorides per rectum & supinum diuidit. Recta uerbenaca apud Plinium, mas est: supina, fœmina. Nosti ne ambas species? SEN. Quid ni? apud omnes adeò notæ sunt, & in toto agro Ferrariensi frequentes, ut canibus nostris notior sit, folia in similitudinem folij quercus habent. BRA. Ita est circuncirca incisa, ideo & ea species quæ supina dicitur, quercui à Dioscoride comparatur, quamuis & altera etiam species eidem comparari potuisset. Romani marem, Cristum gallinaceum: fœminam uero, circinalem uocant: non assurgit fœmina, sed quasi serpit, & humilis est: ideo à Dioscoride ὑπτίαν, id est, supina

Hierabotane.

Verbenæ species duæ.

ſupina dicitur: quum eris Ferrariæ, ſeorſum ambas ſpecies collige, unà autem folia, caulis, flores, & radices ſint. SEN. Non conſueuimus has ſpecies ſeorſum habere. BRA. Error erat: nam, ut Dioſcorides tradit, mas ad nonnulla ualet, ad quæ fœmina inepta eſt, & è contrario. SEN. Eupatorium ſequitur. BRA. Nihil eſt ferè in re herbaria tam corruptum, quàm hoc quod eupatorium dicitur. SEN. Quam ob rem? BRA. Quoniam nec Eupatorium, quo uos utimini, uerum eupatorium eſt, nec id nomen, quod nunc uero eupatorio tributum eſt, illi quadrat. SEN. Quomodo fieri poteſt, quòd eupatorium, eupatorium non ſit? Aequè eſt ac ſi quis hominem non eſſe hominem dicat, aut equum equum: hoc eſt de quo miror, Iuniores quoſdam nunc prodire, qui omnes noſtras herbas damnent. BRA. Mihi, optime pater, nullo modo credendum eſt, ſed antiquioribus autoribus fidem præſta. En tuum hoc eupatoriū, quantum à Dioſcoridis, Plinij, & antiquorum eupatorio cuariet, conſidera: lege tu Dioſcoridem, fruticoſa herba eſt, ſingularis exit ex ea uirga, gracilis, lignoſa, recta, nigra, piloſa, cubitalis, & aliquando maior: folia habet per interualla partibus diuiſa quinq; ferè, aliquando tamen pluribus, quinque folij, cannabis ue folijs ſimilia: nigricant, & hæc etiā, ſerræ modo in extremitatibus inciſa. Semen fert ſingulari illi uirgæ deinceps adnaſcens, in terram annuens, adeò aſperum & hirſutum, ut ueſtibus ſiccatum hæreat. SEN. Nullam habet cum noſtro uocato eupatorio, aut modicam ſimilitudinem: quam uero herbam eupatorium putas? BRA. Illa eſt quæ uulgò Agrimonium appella

Eupatorium.

Agrimonium.

tur. SEN. Si figuram herbæ, & Dioscoridis picturam contemplor, ea omnino est. Verùm agrimonium nostrum Dioscoridis Argemonem existimabam. BRA. Id fieri non potest, si eius descriptionem in Dioscoride consideraris: quippe inquit, Agresti papaueri similis argemone est, folia anemones habet, incisuris diuisa, florem in caule pumiceum, capitulum erratici papaueris, quod Roeda uocant, oblongius tamen, & in superiore sui parte latius: radicem rotundam, quæ diluti aqua croci colore liquorem ex se remittit, ui sua acrem. SEN. Hæc nihil habet cum nostro agrimonio commune, uel in folijs, floribus, aut radice: fortè est altera species argemone. BRA. Et illa eadem folia habet. SEN. Miror cur tam diu latuerit. BRA. Imò post celeberrimi Nicolai Leoniceni tempora præceptoris nunquam pœnitendi, multi pharmacopolæ nostro uulgari agrimonio pro eupatorio utũtur, eo ita demonstrante. Nec mirandum est, si in recentibus error diutius protractus sit: quoniam & antiqui eodem fere errore ducebantur, ut Dioscorides testatur: quippe argemonem, id est, ea quæ agrimonium appellatur, ab ipsis eupatorium dicebatur. At quam nos re uera agrimonium appellamus, uerum Dioscoridis eupatorium est, & argemone altera herba est. SEN. In præsenti de agrimonio nihil tractes, deinceps de illo uerba acturus. Id tamen scire optarim, quænam herba hæc sit, quam eupatorium uocamus. Est enim notatu digna herba, odorata, & uisu pulchra. BRA. Non est idem eupatorium ubique in Italia. SEN. De alijs non curo, de hoc nostro sermo fiat, quod in fouearum ripis nascitur, & humidis locis longiora folia habens

lia habens ferè cannabinis similia, flores in summo multos coaceruatos purpurascentes. BRA. Re uera herba est non satis laudata, quam egregijs uiribus insigniri arbitror: plerunq; eius gratia uniuersum Dioscoridem euolui, & eam inuenire non potui, nec Plinius, Galenus, Paulus, aut alter similem herbam pinxit. Non defuere tamen qui illam Symphytum petræum arbitrarentur, sed falsò: quoniam in saxis non nascitur, nec thymi ramulos habet, tenues à cacuminibus, nec thymi capitula, & quod potissimum est, non est dulcis hæc herba, sed subamara. Aliqui Enagrã esse arbitrati sunt, sed descriptione considerata adhuc peius sentiunt. Quam ob rem non inueni hanc herbam in aliquo ex antiquioribus autoribus, quam tamen uiribus præcipuis insigniri putamus, ut in Ferrariẽsibus herbis edocebimus, uolumine de ipsis tractando & iãdiu cœpto. In uinetis nascitur eupatorium Ferrariæ. Id autem intelligo, quod agrimonium dicimus, pro uero eupatorio colligendo: cuius herbam, radices, & semina seruabis, quod in his montibus potius, quàm Ferrariæ habere studeas: à Gallis etiam eupatoire, & à Germanis Leberkraut, id est, iecoris herba, uocatur. SEN. Dic mihi (ni pigeat) Arabes sunt'ne de hac herba loquuti? BRA. In eupatorio herbam describunt eisdem ferè uerbis ut Dioscorides facit, ut Serapionem legẽti manifestum erit, & Mesuem: quamuis Mesue Centaurij minoris fõlijs cõparet, & alij cannabis, aut quinquefõlij. Sed fortè corruptus est Mesue textus, qui omnia à Serapione accepit: in hoc tamen à Serapione dissentire uidetur, ideo corruptum esse eius codicem suspicor, quia etiam Auicenna, à

Symphytum petræum.

quo sumit, cannabinis foliis assimilat, & non centaurij minoris. SEN. Hoc summè placet, quia alteram herbam esse apud Arabes eupatorium, quàm apud Græcos putaueram. BRA. Eadem est, sed ob peruersam ex Græco in Arabicum, & ex Arabico in Latinum, uel potius barbarũ, interpretationem, plurima immutata sunt, ut alijs uestibus induta, alia etiã uideatur. Constat autem Serapionem Dioscoridem sequi, & nonnullos alios Arabes, Auicennam Serapionem, & Mesuem posteriorem utrosque. SEN. De hac herba satis: ad hyssopum de-
Hyssopus. scendamus. BRA. Et hyssopus duas species habet, quæ locis tantum differunt, hortensis, & montana: hortensi, montana efficacior est, ideo montanæ solum herbam, caulem, & flores serua. SEN. Id faciam: nam notissima herba est hyssopus. BRA. Apud te fortè nota, sed ego in ipsa ualde dubito. SEN. In herba etiam mulierculis nota dubitas? BRA. Imò maximè, quoniam Dioscorides eam suo loco non pingit, sed libro quarto, ubi de Chrysocome tractat, inquit habere comantes corymbos figura hyssopi: at nescio in hyssopo comantes corymbos uidere, id est, in nostro uocato hyssopo, & ita apud omnes intellecto. Adde, quum origanum heracleoticam pingit, dicit folia habere hyssopi: σκιάδιον δὲ οὐ προχοειδὲς, id est, umbellam autem non in modum rotæ, ac si hyssopus habeat in modum rotæ umbellam. Verum nec folia nostræ uocatæ hyssopi, nec umbella conuenit, quoniam hyssopi flores in modum spicæ sunt. Comparat quoq; & alteram origani speciẽ hyssopo, quod & Plin. lib. 20. cap. 16. & 17. fecit. SEN. Hæc quoque me in dubium uertunt:

à te, quid dicendum sit, noscere optarem. BRA. Folium hyssopi omnino cum origano similitudinem habet, licet in hoc latius sit. De umbella modo, aliter dicendũ, quàm à Marcello interpretatum sit. Ipse enim interpretatur, ac si origanus habeat umbellam, sicut hyssopus. In origano ucrò sit multifida & diuisa, in hyssopo rotunda: tamen Græcus textus non confert umbellam origani ad illam hyssopi, sed simpliciter ad umbellam: quia re uera umbella in rotundũ ucrgit, et simplex est, sed in origano multiplex. Quam ob rem Hermolaus rectius Dioscoridem interpretatus est, non faciens comparationem ad hyssopum, sed simpliciter dicens, ut uerba Græca innuũt, σκιάδιον δὲ οὐ τροχοειδές, id est, non modo rotæ umbellam habens. Ego quandoque Græca uerba non aduertens, sed Marcelli tantum interpretationem, nostrum uulgatum hyssopum, origanum heracleoticam esse arbitrabar, sed nunc errorem animaduerti. Eodem nomine à Gallis, Hispanis, & Germanis dicitur: primi hisope, alij Ixopo, tertij Isop appellant. SEN. Arabes de hoc hyssopo loquuntur? BRA. Loquũtur omnino, & id est quod hyssopum montanam Mesue uocat. Quod enim dicit hyssopum hasce Thymus est. SEN. Marrubium occurrit. BRA. Deprehensus est ab excellentissimo præceptore Nicolao Leoniceno in hac herba error Plinij, quippe qui ex unius uocabuli falso intellectu, multas herbas cum porro confuderit: nam Græcè Marrubium, prasion dicitur, porrũ ucrò prasum. Plinius aliquas herbas marrubio comparans, quia ita ab antiquis acceperat, ipsas porro comparat, ut crininon, ballote, stachij, porro aßi- Marrubium.

milari dicit, quum marrubio scribere debuisset: nam antiqui Græci has herbas prasio, id est, marrubio, non praso, id est, porro comparãt: ideo una literula Plinium fefellit. Sed hæc longius à Leoniceno in epistola ad Angelum Politianum. Duæ marrubij species constant: una, herbacea & multis incisuris diuisa: altera, folia rotundiora habet, et squallida. Prima specie, ut inquit Theophrastus sexto de plantarum historia, in uarijs medicamentis utebantur. Plinius eodem modo, sed per alia uerba secare uidetur: nam ipse in nigrum & candidum partitur. De albo Dioscorides in capite de Marrubio peculiariter tractat, & id marrubium est quo nos utimur, & in uestris officinis habetis, folia ferè rotunda & albicantia habens, quod apud nos in ruderibus & circa areas domorum nascitur, ubi lapidũ cumuli sunt: ex hoc quũ eris Ferrariæ (quãquã hic efficacissimum sit) folia & caules simul, ac seorsum semina seruabis: uulgus etiam nostrum marrobio uocat, & ita Galli: Germani uerò, andorn: nomen est sumptum à morbo quodam puerili, qui marrubio sanatur. Nigrum marrubium nostri temporis pharmacopolæ non colligunt: tamen Theophrastus loco citato, in re medica plurimum ualere scribit, & Plinius ei multas dotes tribuit.

Marrubii species duæ.

Marrubium nigrum.

SEN. Hoc nigrum marrubium apud Dioscoridem quænam herba est? BRA. Nunc non est animus eas herbas tractare, quarum nullus est in uestris officinis usus, tamen ne tergiuersari uidear, eam esse suspicor, quæ à Dioscoride Ballote nuncupatur. SEN. Adhuc anceps sum, æquè enim Ballote ignota est herba ut nigrum marrubium BRA. Ego Balloten illam suspicor, quæ à nostris urti

Ballote.

stris urtica mortua, & iners urtica uocatur, quæ folia urticæ habet, sed non pungentia aut adurentia, fōlijs pur puraſcētibus: cuius ingens copia in ruderibus Ferrariæ, et incultis locis. Hæc per ſuſpicionem dicta ſint, aliàs per certitudinem magis rem tractabimus, & ſine ſuſpicione de hac re loquemur. Vnum tamē admonere uolo, Plinīū, præter duo genera marrubij, album & nigrum, Balloten tanquam quoddam diuerſum ſcripſiſſe. hæc autem aliàs. Tu cæteras herbas proſequaris. SEN. Scordion. Scordion. BRA. Dic optime pater, quæ herba illa eſt, quam ſcordion appellatis? SEN. Syluestre allium. BRA. O errorem execrabilē: Is Tireſia cæcior eſt qui non uiderit. SEN. Quur error? Ego & præceptores mei ſyluestre alliū ſemper accepere. BRA. Mentē adhibeas his quæ dicturus ſum. Duo uocabula ſunt ſatis affinia, ſcordion, & ſcorodon: ſcorodon à Græcis allium dicitur, & ſcoro Scorodon. don agrion, allium ſyluestre. Arabes in his uocabulis de= cepti ſunt, & Arabum imitatores loco huius uocabuli ſcordion, ſcorodon intelligentes, & allium ſyluestre in= terpretantes, ut Auicenna in una deſcriptione Theriacæ ſcordion ponat: in altera ſyluestre allium, pro ſcordio, in hoc uocabulo ſcordion, putans ſcorodon eſſe, deceptus. Hinc recētes omnes, & pharmacopolæ hactenus decepti ſunt, pro ſcordio cuiusdā ſyluestris, allij ſpeciē ſumentes: non uident autem apud Dioſcoridem, allium non eſſe, ſed herbam Trixagini ſimilem, unde à Romanis paluſtris Trixago pa= luſtris. trixago dicitur: tamē maiora fōlia habet, odoremq; allij, propter hoc fortè multi decepti ſunt, allium ſumentes. Amarum & adſtringentem ſaporem, & quadrangulum

caulem habet, in quibus flos rubescens est, à Plinio felicissime 25. lib. capite sexto descripta. In hoc monte ubi aqua scaturit, ingentem huius herbæ copiam habes: etiã Ferrariæ in aliquibus planis & aquosis inuenitur. Plinius & Dioscorides differunt: quoniam Plinius in planis & aquosis locis, Dioscorides in montanis & humentibus nasci fatetur. Tu fõlia & caulem in his montibus colligito. SEN. Quo nomine allium hoc syluestre, quo pro scordio utebamur, apud autores uocatur? BRA.

Scorodopraſon

Ampelopraſon

Scorodopraſon, ab allio, & porro nomen sumens: uel Ampelopraſon, quasi uineale porrum. Verum etiam Galli, & Hispani, ac Germani pharmacopolæ pro scordio allium syluestre intelligunt, & eo utuntur, quum tamen fuerit nobilissima herba Mithridati adscripta. Gal

Baccharis.

li enim appellant scordion, aulx sauuages, & Hispani aiodrauo, quũ tamẽ hoc non sit. SEN. Bacchara in mediũ uenit. BRA. Quid intelligis per Bacchará? SEN. Eam herbã quæ alio nomine asarũ appellatur. BRA. Mirabar te à cõmuni errore liberũ esse. Duæ herbæ sunt, baccharis, & asarũ, si quis Dioscoridem & Plinii rectè considerabit: & fortè hinc error manauit, cur à nostris uulgari

Asarum.

bus asarũ bacchara appellaretur, quia multæ baccharis notæ in asaro positæ sunt, de nominibus præsertim, & uiribus: hæc autẽ nihil ad præsentẽ locũ. Vide asari copiam in illo macro & sitiẽti loco, radices, & herbã serua, ea fõlia minora habet, quàm hedera. SEN. Ferrariæ in meo horto fõlia multo maiora habet, quã hederæ fõlia: miror autem cur Dioscorides multo minora fecerit. BRA. Ne admiratione afficiaris, quoniam locus in quo nascitur in

causa

causa est, cur folia ampliora euadant. In Ferrariensi solo, utpote humidiori, latiora folia nascuntur. At si in macro & arido sit, quem desiderat, folia minora fiunt. Dioscorides autem de asaro in proprio loco nascente uerba fecit, & de eius folio ut in pluribus reperitur: de hac autē herba à nostris uulgaribus appellata bacchara, quod uerum asarum sit nullo modo dubites, quam Germani Haszelwurtz appellant, quasi dixerint leporis radicē: sed unde hoc, ignoro, nisi ex aliqua cum leporis similitudine factum sit: Galli uero Racabarant hanc proprio nomine uocarunt. SEN. Quid modo baccharis est edisseras. BRA. Baccharis diu autores digladiari fecit, adeò ut eā Plinius asarum existimarit. Fuere qui ipsam Garyophyllum, id est, florem illum nostrum uulgarem odoratissimum, & pulcherrimum, quem Garophalum uulgò dicimus, putarint, adeò mirum uidebatur, florem tam pulchrum & odoratum apud antiquos ignotū: sed id re uera nullo modo dici potest, quum descriptiones oppositū ostendant, ut cuilibet in Dioscoride & Plinio uidere licet. Nicolaus Leonicenus eam baccharem esse putauit, quam nostrum uulgus sclaream dicit: non sclaream illā, quæ asprella uocatur, inter equiseti species à nobis suprà reposita, sed herbam illam magnam, quæ purpurascētes in album flores facit, herbam sancti Ioannis etiam Ferrariæ uocata, quam Simon Genuensis centrum galli, aut cristam galli nominat. Duplex autem est, hortensis, & syluestris, ambas credo nouisti. SEN. Et nullius Ferrariæ est, qui non nouerit. BRA. Decipitur autem Genuensis putans eam herbam, quam Plinius cap. V. lib. XXVII. Sclarea.

Alectorolophon uocat, prædictam sclareã esse. At quicquid sit in præsenti pro bacchare, Leonicenum imitari iubeo, ut hanc quam dicunt sclaream, serues, in his asperis montibus collectam, cuius radices, & folia seorsum habere studebis. SEN. Baccharis est ne re uera sclarea, aut sancti Ioannis herba? BRA. Hoc in præsenti non assero, sed laudo tantum ut interim sclarea pro bacchare utaris (ut Leonicenus edocuit) quousque meliora inueniamus: nam aliàs de hac herba diffusius loquuturus

Perforata. sum. SEN. Perforata sequitur. BRA. Mira herba, & mirum magis, Dioscoridem eius folium non pinxisse, in illis præsertim foraminibus, quæ in ipso apparent, si præ oculis ponatur: mirum præterea est Plinium solertissimum uirum hoc non animaduertisse, qui lib. XXV. cap. XIII. eam diffuse pingit. SEN. Non ne est illa

Hypericon. herba, quæ ab antiquis hypericon nuncupatur? BRA. Potest quidem, & eodem nomine appellari, quoniam nonnulli apud Dioscoridem eam ita uocant, sed proprie & uerè hypericon albos flores habet: unde hæc esse non potest, cui lutei insunt flores. Illa autem est apud Dio-

Ruta syluestris. scoridem, quam Rutam syluestrem nominat, de qua tertio libro agit: flores, folia, & radices serua. SEN. Radices seruare assueti non sumus. BRA. Tamen ad usum medicum proficiunt, imò ut semina etiam condias iubeo: solum gracile, & cultum amat, ideo Ferrariæ illam habere poteris. In seminibus autem maximus recentiorũ error inualuit, ut quum rutæ syluestris seminibus, in nonnullis receptis (ut dicunt) uti debuissent, semen cicutæ accipiunt herbæ perniciosissimæ. Sunt tamen qui potius

hanc

hanc perforatam, ascyron apud Dioscoridem putarunt, quàm rutam syluestrem: uerum idem sunt specie ruta syluestris, & ascyron, tantum differunt quia Ascyron maius est: sunt ambæ idem, differunt sola magnitudine, & ambæ perforatæ, ambæ hypericon, ambæ androsæmon, & eisdem uiribus insigniuntur. Ita eas nosco, & discernere scio, ut tu ipse lactucam à brassica. Galli & nonnulli Germani ferè nomen Latinum imitantur: illi enim rue sauuage, isti uild Rauten, id est, ruta syluestris dicunt. Nostrum uulgus & perforatam, & herbam sancti Ioannis appellat, quamuis & altera etiam sancti Ioannis supradicta sit: sed huic habent proprium nomen Galli dictum à foraminibus, nam ipsam appellant mille pertuis, ueluti si dixeris mille foramina: & alij Germani Iannes kraut, id est, Ioannis herba: alij Runrath, alij Vnserfrauuen bedtstro, id est, nostræ dominæ stramen: alij harthau, id est, durum fœnum uocant: quæ nomina sunt magis propria, quàm quod primo loco dictum est. Ascyron.

Quum uero de ruta sermo inciderit, etiam Ferrariæ nostram hortensem rutam habebis, cuius semina, radices, & folia seorsum colliges. SEN. Et capraria ruta in medium uenit. BRA. Experientia monuit, hanc herbam pestilenti morbo summè proficere. Nostrum uulgus giargam uocat: apud antiquos penitus ignota uidetur. Nam descriptiones specierum Rutæ effugit: nõ enim syluestris, aut satiuæ, gallaticæ, aut montanæ speciem subijt: ideo noua herba potius est, quàm ab antiquis descripta. Quandoq; uero suspicatus sum eam esse, quæ quarto libro à Dioscoride polemonium uocatur: quum Ruta hortensis. Ruta capraria. Polemonium.

autem res sit plena ingenui pudoris, fateri per quos profecerimus, in hac re me attentum fecit excellentißimus Nicolaus Leonicenus, & doctißimus Vincentius Capril lis confirmauit. Cuius sententiæ & in præsenti sum, quousque meliora inuenerim: nam hæc herba ramulos habet graciles, pẽnatosq;, fõlia paulò maiora quàm rutæ, oblongiora tamen, ad polygoni & nepetæ longitudinem. In summo ramulorum ueluti corymbi sunt, in quibus nigrũ semen est, radix cubitalis, alba, lanariæ herbæ radici similis. Ex hac Dioscoridis pictura uides rutam caprariã huic ferè similem esse. SEN. Imò in nullo dissentire uidetur. BRA. In hac aspera montis parte, atq; macra huius herbæ fõlia, radices, semen, & expressum succum colliges: quum autem experientia aduersus pestilẽtem morbum ualere ostenderit, quod frequentißime obseruatum est, ut per eius succi potionem plures in sanitatem ex eo morbo restituti sunt. Dioscorides uero contra serpentes ualere dicit, & uenena, suum polemonium: quæ autem ueneno, etiam pestilenti morbo aduersantur: ideo & ex indicio uirium, rutam capprariam cum polemonio idem esse iudicandum. Etenim Giarga, uel ut alij, Galga, serpentes, & mire puerorum uermes interficit: ex eius succo, aloẽ, myrrha, & croco pretiosißimum ad uermes puerorum unguentum paro. Alij herbã sarracenam, alij fœnugræcum sylueſtre illam appellant. SEN. Soldanella occurrit. BRA. Hanc & soldanam uocant, in quo Pandectarius longe errauit. SEN. Quomodo potuit tantus uir errore duci? BRA. Hoc tibi adeò aperte ostendetur, ut nullam habeas excusandi ansam. SEN. Ostendas obsecro:

Giarga, siue Galga.

Soldanella.

secro: alioqui semper illi incorruptam fidem tribuam.
BRA. Autor hic Chachillem apud Serapionem, soldanellam esse fatetur. SEN. Hoc certissimum est, & semper id tenui. BRA. Sed errorem audias: Serapio inquit chachillem usnæ, aut nasturtij fŏlia habere: uidetur'ne tibi chachillem usnæ, aut nasturtij fŏlijs ambiri? SEN. Vsnæ fŏlia non habet: sed quid nasturtium sit ignoro. BRA. Nasturtium ea herba est, quam Ferrariense uulgus ex acrimonia agreto uocat: uidetur'ne tibi soldanellam eius habere fŏlia? SEN. Minime. BRA. Igitur Pandectarius tuus errauit. SEN. Si meus errauit, etiam tuus, quia eadem nota impressi sunt. BRA. Non dico tuum, quem possideas, sed quem ames, quem tota mente prosequaris. SEN. Tu ergo odio habes? BRA. Non odio habui, sed illi non adeò fidem præsto, quin antiquioribus potius credam. Ipsum uero summè laudo, ut eum qui suo tempore plurima uiderit, & alios iuuandi gratia, in cumulum redegerit. SEN. Hæc dimittamus, ne opus nostrum impediant, remorentur'ue, nam tibi credere statui. Verum hæc herba ab antiquioribus quo nomine insignitur? BRA. Omnino dubia est: tamen ea uidetur, quam Dioscorides Brassicam marinam uocat: habet enim fŏlia aristolochiæ rotundæ similia: in maritimis nascitur, & Ferrariam importatur: aquam intercutem habentes mire soluit, ut plures eius puluere sanos reddiderim: hic non inuenitur, sed commodius palæstinæ Venetorum, inter Motamauchi, nunc Malamochi portum, & fossam Clodiam, quæ Chioza dicitur sitæ, circa maris litora, magnam copiam inuenies: aut circa

Cachille.

Nasturtium.

Brassica marina.

Illustrißimi Ducis nostri maritima, ubi uulgo Campo de goro dicitur, colligere poteris. Vno tantum deterreor, Dioscoridem scriptum reliquisse braßicam marinam fŏlia habere longißima, quod ſoldanellæ non conuenit. Id fortè in aliquo loco est, non omnibus. Miror autem quomodo Dioscorides dicat longißima fŏlia, & aristolochiæ rotundæ similia, quum rotunda aristolochia longa non habeat: unde ſuſpicatus ſum, etſi Græcus textus dicat, φύλλα μακρὰ, ut longitudinem ad fŏlia tribuat, id in fŏliorum ordine intelligendum potius: quoniam eiuſcemodi herba serpit, & ex uno pediculo hederaceorum modo prodeunt, prodeunt uero à ramulis longis per terram repentibus leniter rubentibus: nihil enim hanc marinam braßicã ſoldanellam esse impedit, quàm hæc fŏliorum longitudo. Hæc autem satis, interim alias herbas enumera. SEN. Abrotanum. BRA. Herba Ferrarienſibus notißima, in modum arboris creſcit, ut frutex dici poßit, & pulcherrimam comam in rotundum facit. Eam edocere opus non est, eodem nomine uulgò appellatur Aurodano: ſæpe enim uulgus noſtrum loco b, u, & loco t, d, ponit. Hanc herbam marem & fœminam habere Dioſcorides teſtatur. Eam in his montibus indiſcriminatim legito, & ſemina, ac ramulos ſeruato: à Gallis Auropne, corrupto à Latino, nomine, & à Germanis nonnullis ſtabwurtz uocatur. SEN. Centonicum ſequitur. BRASA. Turpe est uocabula immutare, & turpius corrumpere, Centunculum dicere oportet. SEN. Esto centunculus ſit, ſed centonicum à pueritia uſque didiceram. BRA. Gnaphalion à Græcis di

Abrotanum.

Centonicum.

Centunculus.

eis dicitur. Plinius Clematidem à Græcis appellari censet, sed falsò, ut inquit Leonicenus, quamuis facile defendi possit à calumnia Plinius, non esse clematidem aliquam Dioscoridis, sed eodem nomine etiam appellari, præter id quod & gnaphalion dicatur: notissima herba est, qua antiquitus pro tomento utebantur: flores in ramulorum summitate luteos habet, non albicantes, ut Marcellus inquit: fŏlia cum floribus legenda sunt in his montibus, licet etiam Ferrariæ in copia uireat. At quum uos pharmacopolæ diuersis herbis utamini, pro centunculo, hæc tantum centunculus est, quæ fŏlia mollia, tenuia, & alba habeat, & adeò mollis est, ut uideas nos ea pro tomento commodè uti posse. Nostrum uulgus centonego: Germani Rhorkraut, id est, tominum herba, quoniam ipsa tomina sanent, appellauerunt: quamuis & alij, eadem tamen significatione, ipsam rodekraut dicant. SEN. Sauina, & post eam Iunipe- Sabina.
rus uenit. BRASA. Commodius numerasti, quàm tui Arabes fecerint, quippe qui sabinam à iunipero distinxisti. Tuus autem Serapio simul cum iunipero sabinam confundit. SEN. Imò sabinam per se scripsit. BRA. Scripsit quidem, & seorsum, sed postea inter species iuniperi sabinam computat: quod nusquam à Dioscoride, Plinio, Galeno, Paulo, aut Aëtio factum est, tamen non adeò improbo, ut non uideam secundum uarias linguas ita dici posse: nam hablagar, quo Arabicè iunipe rus significatur, sabinam etiam comprehendit. Quum uero duæ sabinæ species sint, altera fŏlia cupressi, altera tamaricis habens, quamcunque collegeris,

tuæ officinæ ſatis erit, & præſertim in his montibus habere ſtudeas, & potiſſimum fŏlia. A Gallis ſauine, à Ger
Iuniperus. manis ſeuerbaum dicitur. De Iunipero idem ſentiendum, quum duæ ſpecies ſint, maior & minor, utram collegeris, ſatis erit. Id commodius fiet, ſi maritima loca adeas, in quibus fŏlia & grana colligere oportebit: grana tamen iuniperi non debent eſſe fabarum granis minora. At loci ſiccitas in cauſa eſt, cur minora fiant: hoc addidi propter eos qui iuniperum noſtrum, ob granorum paruitatem, iuniperum eſſe inficiantur, non enim grana habet ad Dioſcoridis menſuram deſcriptam: hoc tamen ubique neceſſarium non eſt: nam conſtat in omnibus iuniperum eſſe, præterquam in granorum magnitudine. Nos quandoque iuniperi grana Venetijs uidimus, ad menſuram fabæ, imò ferè auellanam nucem æquabant: erant autem ex Græcia Venetias allata.

Hepatica. SENEX. Hepatica ſequitur. BRASAVO. Nuſquam apud antiquos autores (quos ſciuerim) alteram hepaticam inueni, quàm eupatorium, id eſt, quæ per excellentiam hepar iuuaret, unde ab hepate nomen accepit: quamuis Plinius ab Eupatore rege nuncupauerit, ut hinc deprehendi poſſit, ſi à rege denominationem habeat, abſque aſpiratione ſcribi: ſi ab hepate, cum aſpiratione, & potius hepatorium quàm heupatorium dicendum: tamen in præſenti communi omnium ſermone utemur. Illa uero herba, quæ à recentioribus eupatoria dicitur, quæ intra puteos, & humentes lapides naſcitur, terræ inhærēs, hinc inde fŏramina habens, ac ſi oculi ſint parui, à Dioſcoride, & antiquioribus lichen uocatur,

uel

uel βρύον, id est, muscus: nam supra muscum nascitur, Muscus.
imò Dioscorides muscum ipsum esse tradit, fistulosa her
ba est: lichen uerò dicitur, quoniam peculiariter impeti- Lichen.
gini succurrit. Cur uerò à recentioribus hepatoria dicta
sit, & à nostris mulieribus figatella, ob id factum esse ar
bitror: quoniam Serapio ex sententia Dioscoridis inquit,
hanc herbam Ictericis succurrere, qui morbus ab hepate
uenit: tamen per os exhibet Serapio, quod Dioscorides
illinendo dixerat. Idq; Pandectario ansam errandi præ-
buit, qui secundum Galenum & Dioscoridem, ad omnes
ægritudines hepatis ualere fatetur, quod tamen apud hos
autores nusquã dictum inuenitur. Errat etiam Pandecta-
rius, quia Lichenẽ facit apud Arabes ainet, postea hazez
mulsareth: postea quum de lichene tractat, limum terræ
uocat. Quicquid sit, ostẽdit se nescire nomina, & minus
ipsam rem. Ob id fortè hepatica dicitur, quia humida est
& frigida: at plerunque hepar caliditate peccat: sed
quòd hæc per excellentiam hepatica sit, nunquam fateri
opus erit. Ego quãdoq; musci herbã esse arbitrabar, quia
supra muscũ ortam sæpe inueni: sed re uera altera herba
est, quamuis à Dioscoride muscus etiã appelletur, quam
etiam recentes Vsnem dicunt: licet usne potius ea uidea- Vsne.
tur quam Dioscorides Telephion uocat: sed hæc aliàs.
Nunc tantum id scito, à Germanis etiam ab hepate, le-
berkraut, id est, hepatis herbam uocari, quamuis & eo-
dem nomine eupatorium quoque comprehendatur. Hanc
herbam Ferrariæ commodius habebis, quàm aliquo alte-
ro loco, intra puteos, & per humecta impluuia strata,
ubi solares radij parum uagantur. SEN. *Centaurium*

maius & minus accedunt. BRA. Statim à prandio de maiori Centaurio uerba fecimus, quid esset ostendentes, & quomodo à rhapontico differat. Minus autem centaurium ne hic quæras, quoniã aquosa loca amat, & in Ferrariensi agro mirifice crescit. SEN. Differunt ne Centauria hæc? BRA. Et apprime differunt, non ne oculis, eorum differentiam percepisti? SEN. De uiribus loquor. BRA. Arabes tui de centaurio loquentes, in maius & minus partiuntur, postea earum uires exarantes adeò confundunt, ut indiscriminatim amborum uires misceant, quum tamen à Dioscoride, Plinio, Galeno, Paulo, Aëtio, longe distinctæ probentur. Ipsi uerò Arabes, ut Mesue, ac Serapio, de his, ac si easdem uires habeant, loquuntur, quum ualde distincta sint, & solo nomine quadrent. Ita uerò appellantur, quia à Chirone centauro inuenta, quum uulneratus Herculis sagitta curaretur. Latini ob summam amaritudinem, minus centaurium fel terræ appellarũt: in qua re Theodorus Gaza deceptus est, qui nono de plantarum historia libro, Theophrastum interpretans ubi de maiori centaurio tractat, fel terræ interpretatur, quod minus centaurium est. Et, quod magis graue est, Theophrastus de radice loquitur, quam per decem annos reseruari tradit. At Dioscorides & Plinius, radicem minoris centaurij superuacuam esse, & nullius usus affirmant: ipse uerò interpretatur fel terræ, quod est minus centaurium. Tamen excusari potest Theodorus, qui in publicis Dioscoridis textibus, inter alias maioris centaurij appellationes fel terræ inuenerit, sed falso: quoniam maioris centaurij radix subdulcis est, minoris autem amariſsi

Centaurium minus.

Fel terræ.

amarissima, ideo, ut Plinius uir Latinus refert, fel terræ dicitur. SEN. Reperitur'ne Centaurium maius in nostris Ferrarienſibus campis? BRA. Pharmacopolas herbam quandam pro maiori centaurio in noſtris agris legere uidi, ſed uariè, nam quidam minus centaurium colligunt. At quia in humidiori loco natum (humida enim ſumme amat) ideo fõlia latiora habet, & altiorem ſtipitem. Alij pro maiori centaurio herbam colligunt luteos flores habentem, quæ maius centaurium eſſe non poteſt, tum ob multa alia, tum quia radicem paruam habet: nec iuglandis fõlijs inſignitur, at nec minus centaurium eſt, licet fõlia ſimilia habeat, quoniam flores eius ſunt lutei, nõ in puniceo purpuraſcentes. SEN. Quæ ergo herba eſt? BRA. Nondum mihi compertum eſt: ſed nunc ſatis habeas, nec maius, aut minus centaurium eſſe nouiſſe. Et Arabes ſimul hæc duo centauria confudiſſe. Ferrariæ, minoris centaurij floreſcentes ramulos, & radices colliges. SEN. Et ſi Arabes harum herbarum uires confundant, deſcribuntur'ne optime ab ipſis? BRA. Dioſcoridem ipſis compara, & tu ipſe iudex eſto, nam & in herbis ac floribus differre cõperies: nunc mihi animus non eſt aliorum errata corrigere, qui potius in colligendis herbis tibi adiumento eſſe inſtituimus: ne herbas in montibus quæras, quæ in plano efficaciores ſint, & quæ partes colligendæ ſint, edocere. Interim alias herbas para. HER. Ne aliarum nationum nomina deſeras. BRA. Galli, centaure dicunt: poſtea ſuis nominibus grande, & petite diſtinguũt. Sed mirabilius nomen à Germanis tribuitur: hi enim arbitrantes centaurium non à Chirone cẽtauro,

id nom

ſed à centum aureis dictum, uocant ipſum nomine à mille aureis dicto, Tauſentguldenkraut, id eſt, herba à mille aureis dicta. SEN. Pulchra quidem nomenclatura, & ridicula. Pimpinella ſequitur. BRA. Hãc herbam apud antiquos nunquã inueni. Hermolaus libro quarto ſui corrolarij in capite de ſaxifrago eam mire deſcribit, quæ incipientibus hydropicis multum ualet. SEN. Imò eſt ualde ſimilis ſaxifrago: unde quum eſſem puer, carmen didici, cuius frequenter ab antiquo Herbario recordationem fieri audiebam:

Pimpinella pilos, Saxifraga non habet ullos.

BRA. O pulchrum & mirum carmen, fuit omnino memoriæ mandandum: unum eſt, pimpinellam apud antiquos non extare, quos ſciuerim: tamen Theodorus Gaza in Theophraſti interpretatione, quum dicit Thryallis, ipſe bibinellam interpretatur. Si autem per bibinellam hanc intelligit, quam pimpinellam Ferrariæ dicimus, in acetarijs gratam, ut etiam multi recentes illi attribuunt, longe errat: nam conſtat thryallidem herbam pimpinellam nõ eſſe, ſi quis etiam pinguis Mineruæ deſcriptiones legat. Nam pimpinella herba eſt habens ſurculos ab eadem radice plurimos ac denſos, rubros cum radice, fõlio paruo orbiculato, & extremitatibus ſerrato, ſemina in modum mori rubri facit: hæc eſt pimpinellæ forma, quæ & pampinulla, & bipenula, & à ruſticis Patauinis ſanguiſorba dicitur, à Gallis pimpernelle, & à Germanis bibenell. Huic modo thryallem conferamus, ut Dioſcorides pingit in phlomide, nullam habere cum prædicta ſimilitudinem, ſtatim conſtabit. Verum ſi Theodorus hoc nomen bi

Pimpinella.

Thryallis.

men bibinella Thryallidi tribuerit, ut linguam Latinam ampliaret, encomio dignus est. At ex altera parte arguendus, qui inepta nomina sequatur, quũ apud nos id nomẽ Thryallis in usu sit, ut apud Plinium constat uirũ Latinũ: ideo nõ est opus in herbis ita temerè nomina immutare: huius herbæ fŏlia cum ramulis, & seorsum semina seruabis: tamen Ferrariæ in hortis habetur, & in magna copia, nam ea in acetarijs utimur, & incipientibus ascitis proficit. SEN. Mirum est tam pulchram herbam ab antiquis non fuisse descriptam, quæ etiam pluribus morbis prodest. BRA. Ne admiratione afficiaris, quoniam plura multo elegantiora omiserunt, ut zuccharum, mannam, casiam, senã: ne igitur ex hac herba mouearis, quia multa post antiquos inuenta sunt, & plura inuenientur. SEN. Nullam habes herbam, quæ huic in Dioscoride quadret? BRA. Imò aliquam, sed an ea sit ambigo. SEN. Saltem te ipsum in hac re explica. BRA. Dioscorides libro tertio de Teucrio herba tractat, ita à Teucro Aiacis fratre nominata, quam dicit esse uirgatam, similem trixagini, tenui fŏlio, ciceris figura. Si autem trixaginis picturam consideres, quam nos uulgo Calamandrinam, quasi chamædryn appellamus, habet fŏlia diuisa sicuti quercus, ut manifestum uideatur Teucrium pimpinellam esse, si fŏlia & uirgas consideremus. SEN. Ego alioqui coniectari non possum, quàm Teucrium esse pimpinellam. BRA. At ego id non ita temere asserо: tamen suspicor, & figura illi satis affinis est, imò & uires, quoniam lienosis, & uenenatis succurrit. SEN. Te hoc silentio non præterijsse gaudeo: ad Squinantum uenia-

Teucrium.

Squinantum.

mus. BRA. *De herbarum foliis sermonem cœperas: at nunc ad flores transire uideris.* SEN. *Nihil hoc refert modo squinantum agnoscamus.* BRA. *In cassum in hoc monte quæres, quoniam in Arabia & Libya nascitur: Alexandriam Aegypti affertur, postea Venetias: à Græcis σχοῖνος dicitur, quamuis omnem iunci speciem hoc nomine significēt: at absolute positū, hunc per excellentiam significat. Latini iuncum odoratum, ad differentiam palustris, & Celsus iuncum rotundum, ad differentiam quadrati, uocat. Venetijs florem, radicem, & culmum emere poteris, quia omnium harum partium in re medica usus est: non dubito illum esse qui & nunc Venetijs uenditur, modo quis odorem nouerit, & à palustri distinguere sciat, quem cum odorato miscent. Nostri autē pharmacopolæ Venetias petentes decipiuntur, & festucas quasdam palustris iunci pro iunco odorato emunt. Nascitur etiam in Campania Italiæ prouincia, quæ nunc terra de Lauoro appellatur. Galli, & Germani, ultima syllaba dempta, ut nos ferè, squinant, uocant.* SEN. *Cymbalaria sequitur.* BRA. *Quam herbā hoc nomine intelligis?* SEN. *Eam, quæ Ferrariæ in parietibus frequenter nascitur, ab Hermolao libro quarto Corrolarij in Cotyledone descriptā, quæ folium quodāmodo anguloſum habet hederaceum, florem paruum, purpureum.* BRA. *Illam ergo intelligis quæ à nostris mulieribus herba uenti dicitur.* SEN. *Illam inquam, quam & umbilicum Veneris, & Dinarellam nostrum uulgus nominat.* BRA. *Nusquam apud antiquos autores hanc herbam reperi: qui enim Dioscoridis cotyledon esse fatentur, quo*

Iuncus odoratus.
Iuncus rotūdus
Cymbalaria.
Herba uenti.
Vmbilicus Veneris.
Dinarella.
Cotyledon.

tur, quoniam cotyledon cymbalium etiam dicatur, longe aberrant: nam Cotyledon in maritimis nascitur, nec folium habet coxendicis figura: qui uero ob id, eam esse putarunt, quia & umbilicus Veneris cotyledon ab antiquis dicatur, adhuc errant, quoniam ea herba quam quæris, Veneris umbilicum non representat. Fuere qui secundam fumariæ speciem, hanc cymbalariam putarint, quam gallinaceum pedem uocant. Quod esse non potest, quia hederæ folia non habet: unde non memini hanc herbã apud antiquos me legisse: nec mirum, quia omnia non pertractarunt. Nobis autem satis est à patribus & auis expertas uires habere, quamuis ab antiquioribus pertractata non sit. Eius ramulos cum foliis & seminibus Ferrariæ colliges, in parietibus antiquioribus & lapidum cumulis. Non est etiam secunda Cotyledonis species, quæ in modum sedi, in montibus nascitur. SEN. Artemisia occurrit. BRA. Non dubito (ut nonnulli fecere) eam quæ apud nos corrupto uocabulo Arcemise dicitur, ac si artemisia dictum sit, quæ folia absinthio similia habet, ut Dioscorides inquit, & eius duo genera facit, monoclonon, & Polyclonon, id est, unum ramum, & plures ramos habentem. Ambas species Ferrariense uulgus nouit. si apte distinguere sciret, & ipsis indiscriminatim utitur. Quam nos Matricariam, uel Marellam uocamus, artemisiæ species est, illa scilicet quæ male olet. Nec obstat quòd Ferrariæ duæ artemisiæ species sint, per unum & plures ramos distinctæ, quoniam & hæc in specie est quæ plures habet ramos. SEN. Si in genere artemisiæ matricaria collocari non posset, quam putares esse apud

Artemisia.

Matricaria. Marella.

antiquos? BRA. Hermolaus Barbarus Parthenium esse putat in helxine, & idem excellentissimus Ioannes Manardus putat, quem diu cum doctissimo Vincentio Caprilli dissentem audiui. At potius Caprilli assentiendum, matricariam, parthenium non esse: nam matricaria coriãdri fõlia non habet, qualia parthenio insunt, nec matricaria soluit. Nunc autem de ea herba loquimur, quæ Ferrariæ matricaria & marella appellatur, est enim artemisiæ species: tamen quum artemisia parthenium etiã dicatur, matricaria ipsa parthenium dici poterit. Sed nũc loquor de herba, quæ peculiari nomine à Dioscoride parthenium uocatur: scimus enim parthenij nomine plures herbas uenire. SEN. Quæ herba est hæc peculiari nomine parthenũ dicta? BRA. Vt te breuibus expediã, Partheniũ ea herba est quæ uulgò Brusaculo dicitur, fõlia coriandri habens tenuia, & flores per ambitum candidos, in medio luteos, odore uiroso, gustu amaro, & quæ bilem & pituitam trahat. Matricariæ nostræ hæc indicia non insunt, ideo nõ erit parthenium. Scimus tamen quosdam nostrum uocatum brusaculum, qui à recẽtibus cotyla fœtida dicitur, matricariam appellare: unde apud hos parthenium erit matricaria, quos fortè Ioannes Manardus imitatur: & hanc sententiam sequitur Serapio, qui matricariam ex sententia Dioscoridis pingens, parthenij figuram affert, id est, brusaculi. Qui uero nostrum uocatum brusaculum chamæmali speciem esse affirmant, decipiuntur: quia quum tres sint chamæmali species, à florũ coloribus distinctæ, albo, purpureo, & luteo: brusaculo autẽ albos flores in medio luteos habet, ut nostrũ uulgare

Parthenium,

chamæ

chamæmalon: ideo cum eo idem esse oporte t, quod longe absurdum est. SEN. Quomodo matricaria distinctioni Dioscoridis, in artemisia per unũ ramum, & multos quadrabit? BRA. Non ita ex sua sententia Dioscorides partitur, sed ab alijs eo modo distingui monet. Quicquid tamen sit, in maritimis locis efficacior est: caulis, coma, & radices priuatim seruanda, imò & ex fõlijs succum expressum collige. Apud Galenum nostra matricaria amaracus dici uidetur. Mirandum tamen, quum animaduertat illam non inuenisse Romæ, quum tamen in copia Romæ sit: unde in dubio sum, quid apud Galenum amaracus sit: sed rem suo loco explicabimus. Galli, armoise, artemisiam uocant: Hispani, ut nos: Germani, bei fusz. Matricaria uero à Germanis muterkraut, id est matricis herba: ab alijs metram, ab alijs metterem dicitur. SEN. Matersylua præsentatur. BRA. Nonnulli matrẽsyluam, alteram Clematidem esse putarunt, sed errore ducti: quippe clematis, ut olera, cibis oleo & sale conditis paratur, quod matrisyluæ non conuenit, non enim edendo est: si autem aliqua sit apud antiquos de hac herba memoria, ea est quæ à Dioscoride quarto libro periclymenon, à Romanis inuolucrum maius dicitur, quæ simpliciter fruticat fõlia per ambitum pusilla continens, subcandida ad similitudinem hederæ, secusq; ramuli adgenerant semen cacuminibus hederaceũ præferentes, albus ei flos similis fabæ subrotundus, ceu fõlio impositus, semen prædurum, & uelli difficile, radix crassa, orbiculata. Nisi hederæ fõlijs scriptum esset, & nonnulla alia modica, hanc esse matremsyluam nostram cre

Matersylua.

Inuolucrum maius.

Caprifolium. didissem. Sunt tamen qui caprifolium à nobis uocatum, periclymenon putent, & qui idem cum matresylua ca-
Asplenon. prifolium. Errant præterea, qui matremsyluam asplenon existimant, uel splenon, ut Pandectarius facit: quippe asplenon, uel splenon, neque caulem habet, neque florem, neque semen. At matersylua semine, flore, & caule insignitur: ideo uel ab antiquis nusquam huius herbæ recordatio facta est, aut sub periclymeno ponenda. Multa nũc extant antiquis ignota. In locis maritimis efficaciores uires enanciscitur: flores, semina, fõlia, & radices seorsum collige. Gallorum pharmacopolæ caprifõlium esse arbitrantur, ideo Cheurefeul appellant. Hispani uero, ut nos ferè, madresylua, Germani nonnulli specklíben, alij lienen bloumen uocare contendunt. SEN. Ad Pentaphyllon ueniamus. BRA. Plinius libro uigesimoquinto, capite nono, pentaphyllon, quod à Latinis quinquefõlium dicitur, fragra ferre existimauit: at id potius trifõlij proprium est, quàm pentaphylli. Ideo quandoque Plinij textum corruptum esse arbitratus sum, ut triphyllon pro pentaphyllo legendum esset. At mox excellentissimum Leonicenum animaduerti hanc sententiam reprehendentem, quia alijs nominibus ipsum appellat, quæ à Græcis pentaphyllo tribuuntur, & easdem proprietates suo pentaphyllo attribuit Plinius, quas & Græci suo, ut hinc deprehendatur, non posse aliquo pacto trifõlium legi, quum autem huius herbæ nomen à quinario fõliorum numero initium sumat. Vulgarem herbam habemus prope parietes uirentem, & locis humidis, quam uulgus nostrum pedem paipi, & quinquefõlium uocat:

uocat: quod autem nostra lingua paipus dicitur, Latinè miluus est: hanc esse pentaphyllon antiquorum, descriptio manifeste ostendit, hoc dempto, quòd radice rubra caret. Est autem & uulgaris herba Tormentilla dicta, quæ septem fŏlia habet, sed duo parua sunt, ut ferè in fŏliorum numerum poni nŏ debeant, & in multis pediculis quinque fŏlia tantum habet: hanc facile crederemus pentaphyllon esse, si perpetuo quinque fŏlijs muniretur, imò ante nos Hermolaus idem sensit: tamen mentæ fŏlia non habet tormentilla, ut illi Dioscorides pentaphyllo tribuit, aut uitis, ut Theophrastus. Quicquid tamen sit, nostrum uulgare pentaphyllon circa parietes & stagna nascens, ob radicem antiquorum pentaphyllo non quadrat, tormentilla uero, quam & recentes Bistortam dicunt, dissimile fŏlium habet à descriptione antiquorum. SEN. Ego igitur quid colligendum sit, ambiguus ero? BRA. Quoad meliora inueniamus, pro pentaphyllo circa canales & aquosa loca, fŏlia, radices, & seorsum fŏliorum, ac radicum tormĕtillæ succum colliges. Ad Plinium reuertentes, multos pentaphylli cespites obseruare cœpi, & tormentillam ipsam. Globum quendam ferunt, in quo semina sunt, hunc fragram Plinij esse arbitratus sum, quoniã et nihil aliud est fragra trifŏlij, quàm globus, in quo semina conduntur: non tamen nego fragrã proprie in illa specie trifŏlij esse, quæ fragraria & fragra nuncupatur: tamen & in Veronensibus mŏtibus obseruauimus fragrariam herbam pĕtaphyllam esse, quod arbitror omnibus eam urbem incolĕtibus in cŏfesso esse. Ideo non mirum, si Plinius Veronensis dicat, nulli ignotũ

Tormentilla.

esse quinquefolium, quum etiam fragra gignendo commendetur: radices autem considerans, rubræ non erant. At tormentillæ radix, & rubra est quum effoditur, & paululum nigrescit, incipitq;, & desinit cum uite. Putarunt uero quidam Leoniceni gloriæ inuidi, Saniculã uulgarem herbam, quam recentes in solidaginum genere ponunt, pentaphyllon esse. Verùm habet quidem sanicula in quinque partes distincta folia, sed radices nec rubras, nec effatu dignas habet, nec fragra fert, ut de suo pentaphyllo dicit Plinius, licet capitula quædam habeat supra coliculos colorem herbaceum habentes. Hanc herbam Germani sanckel uocant, tormentillam uero tormentill: alij Rotwurtz, alij Blot VVurtz dicunt. At pentaphyllum nostrum uulgare, funffingerkraut ab eisdem dicitur, ac si exprimere uoluerint, herbam quinque digitorum. SEN. Tormentillam igitur pro pentaphyllo seruabo? ERA. Seruabis, quoad meliora inuenire liceat: nam & hoc anno pentaphylli quandam speciem circa parietes etiam nascentem radice rubra insignitam obseruari. SEN. Ad Citrach ergo manum dabimus. ERA. Non'ne hodie dictum est, eam herbam, quã Citrach uel citarach appellatis, scolopẽdrion, uel asplenon esse? SEN. Memoria exciderat, uerùm ea quæ nunc scolopendrium appellatur, quo loco à Dioscoride tractatur? ERA. Dictum est etiam à Dioscoride phyllitin uocari. SEN. In memoriã uenit: ad Mezereon transeamus. ERA. Nonnulli falsò, mezereon, & laureolã confundũt, ac si unum sint, quũ duo & longe diuersa esse oporteat, quoniam laureola, quæ Daphnutis est, lacte careat, mezereon

Sanicula.

Citrach.

Mezereon.

Daphnitis.

zereon eo abundet, ut illi Arabes imponunt. Vnde Serapio & Mesue de mezereon loquuntur, & non codē modo unoq; capite diuersas antiquorum Græcorum herbas miscent. Nam Dioscorides & Plinius Chamæleam & Thymæleam duas herbas faciunt, ut uerè sunt, hi autem Arabes uno in capite adeò perturbant & confundunt, ut quandoq; chamæleæ, quandoq; thymæleæ uires, quandoq; descriptionem unius, quandoq; alterius misceant, ut re uera duas herbas uno capite coniunxerint. Tamen in medio ferè capitis mezercon duas species habere statuunt, ut hoc manifeste colligatur Arabum mezereon, esse chamæleam & thymæleam Dioscoridis ac Plinij. Ex his herbis in hoc monte uaria colliges, ubi loca petrosa uidentur: ex chamælea, fōlia: ex thymælea, fōlia & semina condas. SEN. Ozimum garyophyllatum occurrit. BRA. Hæc duo´ne sunt, Ozimum unū, Garyophyllatum aliud, uel una res, quæ toto hoc nomine claudatur? SEN. Vna sola res, & etiam notißima. BRA. Ne admiratione afficiaris, quoniam pharmacopolas noui herbam colligentes nomine garyophyllatam: nunquā enim apud antiquos ozimum garyophyllatum inueni. Dioscorides enim ozimum, & ὠκιμοειδὲς, id est, ozimastrum, & ozimum aquaticum sola tractat: dic tu quo ozimo (uel ocimo per c, aut z, scribatur ab ὄζειν, quod est redolere, grammaticis curæ sit) in officinis utimini? SE. Quod paßim mulieres supra fenestras in fictilibus plantant, nigrum semen habens, garyophylli odorem repræsentans. BRA. Ferrarienses mulieres duas species habent supra fenestras, alterā strictiora fōlia, alteram latiora habentē.

Ozimū garyophyllatum.

SEN. Id est, quod latiora fŏlia habet, basilicum dictum, ab odore basilica dignum. BRA. Tamen Serapio ozimum garyophyllatum ex sententia Isaac Ebenambram fŏlia strictiora habere tradit. SEN. Ita apud nos usus est. BRA. Semen certe nigrum habet, & odoratum, sed non garyophylli odore (nisi olfactus me decipiat.) Ne in montibus ipsum quæras quum in omni ferè domo Ferrariæ sit. Solum ferè inter herbas calidissimam aquã expetit, & in meridie, nobiscumq; ueluti animans moratur: edendo est, sed uisui nocet: fŏlia & semina habere oportet. Mira uero & adeò ingens controuersia in Plinio & Dioscoride est, ut alterum ipsorum errare opus sit. Dioscorides enim inquit, si à scorpione uulnerentur qui ozimum comedere, incolumes euadere: è contrario Plinius libro uigesimo, capite duodecimo: Si quis ea die qua ozimum comederit, à scorpione pungatur, non posse sanari. SEN. Est inexplicabilis contradictio, quæ fortè per uarias ozimi species tolli posset. BRA. Aliud est in his autoribus discrimen, quoniam Dioscorides lac prouocare tradit. Plinius uero eodem loco, si illinitur mammis, extinguit quoque lactis prouẽtum. SEN. Dioscorides fortè per os sumptum intelligit: ideo addit, & ægrè in stomacho mutatur: Plinius uero extrinsece apponit. Quicquid sit, miror maxime cur Dioscorides secundo libro de ozimo, quarto autẽ de ozimastro tractauerit, quum eius consuetudo sit cognata congeneribus miscere: ut de menta ac mentastro uno loco fecit. BRA. Id apud Dioscoridem perpetuò nõ reperitur, quippe qui de thymo in uno libro, de epithymo in altero scripserit:

quamuis

quamuis in libri præfatione eos reprehẽdat qui ordinem literarum sequuntur, & cognata à suis congeneribus diuellunt. Tamen uitio scriptorum potius factum arbitror, ut in Dioscoride nonnulla suum locum euarient. Quum uero Plinium & Dioscoridem cõciliasti, quòd alter per os, alter extra applicuerit, non longe à Galeno dissentis, qui in libro de simplicium medicamẽtorum facultatibus, ozimum per os sumptum non digeri, imò digestioni officere tradit: si uero emplastri modo extra ponatur, digestionem procurat. Nonnulli uero hoc animaduertentes, quod uno in libro de ozimo, in alio de ozimastro loquatur, uoluere in quarto libro non loqui de ozimoide Dioscoridem, sed corruptum esse uocabulum, & legi debere Echinoidem, quia de Echio suprà loquutus erat. Ab his autem dissentire cogor, tum quia nulla herba est, quæ Echinoides uocetur, tum quia ozimoidem Plinius ita pingit, & eius uires, ut Dioscorides ponit: tum quia Galenus in libro de simplicium medicamentorum facultatibus eadem ozimoidi elargitur, quæ Dioscorides suo quarto lib. A Germanis Basilica kraut, ac si herbam basilicã dixeris, uocatur. SEN. Bardana sequitur. BRA. Quo uocabulo uteris? eá ne est, quam ex similitudine cum equorum unguibus, ungulam caballinam appellatis? SEN. Ea quidem est, sed potuit etiam asinorum ungues imitari. BRA. Ideo & multi asininam ungulam uocant: imò Germanum nomen quo hæc indicatur, asino alludit. SEN. Quomodo asino? BRA. Quoniam ipsam uocant Esels huff, ac si dixerint asini ungulam. SEN. Honestius tamen est, ab equo magis, quàm ab asino nomen sumere. Bardana.

BRA. Istud ad rem nihil, uel ab asino, uel ab equo nomen ducatur. Quur illam in montibus quæris, quũ Ferrariæ abundet, circa aquarum scatebras, & aquosis locis, adeò ut recentiores multi nymphææ speciem arbitrati sint, quam suo corrupto uocabulo nenufar terrestre appellarunt? SEN. Sunt etiam qui farfaram, nescio an Hebræo uocabulo, uel barbaro eam uocent. BRA. Imò Latinum est, nam ab autoribus fõlijs populi comparatur. Antiqui uero populum, farfarum dicebant, à Dioscoride Bechion, à Romanis Tussilago, quoniam uehementissime tussi succurrit, appellatur: hoc autem est si per infundibulum fumus suscipiatur, & deuoretur: propterea apud Germanos aliquos brandt lauttich appellari solet, ac si dixerint, lappa quæ ad combustionem dãda est, uel lapa cõbustioni apta. Recentes medici ea pro antiqua tussi utũtur, quum ab antiquis solum fumus glutiretur: à Gallis glicterons dicitur: fõlia & radices seruare conueniet, sed hoc Ferrariæ ages. SEN. Capilli ueneris sequuntur. BRA. Postea. SEN. Politricon, calitricon, adianton. BRA. Siste: nam uos pharmacopolæ rem in duas species tantum distinctam, in quatuor diuisistis: nomina solum diuersa sunt, res minime. Ea enim herba, quæ à uobis capillus ueneris dicitur, à Dioscoride Adiantum appellatur, quoniam madefieri non potest, etiam aqua aspersa. Quem tamen effectum experiri uolens, falsum esse comperi, ideo potius ex puteis, quos coronat, & propter id madida non est, uel quia nunquam attingit aquas, id nomen sumpsisse arbitror. A Romanis Cincinalis, & terræ capillus dicitur. Cincinalis quidem ob cincinos,

Tussilago.

Capillus Veneris.

secun

ſecundum aliquos, id eſt, inciſuras: ſed magis arridet ob capillorũ cincinos. Item cum polytrico, & calitrico eſt: ſunt hæc diuerſa nomina à uarijs effectibus impoſita: nam polytricon, id eſt, multas tricas, hoc eſt capillos faciens: calitricon, id eſt, pulchras tricas faciẽs. Vt autẽ rem ipſam aptius intelligas, una herba eſt adianton, in duas partes ſeparata. Vna proprie adiantum dicitur, de qua priuatim uno capite Dioſcorides agit, fõlia magis alba, & coriandro ſimilia habens, & longiora. Altera pars à Dioſcoride in ſequenti capite ſcribitur, & Tricomanes appellatur, fõlia habens filici ſimilia, tenuia, nigriora primo, & breuiora: hoc proprie calitricon dicitur, ex tricarum pulchritudine quam facit. Vos pharmacopolæ, hoc communi nomine in his duabus herbis utimini Capilli ueneris: unde apud antiquos autores ſolum adiantum & tricomanes, uel calitricon inueniuntur: ut patebit ſi Theophraſtum, Dioſcoridem, & Plinij̃ legeris: nõ autem quatuor ſunt herbæ, ut uos eas facitis, ſupradictis nominibus appellatæ: nam ſola uoce, & nõ re ipſa diſſentiunt. Ideo multi pharmacopolæ falſo quatuor herbas oſtendunt, quum duæ tantum ſint: tamen quamcunque ſpeciem acceperis, easdem uires habet. Ideo Ferrariæ in puteis, fõtibus, paluſtribus locis, umbroſis ac humentibus muris eam accipito, quæ ad manus uenerit, & in Bononienſi ſolo maxima copia uiret. Ferrariæ tamen Tricomanes, id eſt, ea ſpecies quæ filici ſimilia fõlia habet, copioſe inuenitur: ramos tantũ huius herbæ ſeruabis. Auenea ab Hiſpanis dicitur, non omnibus tamen, ita à quibusdam Germanis frauuenhar dicitur, ac ſi dixeris fœmi

Adiantum.

Tricomanes.

næ crinis, quamuis alij Germani Mauerrutem (sed falsò) appellarint: quoniam hæc ruta muraria, à prædictis herbis diuersa est. Galli etiam pharmacopolæ, illis quatuor, ac si diuersa sint, utuntur, ita suis nominibus appellantes capil uenere, politri, calitri, adiantos. SEN. Agrimonium ad manus uenit. BRA. Corrupto uocabulo passim utuntur, Argemone legi oportet, suprà docuimus, eam herbam, quam pharmacopolæ pro argemone accipiunt, uerum eupatorium esse. At uera argemone apud me incomperta est: tamen futurum spero, ut illam inter alias herbas ostendamus: nunc ipsam dimitterem, quoad ab aliquo oculata fide inuenta sit. SEN. Interim quid agendum est, si aliquis medicus argemonem ordinaret? BRA. Admonerem ipsum hanc herbam non haberi. SEN. Clamaret ille, uis tu me docere, hæc est, Sus Mineruam instruet? BRA. Placidis uerbis iterum admonerem, exorans ut ueritatem noscere tentet. SEN. Tunc altiori uoce instreperet, conuicia sine ordine miscens, & deinceps meam officinam desereret. BRA. O pessimum genus, ignorant & id noscunt: tamen sua ignorantia obstinati discere contemnunt, & potius meris nugis consenescunt, quàm ab alijs discere curent, aut saltem seipsis ueritatem noscere conentur: si pharmacopola essem & hoc mihi accideret, tales uiros derelinquerem, iuberemq; aliam officinam quærere, & ibi quæ luberent ordinare, quoniam pro re rem alteram uendere non licet. SEN. Id agere decreui, & potius salutis animæ tribuere, quàm paruo lucello, quod ignauus, & penè inscius medicus, semel, aut bis ad summum in anno condonabit: his autẽ

Agrimonium,

his autem omissis, ad spicam ueniamus. BRA. Iterum ad flores transis. SEN. Nihil refert, nos spica nardi, & spica Celtica utimur. BRA. Nominum insciti, & te, & recentes ita loqui coëgit: Nardus absolutè appellatur, & nardi spica, quæ in monte Indiæ nascitur: tamen in Indicam & Syriacam ab autoribus diuiditur, quia mons ille duas facies habet: in facie uersus Indiam uergente, Nardus Indica crescit: in uergente uersus Syriam, Syriaca. Indica mox sub se Gangeticam capit, quæ prope flumen Gangem nascitur. Nardus uerò Celtica in Gallia & in Liguriæ alpibus, & in Istria uiret. Habetur & tertia nardus ex Cilicia proprie & Syria, quæ montana appellatur, hæc est quam habemus: nam Venetorum nauigationes Alexandriam, & Alexandria Venetias hanc ferunt: ex Cilicia enim & Syria facile Alexandriã, & pedestri, & nauali itinere feruntur. Etiam ex Cypro insula affertur. Ne igitur in his montibus nardum quæras, sed Venetijs spicam, caulem, & radicem emes: quamuis & ipsi adulterent. Iubeo autem radicem & caulem emere, quoniam hæc apud antiquos autores, ut Dioscoridem, & Galenum, magis in usu medico sunt, quàm spica, quippe folia abijcit Dioscorides. Ad nos tamen nunquam defertur radix, nec mercatores illam portare curant, etsi in re medica efficacior sit: quoniam maius lucrum ex spica, quàm radice faciunt: non tamen ex his spicã omittere intelligo, utpote quæ in re medica, & odoramentis ualeat, imò pretiosum unguẽtum ex spica antiquitus fiebat, quo Magdalena Seruatoris nostri IESV pedes inunxit. Estq; error in sacris literis ubi legitur unguentum nardi pisti-

Spica.

Nardus.

Nardus montana.

ci: quem errorem Valla corrigere uolens, Nardi ſpicati legit: quum potius ſpicæ nardi, id eſt, ex ſpica nardi legendum eſſet. Radix tamen ea eſt, quam cæteris partibus præferunt autores: imò quum radix excauatur, puluerem pro lauãdis manibus ſeruari iubet Dioſcorides, adeò radix odorata eſt. Hæc de nardo, uel ut uos dicitis, de ſpica. Niſi in mentem ueniſſet Ligures ueram Celticam nardum habere, tamen loco eius, herba dicta à nobis lauandula uti, qua & nardinum oleum parant, id eſt, id quod apud uos de ſpica appellatur: tamen lauandula à Nardo

Polium, longiſſimè diſtat. SEN. Polium ſequitur. BRA. In planis & montibus hæc herba reperitur: Dioſcorides in uſu montanam eſſe cenſet. SEN. Imò & nos ſemper montanum polium quærimus, & montano utimur. BRA. Non habet hominis cani fõlia, ut nõnulli putarũt, ſed in ſummo capitulum paruũ habet cano hominis capillo egregiè ſimile. In Bononienſibus montibus creſcit & pullulat. Sunt tamẽ pharmacopolæ Ferrariæ, qui pro polio alteram herbam ſumant, quum notiſſimum ſit apud nos polium, & uulgare. Leonicenus in epiſtola ad Hermolaum Barbarum, Plinij errorem oſtendit, tripolium cum polio confundentis. Totam herbam in his montibus ſine radice, ſed cum floribus, & ſeminibus ſerua: eius nomen ſortitum eſt ex ſimilitudine, quam cum homine cano habet: unde herba ea multorũ ſtipitum, qua noſtri pharmacopolæ utuntur, poliũ nõ eſt. SEN. Non omnes tamen illa utuntur: nam ex Bononienſibus montibus po-

Paſtoris uirga. lium uerum habere conſueui. Ad paſtoris uirgam accedamus. BRA. Vnde hæc herba tale nomen ſortita ſit,

ignoro

ignoro, nisi ex longis uirgis quibus cardui ad poliendos pannos insident, dicta sit, ut pastores fortè unam ex his uirgis sumentes, & aculeis nudantes, ea parte qua possit manu capi reliqua aculeata parte gregem ducāt. SEN. De eo nomine incertus sum: at Carduum esse non dubito: quo autem nomine ab antiquis diceretur, ignoro. BRA. Apud Dioscoridem, & antiquos Græcos, dipsacos est: Romani Labrum Veneris, aut lauacrum Veneris appellant. Notissima herba, & Ferrariæ frequentissima: radices seruare oportebit, seorsum, & fŏlia: habet etiam echinum, in cuius medio uermiculus nascitur ad quartanas utilis, si Dioscoridi credere fas sit. Marcellus diu illum uermiculum obseruasse, at nunquam uidisse fatetur. Ego autem certus sum nunquam à Marcello obseruatum esse: quum nullus errare possit, quin in autumno inueniat quum exiccari incipit, si per medium echinus aperiatur: uermiculus albus est, qui per cauitatem echini dimouetur, & in caudicem transit, hyeme etiam uidere licebit antequam præ frigore moriatur. Quum uerò huius pastoris uirgæ duplex genus reperiatur, & easdē uires utrunque habeat, quodcunque seruabis, nihil impediet. In Ferrariensi agro id quod breuiorem echinum habet, uberrime nascitur, quo pilea & pannos expoliunt. A Gallis etiam ferè nostro nomine appellatur uerge a pastour. SEN. Lupulus occurrit. BRA. Non inueni apud Dioscoridem quo nomine Lupulus appellaretur: hi enim aberrāt qui corrudam dici uolunt: nam Corruda fŏlia capillamēti modo tenuia habet, quibus caret lupulus. Nec Brionia est, licet eadem fŏliorum forma decoretur.

Carduus.

Labrū ueneris.

Lupulus.

Lupus salictarius.

Verum Plinius de eo tractare uidetur, & lupum salictarium appellat, quoniam supra salices, & reliquas plantas repat: & ideo nostra materna lingua luuertice, quasi lupus uerticius, uel salictarius lupus uocatur, utpote qui circa res, quibus inhæret, uertatur: herba est Ferrariensibus notißima, quam licet in Ferrariensi agro ubique præsertim circa sepes, & foueas inuenire, & qua nos cocta & cruda in acetarijs oleo sale & aceto conditis uescimur. Flores, & herba seruanda, nec prætermittendæ radices, quæ calidæ & aperitiuæ sunt: flores in illis locis plurimum ualent, in quibus uinum deest: nam ex ipsis compositiones quasdam parant potui aptas, quas suis idiomatibus ceruisias, medones, byras, zitá ue appellant, in quem etiam usum herba seruatur. SEN. Reperitur ne apud Arabes, quum Græci de ipso loquuti non sint? BRA. Non ita simpliciter dixi, Græcos lupulum præterijsse, quoniam recentes Græci de eo uerba fecere: imò & nunc uulgò in Cypro Bryon uocatur, & Hermolaus in tota Græcia ita appellari tradit. Nunc etiam Aquileienses rustici Bruscandulam quasi Bryon scandilem uocant, & ita Cremonæ dicitur. Apud Arabes etiam sub nomine, uolubilis, inuenitur. Hispani, lupares, præsertim qui Lusitaniam habitant, Galli ombelon, Germani aopfhen appellant. SEN. Carduus benedictus occurrit. SEN. Simon Genuensis longè deceptus est, qui carduum benedictum sedum minus esse arbitratur. Deceptus autem est, me iudice, quia à Dioscoride sedum minus carduus, semperuiua appellatur: ideo carduum benedictum esse hac coniectura existimauit: sed ita carduus

Carduus benedictus.

benedi

benedictus ſemperuiuum eſt, ut roſa eſt lactuca: & quamuis paſsim in Dioſcoridis exemplaribus Græcis carduus ſemperuiuus loco ſedi nõ ſit, tamẽ Genuenſis in ſuo textu ita legerat, quemadmodũ & Hermolaus in ſuo habuit. Sunt uero plures textus, qui loco cardui ſemperuiui ἕρβα σέρπες βίβα, id eſt, herba ſemperuiua legunt. Vt in pluribus Græcis textibus uidere eſt. Verum uno errore non contentus Genuenſis, ſedum etiam ſenectionem facit, & erigeron & Trixaginis ſpeciem, quæ quantum à uero diſcrepent, ſuo loco oſtendemus. Nonnulli hunc carduum Chamæleontis ſpeciem fecerũt. Ego nondum habeo quid certi dicam. In Ferrarienſibus herbis de ipſo copioſe ſcribemus: hic flores, herbã, radices, & ſemina colliges, quæ omnia uarijs ægritudinibus conferũt. Galli noſtro ferè nomine, Chardon beniſt uocant. SEN. Thymbra ſequitur. BRA. Multæ herbæ ſunt, quarum cognitionem apud omnes autores difficile uideo, thymbra ſcilicet, ſatureia, cunila: genus herbæ eſt cunila, ſatureia cunilæ ſpecies, quæ et thymbra: altera uerò hortẽſis eſt, altera agreſtis. Si Columellam conſiderare uolueri- mus, peculiari nomine ſylueſtrem thymbram, hortenſem ſatureiam appellat. Notißima herba eſt, à noſtris ſeneuezo, quaſi uice ſinapis dicta: ab alijs ſauolezo corrupto uocabulo, quaſi ſatureia. Mirus eſt apud nos in acetarijs & intinctibus huius herbæ uſus: ſunt & qui ſolo pane mandant, nam nomen fortè traxit, quia ſaturos reddat. Ferrariæ in tenuibus & aſperis terris creſcit, ubique tamen ab olitoribus ſeminatur: hortenſis ad omnia medicamẽta efficacior eſt. Syluestris in cibis melior, quia intẽ

Thymbra.

ſiori illa acrimonia caret: huius herbæ præſertim domeſticæ ad medicum uſum ramulos ſerua. Hæc ſunt quæ de thymbra conciſe dicenda erant, ſpondentes omnes cunilæ ſpecies alias ad unam oſtenſuros: apud Germanos quoſdam quenel, apud alios cunel dicitur, ut à ſerpyllo nomen ductum eſſe uideatur: cunel autem à cunila corruptum ſit, & ſatureiam ſatureij dicunt. SEN. Burſa paſtoris occurrit. BRA. Hæc burſa adeò tenuis eſt, ut nihil habeat, quo paſtores uictum ducere poßint. Tali autem nomine appellatur, quia folliculum habet, in quo ſemina conduntur, burſæ figuram repreſentans. Nonnulli eam Thlaſpi à Dioſcoride deſcriptam, eſſe cenſent, quòd à Romanis ſcandulaceum uel capſellam, quaſi ſcarſellam, unde & nos uulgo ſcarſelletam uocamus. Re autem uera Thlaſpi pro parte huic burſæ quadrat, ſi Dioſcoridis picturam conſiderabimus, quia breuis & exigua herba eſt. fõlijs anguſtis, digitali longitudine in terrã uerſis, in ſummo inciſuris diuiſis, & modice pinguibus, caule tenui duorum dodrantum altitudine, paucis in eo adnatis, & circa caulẽ fructu in ſummo modicè lato, in quo exiguũ ſemen eſt, naſturtio ſimile, diſci uel lenticulæ uaſis effigie, & ueluti infractũ, unde nomen accepit flos illi albus, in ſemitis, foßis, ſepibus, & circa domos naſcitur, ſemen habet accerrimũ. Omnes hæ conditiones burſæ paſtoris quadrare uidentur. Sume tu herbam ipſam, quæ prope eſt, & prædictas conditiones illi quadrare aduertas. SEN. Mirum in modum conuenit. Tamẽ priuś audiueram Thlaſpi eam herbã eſſe quæ à Ferrarienſibus Vincitoxicũ dicitur. BRA. Nonnunquam Thlaſpis effigiem

Burſa paſtoris.

Thlaſpi.

Vincitoxicum

Vincito

Vincitoxico comparaui, ſtatimq; diuerſam eſſe percepi: nam Vincitoxico nõ inſunt fõlia digitali longitudine, nec in ſummo inciſuris diuiſa, nec in terram uerſa, nec pinguia, imò ariditatem quandam præ ſe ferre uidentur, nec ſemen eſt diſci figura, & multa alia uincitoxico deſunt, thlaſpi tamen ab autoribus attributa. SEN. Thlaſpi igitur Burſa paſtoris erit. BRA. Inclinauit quandoq; animus, ſed magis inclinaſſet, ſi fõlia in ſummo inciſuris diuiſa haberet: habet autem inciſuras in medio, & ſi ſemẽ diſci forma inſigniretur, quod rotundum eſt & rubrum, & ſi cum naſturtio ſimilitudinem quandam poßideret, & ſemen acerrimum eſſet. Quũ uero hæc omnia thlaſpi inſint, & deſint burſæ paſtoris, non poſſum induci, ut noſtram paſtoris burſam thlaſpim Dioſcoridis arbitrer, etſi in burſa paſtoris multæ notæ inueniantur, quæ in thlaſpi primo intuitu reperies. Conſtat autem herbam eſſe qualitate frigidiori inſignitam: ne illam hic quæras, ſed Ferrariæ ſemina & fõlia colligito: nunc quænam ſit apud antiquos incertus ſum. Aliæ feræ gentes noſtrũ uulgare nomen imitãtur: nam Galli, Bource a paſtour, Germani Deſchelkraut, id eſt, marſupij herba appellãt. SE. Scabioſa, Ad ſcabioſam igitur accedamus. BRA. Et hæc una eſt ex illis herbis, quæ apud antiquos non reperitur. Noſtri pharmacopolæ pro ſcabioſa herbam colligunt, qua pro uerrendis domibus Ferrariæ utimur: tamen ubiq; in Italia non eſt harum ſcoparum uſus. Ideo apud nos notiſſima, quam ita Hermolaus in ſtœbe deſcribit, habere fõlium erucæ, hirſutum, ſed non horrens aculeis, floris cœrulei, qua ſcopæ fiunt. Non defuere tamen, qui noſtram

Stœbe. *ſcabioſam, ſtœben Dioſcoridis eſſe cenſuerint. Verum quia Dioſcorides ſtœben non pingit per ipſum, an noſtra ſcabioſa ſtœbe ſit, noſcere non poſſumus, propterea ad alios autores confugiendum, Theophraſtum ſcilicet, & Plinium. Plinius lib. xxi. cap. quintodecimo, ſtœben à quibuſdam phleon appellari tradit, à Theophraſto primo de plãtarum hiſtoria ſumens. Si igitur phleon à noſtra ſcabioſa differre probabimus, & ſtœben ſcabioſam non eſſe probatum erit, Theophraſtus primo de plantarum hiſtoria ſtœben inter fruticoſa connumerat, & quæ carnoſum fõlium habeant, quale ſcabioſa nõ habet. Conſtat etiam apud Plutarchum in ſecundo problemate phleon inter paluſtres plantas numerari: ex hac enim antiqui thoros conficiebant: unde nomen accepit, quia antiqui ſtœbe utebantur, πρὸς τὰς στιβάδας cõficiendas, id eſt, ad thoros parandos, adeò lentorem habebat: noſtra autem ſcabioſa lentore caret, imò apprime frangitur. Herodotus etiam teſtis eſt, ex ea antiquitus ueſtes parari, & Theophraſtus ſexto de plantarum hiſtoria inter aculeatas numerat phleon, inter illas præſertim quæ fõlia habent ſecundum ſpinas ut tribulos: hæc uero noſtræ ſcabioſæ nõ quadrant, imò & Pauſania ex ea fieri retia ſcriptum reliquit, quæ noſtræ ſcabioſæ cõuenire non poſſunt. Adde ſtœben adſtrictoriam uim habere, ſcabioſam uero minime: nam ita appellatur, quia contra ſcabiem ualeat: ſtœbe uero cõtra ſcabiem ualere à nullo autore ſcriptum eſt. Quam ob rem antiquorũ ſtœben, & nunc uocatam ſcabioſam diuerſas eſſe oportebit, ut uulgaris herba potius dicenda ſit, quàm ab antiquis pertractata,*

ctata, cutaneis ægritudinibus ex salsugineis humoribus apta. SEN. Habet'ne alias uires, an tantum scabiei aduersatur? BRA. Recentes quædam inepta carmina tempore Vrbani Pontificis facta adducunt, quæ adeò insciti opplentur, ut pudeat me referre. SEN. Nisi ægre tuleris, eamet carmina recensebo, ut experiar an memoria exciderint: his enim carminibus plurimum oblector. BRA. Vt lubet proferas, sed citò expedias. SEN.

Vrbanus per se nescit pretium scabiosæ:
Nam purgat pectus, quod comprimit ægra senectus.
Purgat pulmonem, laterisq; simul regionem,
Rumpit apostemata, lenit, uirtute probata,
Emplastrata foris rumpit anthracem tribus horis,
Intus potatur, & sic unus euacuatur.

BRA. Si stœbes uires considerentur, eadē quodammodo sunt, imò Pādectarius stœben esse cōtendit: sed miror admodū, cur in istis carminibus cōtra scabiē ualere scriptū nō sit. Id fortè in causa fuit, quia stœbē esse putātes solū uires stœbes descripserunt, quas Dioscor. & Galenus illi attribuūt. Tu autē in Ferrariēsi agro hāc herbā colliges, ubi ingēs copia uiret, cuius folia et semina seruāda iubeo. Eodem nomine & à Gallis appellatur scabiosæ. SE. Garyophyllata sequitur. BR. Ex radicis odore hæc herba nomē sumpsit. SE. Quia garyophylli odorē habet (ut arbitror) sed cuius garyophylli? BR. Nō habet omnino nostri garyophylli, id est pulcherrimi illius floris, & summè odorati, quē in fictilibus frequentē habemus. SE. Nisi graue sit tibi (licet præter intētionē) quo noīe ab antiqs garyophyllus noster appelletur edoceas. BRA. Nunquā Garyophyllata.

apud antiquos ipsum reperi, quod tamen admiratione dignum est, quũ dignus sit ille flos, ut à digno autore pingeretur. Longius enim decepti sunt, qui cyanũ esse arbitrantur: nam cyanus statim post rosam sequitur, nos baptisolam corrupto uocabulo quasi baptisiculam dicimus, quia secantibus & metentibus officiat, retusa in occursu eius falce, ut Hermolaus in leucoio docet: nam & siculam ueteres dixere falcem. Ad rem nostram proficiscentes, non habet etiam odorem garyophyllata, illius fructus, quo in aromatibus pro condiendis obsonijs utimur. At suauem odorem habet, ut ille suauis est, qui in garyophyllo flore sentitur: unde ob suaueolentiam, illi flori cõparatur, imò & in illum quodammodo inclinat. Plurimis, & præsertim Pãdectario, eam esse placet quæ apud Galenum Lapagum dicitur: hic bonus uir scribere de-

Lagopum. buit lagopum, quasi pedem leporis: nam Galenus de lagopo in simplicium medicamentorum facultatibus tractat, quam facultatis adeò exiccantis esse dicit, ut alui fluxus probè exiccet: quas uirtutes illi attribuit Pandectarius ex mente Galeni, ut constet quod Pandectarius corrupto uocabulo lapagum dixit, scribendum fuisse lagopum. Quem errorem Genuensis euitauit, quippe qui nouit lagopon, id est, pedem leporis, garyophyllatam nõ esse, ut certum est si quis antiquorum autorum picturas consideret. Dioscorides tamen, Galenus, & Paulus eam non describunt, nec etiam Plinius, sed hic tantum in segetibus nasci dicit. Dioscorides autem, φύεται ἐν ταῖς πρασιαῖς, id est, in hortorum areis nascitur. Cõstat autem garyophyllatam in montibus nasci: at hæc herba,

quæ

quæ pes leporis dicitur, à nullo descripta reperitur, præterquam à Genuense, qui in antiquo Dioscoride pictam uidisse fatetur, pusilla habentem, in triangularem figurã uergentia, per omnes ramulos utrinq; ab ambobus lateribus continuata per totam humilem plantam, expansam per terram. Nos uero in altero Dioscoride speciem alteram leporini pedis circumcirca incisi uidimus. Ea in acetarijs uere utimur. Ad nostram autem garyophyllatam reuertentes, quam recentes sanamundam, & auantiam, & oculum leporis uocant, & quam non esse lagopum certe scimus, nec apud Dioscoridem reperiri. Si aliqua tamen sit apud antiquos, eam esse suspicor, quam Plinius lib. xxvi. cap. vii. Geum appellat, quamuis in aliquibus codicibus Gethis legatur: hanc radices nigras & bene olentes habere tradit: non autem dicit garyophylli odorem habere, quia apud ipsum hic flos ignotus erat, sed bene olere, quia re uera optimus odor est. Ad eadem etiam geum ualet ad quæ iam dicta garyophyllata, ad pectoris inquam, & lateris dolores, & cruditates iucundo sapore discutit, ad quæ radix garyophyllatæ ualet: quamuis & ad alia multa garyophyllatæ radicis sit in re medica usum: in his montibus eam colligas ubi copia est, radicesq; serua, & folia. SEN. Nullus est apud medicos foliorum usus. BRA. Tu autem & folia serua, quæ ad multa ualent. SEN. Deinceps seruabo. BRA. Galli salmonde, ac si sanamundam dixerunt, eam appellãt: Germani negeleskraut, tanquam garyophyllorum herba dictum sit. SEN. Lapatium syluestre sequitur. BRA. Pro syluestri lapatio quam herbam seruas? SEN. Eam

Sanamunda.

Geum, siue Gethis.

Lapatium syluestre.

Rumex. quæ uulgò rumice appellatur. BRA. Rumex Latinè dicitur, & lapathum potius, quàm lapatiũ dicere oportet, si quis Dioscoridis uerbis uti uolucrit: cuius multæ species sunt, quæ sub capite acetosæ ab Auicenna ponuntur, quamuis acetosa sit una tantum species. Verũ deceptus est in ea uoce ὀξὺ, ut multi Latini fecere, quæ acutum significat: acuties autem in aceto est, & per similitudinẽ in alijs rebus, ut ensis acutus: unde una tantũ lapathi species quo ad saporem acuta est, quam acetosam, & herbã bruscam uocamus: aliæ quo ad formã acuta folia habent. Quam ob rem quod à Dioscoride satiuo simile dicitur, proprie rumex est, & lapathum syluestre, quod seruatis, quamuis nõ multum differat, quãcunq; speciem sumatis, quoniam easdem ferè uires habent. Ferrariæ uberius crescunt: semina, folia, & radices seruabis. Galli parelle rouge, Lusitani labaras, Germani Cletten hanc herbam

Euphragia. appellant. SEN. Euphragia occurrit. BRA. Herba pulchro nomine insignita, quam tamen antiqui ignorarunt: nihil enim de ipsa apud Dioscoridem, Plinium, Galenũ, Paulum, aut Aëtiũ reperi, herbula parua est pimpinellæ similis. Adhil etiam uocata, sed folia minora habet, nec multos ramos habere putant recentes: tamen in summis montibus tum Bononiensibus, tum Mutinensibus fructicosissima inuenitur, sed in decliuioribus locis ferè in unũ stipitem crescit, flores in album uergunt. Hermolaus lib. quarto Corrolarij, ubi de saxifrago tractat, luteolos esse dicit. Integram plantam serua ex his montibus collectã: pro hac Mutinenses, & Bononienses montes ascendunt multi pharmacopolæ. In plano etiã nascitur, sed est mul-

to effi

to efficacior in montibus. Galli eodem modo euphraize, Germani aughentrost appellant, tanquam si dictum sit oculorum solamen: propterea à multis ophthalmica, & ocularia nuncupatur. SEN. Millefoliũ sequitur. BRA. Multæ herbæ apud antiquos in hoc nomen ueniunt, ut quarta species sideritis, & stratiotes terrestris: ea tamen uerè millefolium est, quæ à Dioscoride myriophyllon appellatur, & à Plinio lib. XXIIII. cap. XVI. sed nostri pharmacopolæ, quibusdam mulieribus credentes, alias herbas pro millefolio accipiunt, ut stratiotem terrestrẽ, quartam speciem sideritis, & alias quasdam. SEN. Tu quam sumere debeam, ostende. BRA. Omnibus ferè eædem uires insunt, quia uulneribus aptæ. In his montibus non nascitur, aut inefficax est. Ferrariæ habetur, quia palustria loca amat. Ea est, quæ unum singularem caulem habet, tenerum, & unam radicem, fŏlijs fœniculi pluribus, subrubicundum, & densum, tanquam de industria sit ita factum, puniceum, & perpolitum, herba ipsa seruatur. Eodem ferè nomine Hispani, ut nos, utũtur, millafŏlio. Eodem & Galli, mille feulles. Germani Garb dicunt: quamuis & nonnulli sthaffs reibe, id est, ouinam costam, & alij relic dixerint: tamen incertus sum, an uero millefŏlio, uel alijs herbis ita appellatis hæc nomina tribui debeant. SEN. Pes columbinus sequitur. BRA. Apud antiquos Græcos hanc herbam multum quæsiui, quia eius nomen, Græcorum impositiones sapere uidetur: quippe qui herbas ut excellentiori nota cognoscerentur, ex notißima re, cui aßimilarentur, denominarunt, ut pes léporis, per coruinus, pes accipitrinus, pes

Millefolium.

Pes columbinus.

locustæ. At nomen hoc, nec apud Dioscoridem, Theophrastum, Plinium, Galenum, aut alterum ex antiquioribus mihi occurrit, qui de herbis pertractarunt. Recentes Amomum columbini pedis speciem esse contendunt, quum ita à Serapione existimatum sit: tamen apud antiquos hoc nusquam repertum est. Imo si amomi figuram consideremus fruticem esse pusillum, ceu ramum è ligno conuolutum & sibi ipsi implicitum, statim decernemus nullam esse notam, qua cum columbino pede conueniat. Hæc enim nomina à similitudinibus cum his animalium partibus imposita sunt. Quã ob rem nescio qua ratione, & Serapio amomum, pedem columbinũ esse putarit, quamuis nomina ad placitum sint, sed & ad placitum est Barbaris credere quum sine ratione loquũtur.

Amomum.

Pandectarius Anagyron, columbini pedis speciem esse fatetur, sed Dioscoride perlecto, nullam similitudinem habere percepi: quippe anagyris fõlia & uirgas uticis, id est, agni casti habet, quæ fõlia nihil cum columbino pede conueniunt. Auerrois de columbino pede quinto Colliget tractat, frigidum in primo, siccum in secundo docens: tamen eius effigiem non describit, ut ferè opus sit columbinum pedem uaticinari. Quidam uero Geranium esse putarunt, à quibus sponte discedo, quoniam Geranium diuisuras maiores habet, quàm anemones: at non ita magnas pes columbinus habet, nec etiam rotunda radix ipsi inest. Quicquid autem sit, nostri pharmacopolæ herbulam quandam seruant, quæ sex aut octo ramulos profert pusillos, subtiles, in quibus fõlia insident, rotunda circũcirca incisa, adeò ut columborum

Anagyris.

pedes

pedes, à nobis calciatorũ appellatos, imitari uideatur: an modo illa sit, uel quæ apud antiquos hæc fuerit, incõpertũ habeo. Tamẽ duas herbas in Ferrariẽsi agro iãdiu noui, maiorẽ unã, alterã minorẽ, quæ earũ forma colũborũ pedes imitantur. Ego potius maiorẽ colligerem, aut ambas omitterẽ, ueluti apud antiquos ignotas: eas autẽ in Ferrariẽsi agro quærerẽ, ubi uirent egregiè. SEN. Hæc herba omitti nõ potest: alioqui Trociſci diacoralli, qui theriacã ingrediũtur, fieri nõ possent. BRA. O ingens recẽtiorũ ignauia, nulli sunt Trociſci diacoralli, qui theriacã ingrediãtur: sed est Magma hedychroon, de quo Galenus & in libro de theriaca ad Pisonem, & in antidotis tractat: nescio quomodo uocabulũ hedychroon, in diacoralli coruperint. In hoc uerò magmate, nec coralli, nec pes columbinus insunt. Hæc autem aliàs à nobis ubertim tractabuntur: fõlia, & radices huius herbæ Ferrariæ habere studebis. A Germanis hæc herba Taubenfuos, id est, columbæ pes dicitur: nam apud ipsos Tauben, columba est, & fuos pes. SEN. Persicaria sequitur. BRA. In Ferrariensi solo copiosè crescit, iuxta aquas, & in humentibus locis præsertim. Recentes duas species faciunt, alteram quæ in medio fõlio nigredinem quandam ueluti oculus habeat, alteram uerò quæ non habeat, herbam esse, quæ ualde exiccet certum est, & quisque qui experiri uoluerit, probare poterit. Quid autem sit, apud antiquos incertum uidetur: putant nonnulli esse Dioscoridis hydropiper, & certus sum (quoad meliora inuenerim, quicquid sentiat Hermolaus) eam Persicariæ speciem, quæ liturис caret, hydropiper Dioscoridis esse, quoniam sapo-

Diacoralli trociſci.

Perſicaria.

Hydropiper.

rem piperis habet, acrisq; est. Cum Hermolao autem sentio, eam speciem quæ lituras habet, hydropiper non esse. Mirum enim esse Dioscoridem notam ita celebrem omisisse. Adde quia foliis mētæ comparat, nos autem Persici, alij laurinis foliis: sed altera persicaria, cui maculæ desunt, in omnibus cum hydropipere conuenit: habet enim florem album, spicaceum, acrem gustum, minutum semē, caulem nodosum, rubrum, longum, & folia mentæ conferri possunt. Auicenna piper aquæ uocat, quæ & si piperis saporem non habeat, tamen ueluti piper acrem habet, & Auicenna inquit in gustu suo saporem piperis habere. Fortè igitur nostra persicaria hydropiper Dioscoridis est, & Auicennæ piper aquæ, Plinij piperitida, & siliquastrum. Hæc autem per suspicionem dicta sint. Tamen quæ de hydropipere aliàs suspicatus sum, omittere decreui. SEN. Ne quicquam prætermittas obsecro, tuis enim uerbis plurimū delector. BRA. Erectis igitur auribus audias. Nunc in fictilibus supra fenestras Ferrariæ herba habetur, quæ sine odore est, tamē acrem saporē habet ut piper, apud nos Hispanum piper uocatur, alij piper ex Calechut, hanc herbam hydropiper esse arbitratus sum: unde & à Plinio ob siliquam, quam facit, siliquastrum dicitur. Vnus tamen scrupus adest, quia Dioscorides hydropiper semen acinosum habere scribit, piper autē hoc uulgare, uasculum habet, in quo semen cōtinetur: dicitq; folia albiora esse foliis mentæ: at huius piperis folia, adeò uiridia sunt, ut in nigrum inclinēt. In reliquis tamen optimè quadrat, ut nec pictor aptius pingere potuisset. Legi tamen Dioscoridem, in quo legebatur: semen in uasculo.

Piper Hispanū.
Piper ex Calechut.

Et Mar

Et Marcellus fatetur se uidisse antiquum Dioscoridem pictū, literis antiquis Longobardis scriptū, in quo erat effigies seminis in uasculo. SEN. Hoc ergo piper quod Religiosi Carthusienses in Testacijs loco ueri piperis utuntur, Dioscoridis hydropiper esse censebas? BRA. Suspicatus quidem sum, sed an sit, alij iudicent, prope aquas non nascitur, ut nostra persicaria, quæ à Gallis cu rage nuncupatur. SEN. Parietaria sequitur. BRA. Parietaria. Hæc & à muris muralis herba, sicut à parietibus parietaria uocatur. Nostrum uulgus ob lucidam quandam uiriditatem uitriolum appellat, nam ueluti uitrum splendescere uidetur, uel quia uitrea uasa hac obstergunt. Vnde Auicenna herbam uitri appellat, quoniam (ut inquit) ea uitrum abluitur: à Cornelio Celso muralis, & muralium dicitur. SEN. Apud antiquos quæ herba est? BRA. A Dioscoride libro quarto helxine dicitur, Helxine. quæ in parietibus nascitur, & sepibus, caules habet leuiter rubentes, folia herbæ mercurialis, hirsuta, semine obducto circa caules, & tenaci, ut uestibus etiam inhæreat: si quis autem nostram parietariam consideret, hanc esse uidebit à Dioscoride suprà depictam, de qua Plinius libro 22. capite 17. quam tamen ipse folia mixtæ similitudinis inter plantaginem, & marrubium habere dicit: in reliquis cum Dioscoride conuenit. At plures aliæ herbæ helxine appellantur, hæc & Parthenium dicitur: unde Leonicenus in epistola ad Angelum Politianum, Plinij errorem animaduertit, qui libro 21. capite trigesimo, parthenium à Celso perdicium, & muralium appellari censet: quum tamen muralium apud Celsum hæc parietaria

sit, Parthenium uerò, de quo hic tractat, chamæmalon est, si parthenij chamæmali proprietates considerentur. Hæc autem nihil ad nos. Appellatur & helxine parthenium, quia in hoc nomen multæ herbæ coincidunt. Satis autem habeas helxine parietariam esse, quam in Ferrarien sibus parietibus frequẽtißimam habemus. Nec deest
Myosotis. nobis altera helxine, quæ Myosotis dicitur, quasi muris auricula. Nostrum uulgus pauarinam dicit, quoniam pauaris, id est, iunioribus anseribus (Ita enim Ferrariæ iuniores anseres uocantur) sapit: quanquã ab aliquibus, alsine à Dioscoride, & non helxine dici existimetur: non tamẽ ea est, quã Germani meusole, id est, muris auricula ab ipsis dicitur, licet idem sit nomen, quia Germani lanuginosam alteram herbam ita uocant, quæ non est uera antiquorum muris auricula. Hæc autem aliàs: potius autem esset helxines proprietates recensere, ob hoc præsertim quia error maximorum medicorum est, qui ea pro calida & sicca utuntur, quum tamen frigida sit, quippe ex parietaria pro frigida materia, et in doloribus ex uentositate fomenta parant. Tamen Dioscorides frigidæ & adstringẽtis naturæ esse contendit. Idem Celsus, Plinius, & Paulus, denique Galenus, & Aëtius etiam humiditatem habere fatentur, quæ proprietates eos manifestè errare demonstrant, qui pro aperiente herba, & resoluente, ac urinam prouocante accipiunt. Si autem dolores sedari quandoque acciderit, id fit aut propter admixtum oleum, aut actualem caliditatem. Nonnulli autem recentes folia quidem frigida dixere, caulem autem calidum, quod quàm uerum sit, cæci iudicent. Pandectarius

quoque

quoq; tribus uersibus suiipsius obliuiscitur: primo enim parietariam calidam & siccam in tertio gradu fatetur, postea Dioscoridem & Galenum adducit, qui frigidam esse cõtendunt, & ad ægritudines calidas ualere inquiũt. Arbitrorq; Auicennam deceptum, qui ad phlegmatica apostemata ualere censet, postea eiuscemodi apostemata numerans, erysipellam & calida apostemata scribit. SEN. Hæc tamen consuetudo inoleuit, ut pro calida herba sumeretur: at quid in causa fuerit, libenter scire percupio. BRA. Quod sentio lubens edocebo: hæc herba, præter nomina dicta, Parthenium tiam appellatur. Est autem Parthenium herba, quæ uulgo Brusaculo dicitur, calida, & quæ pro fõmẽto ad dolores ualeat, quum scriptum reperere parthenium, hanc parietariam, pro illa, quæ uerè parthenium est, accepere, & ita apud Recentes, sine ratione inoleuit. Hermolaus Barbarus in helxine, partheniũ matricariã esse testatur, quẽ Manardus sequutus est: nobis tamen re uera potius uocatũ brusaculũ arbitramur, quod apud Serapionẽ matricaria uidetur. Quicquid tamen sit, etiam si illã sumeres, calida est, & frigidis doloribus occurrit. Deniq; parietaria in alijs locis quam Ferrariæ, herba urceolaris nuncupatur, quoniam urceos uitreatos illa abstergunt: nos uerò à uitro potius, quam à uase nomen dedimus. De hac autẽ herba finem fecissemus, nisi in mentem uenisset, Aëtium summum uirum capite 23. undecimi libri, ubi remedia ponit ad suppressam, & ægre prodeuntem urinam, ultimo loco remedium ponere, Perdicium herbam terito, & affuso oleo feruefacito, atque ita uesicæ imponito. Eandem

Parthenium.

Vrceolaris herba.

etiam herbam cum oleo coquito, ipſaq; proiecta, lanam oleo imbuito ac imponito. Si quis autem conſiderabit, quid Perdicium ſit apud Aëtium ipſum, Galenum & antiquos uidebit parietariam eſſe, qua tamen Aëtius utitur ut calida, quia ad prouocandum ſuppreſſam urinam nec opus eſt eò fugere, quod id ex accidenti faciat, calorem naturalem reuocando, quoniam plura alia magis apta ſunt, quàm helxine: nec tanta frigiditate imbuta eſt, præſertim oleo iam dicto iuncta, ut naturalem calorem reuocare debeat. SEN. Errauit ergo Aëtius? BRA. Quid in hac re ſentio, edocere ſtatui. Aëtius capite uigeſimoprimo de Iſchuria, id eſt, urinæ ſuppreſſione tractat, omnes modos quibus fieri poteſt, & curandi rationem oſtendens: capite autem 22. non ſolum ſcabiem ueſicæ, ſed & compoſita medicamenta ad ſuppreſſionem urinæ ſcribit. At 23. capite ſimplicia remedia ad ſuppreſſam urinam edocet, & præſertim ſi aut multitudo materiæ, aut craſſities in cauſa ſit: ſupra autẽ capite 21. inter alias cauſas ſuppreſſionis urinæ, unam dicit, quoties aliquis ob negotiorum importunitatem, aut concionem, aut quia in loco ſit ubi mingere nõ poſſit, & ueſica impleatur, tunc enim os eius magis conſtringitur: docetq; modum curandi, qui fit per compreſſionem manus ſupra imum uentrem, ut urina lente exprimatur. Capite uerò uigeſimotertio, ubi ſimplicia remedia ponit, ad compreſſionem propter multitudinem, & craſſitiem, remedium perdicij ſcribit, quod ualet ad compreſſionem propter multitudinem: nam perdicium, id eſt, helxine, uel parietaria, eſt frigidæ & adſtringentis naturæ. Adſtringens autem

Perdicium.

autem est tanquam manus quæ exprimat, & paulatim urinam exire faciat. Itaque arbitror, Aëtij contradictionem soluendam esse, & demonstrandum his quæ dicta sunt non contradicere. Hispani ferè ut nos, parietariam, remoto e: Galli paritoire dicunt. Quidam uerò Germani Sampeterskraut, id est, sancti Petri herba: alij uerò tag und nacht, id est, die noctuq; appellant: utunturq; eo nomine in sophismatibus & cauillis amatorijs. Is enim qui amat, die noctuq; amat: tamen si apud ipsos tag und nacht herba, flores habeat partim luteos, partim purpureos, & propterea sit ita appellata, quia pupureus color noctem, & luteus diem significat, tunc certus sum nostram parietariam, non esse tag und nacht Germanorũ. Et ideo malc eo nomine in helxine utuntur. Quum uerò sint qui eam esse contendant, quam nos uitriolum appellamus, & est iam dicta helxine, digladiari in hac re nolumus, sed omnes suo modo proprijs nominibus uti sinemus. SEN. Ideo ad arboream hederam ueniamus. Hedera arborea,

BRA. Hedera absolute dicendum erat: nam etsi in speciebus differentiæ sint, quoniam aliqua alba, alia nigra, & aliqui in marem & fœminam partiuntur, mas helix dicitur, quoniam fructum non gignit: uulgus tamen arboream dixit, ad differentiam suæ terrestris, de qua aliàs agemus, quum tamen absolute hederam dicentes, arboream solam antiquiores indicent. Notissima est apud nos hedera, & in Ferrarienſi agro abundans, circa arbores & parietes repens, quos per tempus exedit. Si plura scire cupis, Dioscoridem lege, & Plinij libro decimosexto, capite trigesimoquinto. Cuiuslibet generis folia, semina,

corymbos, ſuccum & lachrymam, quam uulgus gummi hederæ appellat, ſerua. At ſuccum nigræ ab alba, & corymbos ſegrega. SEN. Differt'ne ea quæ circa parietes repit, ab ea que circa arbores. BRA. Non quidē ſpecie: at hæc magis arida eſt quæ parietibus inhæret. SEN. Fortè magis humida, ſi puteo aliquo aut ciſternæ inhæreat. BRA. In eo certus ſum. A Gallis lierre, quaſi hedere: à Germanis uerò eppau nuncupatur. SEN. Branca urſina occurrit. BRA. Ex ſimilitudine, quam eius fōlium cū anterioribus urſorū pedibus habet, uulgus brancam urſinam appellauit: pulcherrima herba eſt, & quā architecti in columnarum baſibus ornandis, aut epiſtylijs poſuere. Quænam ſit hæc apud antiquos, frequenter ſuſpicatus ſum. Denique antiqua uaſa, & columnæ in eius ſuſpicionem me adduxere: nam antiqui molli acantho pateras pingebant, & in columnarum baſibus acanthi fōlia ſculpebant. Vnde ſuſpicatus ſum, quā acanthum Dioſcorides, & Plinius, ac alij appellant, noſtrum brancam urſinam eſſe: nec moueor, quòd acantha ſpinam ſignificet, quoniam hæc herba ſpinoſa quidem eſt, ſed mollibus ſpinis, ideo à Virgilio mollis acanthus dicitur: eius fōlium pleriſque locis in columnarum capitulis uiſitur, quæ corinthiacæ dicuntur, ob ornatum, in morem Corinthiorum. Vnde non deterreor, quòd præduras ſpinas non habeat: ſatis enim eſt, ubi flores exeunt ueluti ſpinas habere: in maximo honore apud antiquos fuit, & in hortis pro tegenda terra ſuis fōlijs utebantur. In omnibus autem, Dioſcoridis acanthi deſcriptio brancæ urſinæ conuenit. Nam fōlia multo quàm lactucæ latiora, longioraq; habet

Branca urſina.

Acanthus.

habet, crucæ modo inciſuris diuiſa, nigreſcentia, & cum molli leuore pinguia. Idem & in caule leuor, quẽ altitudine duorum cubitorum erigit: craßitudine digitali, per interualla ſub ipſum uſq; uerticem foliolis quibuſdã oblongis ueluti nucamẽtis aculeatis ueſtitum, ex quibus candidus prodit flos: ſemen illi eſt oblongum, & luteum: capitulum thyrſi figura, radices lentore molles, muccoſæ, longæ, rubenteſq;. Si brancam urſinam ſpectare uolueris, huic deſcriptioni adeò quadrare cernes, ut nullus uel cæcus eam eſſe ambigere poßit. In hortis etiam & humentibus locis naſcitur. Nec te moueat Dioſcorides, qui eam herpacantham uocari doceat, quoniam ſerpit: hoc enim ſerpere in fõlijs tãtum quæ prope radices ſunt intelligo, nam hæ per terram extenduntur. Galli, ut nos, appellãt. Quidam uero Germani Engelburtz dicunt. SEN. In tuã ſententiam deſcendo. Siſymbrium ad manus uenit. BRA. Siſymbrium. Ne diu uerbis immoremur, ea herba, quã nos mẽtam Florentinam appellamus, apud Dioſcoridẽ, & antiquos, ſiſymbrium eſt: fõlia enim habet mentæ ſimilia, & magis odoratum eſt, & niſi excolatur, in nepetã aſpectu degenerat, ſed in mentã odore: & id plerunq; expertus ſum, Florentinam mẽtam terræ abſq; cultura derelictã, in nepetæ aſpectum tranſiuiſſe. SEN. Multi ſunt qui pro ſiſymbrio ſerpyllum accipiunt. BRA. Hi ſummè aberrant, quia ſerpyllum altera ſpecies eſt: tamen ſiſymbriũ ab antiquis ſerpyllũ uocatur, & hoc fuit anſa pluribus errandi, qui ſiſymbrium apud autores inuenientes, ſerpyllũ exponunt. In Apennino monte prope Florentiã egregie naſcitur, propterea mentã Florentinã appellauimus, quãuis

alij ob odorem, gentilem mentam, id est nobilem, dicere maluerint. Hi denique falluntur qui centonicum, & qui Absinthium ponticũ esse arbitrantur. Germani & hoc Miuz nomine mentæ cõprehendunt. SEN. Ad hæc Ceruina lingua se offert. BRA. De hac suprà mentionẽ fecimus, tamen nõnulla alia referre nõ grauabimur. Multas herbas nouimus hoc nomine lingua ceruina insignitas: abs te scire cupio, quã colligere statueris. SE. Quã scolopendrium appellamus. BRA. Apud antiquos phyllitis est, non scolopendriũ: de quo unũ animaduertas obsecro. Dioscorides inquit, modo sex, modo septẽ fõlia habere: at in una planta nõnunquam centũ fõlia inuenies: uerum si extirpabis, uarias plantas esse percipies, & nunquã septenarium numerum excedere: quod Serapio in suo scolopendrio animaduertens, inquit, & eius compositio est tredecim pedum: quo loco pinguiuscule errauit interpres: nam interpretari debuit, & eius compositionem, id est, quãcunq; plantam habere sex, aut septẽ fõlia. Interpres uero sex & septẽ simul colligens tredecim interpretatus est. Quam ob rem antiquorũ lingua ceruina phyllitis est: licet excellentiß. Leonicenus in epistola ad Hermolaum, linguã ceruinam apud antiquos hæmionitidem esse, non autẽ scolopendrium. A quo dissentire (licet præceptore optimo) sponte uolumus, quum res ipsa alioqui demonstret, etsi modica sit in forma differentia. Constat autem Theodorum Gazam in Theophrasto pro scolopẽdrio, linguam ceruinã interpretari. Ideo apud ipsum lingua ceruina, non est nunc uocatũ scolopendriũ, quod antiquorum phyllitis est, sed est uerũ scolopẽdrium, à nobis

Ceruina lingua.

paßim

passim Arabes imitantibus Citrach appellatum. Quam ob rem alia res est lingua ceruina tua, quæ antiquorum phyllitis est, & uulgare scolopẽdrium, à lingua ceruina Theodori, quæ est uerum scolopendriũ. SEN. Rem optime accepi. Duæ sunt linguæ ceruinæ, phyllitis, & uerum scolopendrium. BRA. Ita est, sed phyllitis est pharmacopolarum lingua ceruina, & cum re similitudinem habet: scolopendrium uero est Theodori solum lingua ceruina. Quippe nullus autor, præter Theodorum, uerum scolopendrium linguam ceruinam interpretatus est. Id fortè fecit, ut latinam linguam ampliaret: inepte tamen, quoniam uerum scolopendrium à nobis Citrach uocatũ, nullam cum cerui lingua similitudinem habet. Hanc herbam Germani sua lingua airszung, id est, cerui linguam, & ipsi uocant. SEN. Omnia ad libellam accepi, sed Primula Veris occurrit. BRA. Florentini hac herba in acetarijs utuntur, & apud nos inchoante Vere quum omnes herbæ tenellæ sunt, edendo est. Verum tanta herbarum copia Ferrariense solum exuberat, ut in despectu sit: herba est paruula, cuius fŏlia supra terrã extendũtur, & florem paruum fert album camomillæ flori similem, florũ uero extremitates phœniceum colorem & ualde floridũ imitantur. De qua Plinius lib. 21. cap. 11. inquit florũ prima uer nuntiantium, uiola alba: tepidioribus uero locis etiam hyeme emicat. Nos in Ferrariensi solo, quum mitiores hyemes sunt, per totum annum uidimus. Hæc est, quam uos pharmacopolæ pro Primula Veris accipitis, à nostris mulieribus petrella dicta, ab alijs herba sancti Petri. Recentes etiã herbam paralysis, & alij Margaritum

Ceruinæ linguæ duæ.

Primula Veris.

uocant, adeò nomina ſecundũ placitum imponuntur. Sed hi qui illam paſſarellam dicunt in altera herba decepti ſummopere aberrãt. Quum autem breui purpurea uiola poſt albam ſequatur, nonnulli purpureã primulam ueris eſſe falſo contenderunt: nam, ut præcitato loco inquit Plinius, poſt albã ea ſequitur quæ appellatur purpurea, proxime flammea, quæ phlox uocatur, & primula ueris alba eſt. Nos hoc obſeruantes eodem ferè tempore & albam & purpureã floreſcere percepimus, fortè temporis breuitate decepti, qua una alterã ſequitur. Quicquid tamen ſit, calidam & ſiccam herbã eſſe conſtat: propterea iliacis doloribus, & uteri mire ſuccurrit: à Gallis coucon, à Germanis ſchluſſelplum uocatur, neſcio unde hoc nomẽ ſumpſerit: ſua enim lingua flores clauium ſignificat, fortè ob ſimilitudinẽ quam flos ille cũ bulla claui habet, nomen accepit. SEN. Foliũ Indum ſequitur. BRA. Nõnulli æquè nunc ſicuti ante Dioſcoridis tempora, hoc fõlium, nardi Indici fõlium eſſe arbitrantur, ſed falſò, quoniam fõliũ eſt de ſe, quod ab antiquis in ſummo honore habebatur, malabathrum dictum. Nonnulli etiam lenticulam paludum Indiæ putarunt, ſed decepti: quoniã Dioſcorides fõliũ eſſe tradit, quod paludibus innatat, ſicut lẽticula, id eſt, res ea, quam uulgò zen appellamus: tamen nõ dicit eſſe lenticulam, ſed fõlium ſine radice ut lenticula innatans: diciturq; fõlium per excellẽtiam, quia nullum fõliũ odore & perfectione (dempto nardi fõlio, quod tamen paruum eſt) ipſum excedit. SEN. Nos Malabathri fõlia habemus, & Venetijs paſſim uenduntur. BRA. Dicis ne illa oblonga, odorata, guſtu acria, feruidaq;, ueluti garyophyllon?

Folium Indum.

SEN.

SEN. Illa inquam. BRA. Garyophylli folia sunt, non ma labathri, quæ cum nuce similitudinem habent. Venetijs aliud folium habetur, eodem nomine appellatum, quod Alexandria Aegypti aduehunt, folijs lauri, arbutiue simile. Arabes Tembul appellant, & Hermolaus ita etiã à Mauritanis appellari censet. SEN. Optarẽ summopere, ut uerum malabathrum mihi pingeres. BRA. Nullus autor est qui illum uerè pingat. Plinius tamen libro 12. capite 27. de duplici malabathro uerba facit. Vnum est cuiusdam arboris folium in Syria, folium inquam conuolutum, & aridum colorem habens, ex quo oleum ad unguenta exprimitur: est aliud folium, de quo Dioscorides, & eodem loco Plinius, quod in Indiæ paludibus modo lenticulæ innatat, sine radice: hæc duo malabathri genera Venetijs mihi ostensa fuere, sed an illa essent, ambigebam: quoniã nullus autor est (quẽ nouerim) qui malabathrum uerè pingat. Dioscorides dicit esse in albo nigricans, & cõtumax frangi, solidum integrumq; odore, quinares feriat, & qui summoto quoq; eo persistat. Sapor eius sub lingua nardo similis esse debet, scaberq;, neq; ullo salis gustu. Plinius uero in aliquibus à Dioscoride dissentit: nam absolute nigricans, nõ autem in albo nigricãs, ut Dioscorides dicit, quippe candidum minus probatur. Oribasius autem dicit subalbidum in ipsa nigredine. Quod etiam Dioscorides, nec ullo salis gustu inquit. Plinius è contrario quodam salis gustu scribit. Itaq; in Dioscoride legendum censeo, quoniam hæc particula absque ratione posita esset, quia nullus gustum salis habere dubitat, nisi ex eo ambigi posse dicas, quia in paludibus na-

Garyophylli folia.

Malabathrum.

scatur. Tamen Oribasius & ipse in gustu salsedine carere dicit: nos autem potius probamus aliquo salis gustu legendum. Additq; Plinius esse croco odoratius, & eius odorem sufferuefacti in uino omnes antecellere. SE. Eius effigiem potius uidere optabam. BRA. Id exprimere nõ possum, quod nec legi, aut oculis uidi. SEN. De herbis ergo expeditum est. BRA. Verum infinitæ aliæ herbæ ab autoribus scriptæ sunt. SEN. Eas tantum exaraui, quibus in officinis utimur. BRA. Tam paucis utimini? SE. His solum, nisi aliqua mẽte exciderit. BRA. Res medica breuis est, si hæ tãtum in usu sint, & nunquã medici alijs utuntur, à summis uiris Dioscoride, Plinio, Galeno, Paulo, Aëtioq; pictæ: imò nonnullæ priuatim magis, aliquibus ægritudinibus succurrunt, quàm prædictæ. Dic autẽ, aliá ne reliquisti, quæ collecturus sis? SEN. Plurima. BRA. Quæ? SE. Semina, fructus, radices. BRA. Non'ne ista in herbis collegisti? SEN. Nõ omnia, plura enim reliquimus. BRA. Quid sequitur in tua charta? SEN. Semina statim describuntur. BRA. Habent'ne cum herbis eundem ordinem? SEN. Fortè inordinatiori ordine digeruntur, sed colligentibus nihil refert. BRA. Nihil quidem refert, tamen pulchrum est ordine quodam incedere. SEN. At inordinatio ipsa ordo quidam uidetur, quia inordinationem penitus seruat. BRA. Quicquid sit, tua semina, aut cũ ordine, aut sine ordine digesta enumerare incipias. SEN. Vt lubet agam. Tamen opportunius erit cœnare: quoniam maiores cadunt altis de montibus umbræ, & iam rustici à labore cessarunt. Et nunc summa procul uillarum culmina fumant. Vbiq; enim cœ

næ pa

næ parantur, post cœnam, quiescemus, hodiernum laborem remittentes, ut crastino mane tempestiuius huic negotio acrius operam dare possimus. HER. Et mihi iam renes adeò calent, ut uix interrulam pati liceat, omniaq; membra, præter dentes & palatum, quietem exposcunt. BRA. Quis posset à tantis uiris dissentire? Omnia omittantur, & refocillandis uiribus uacemus: quisq; enim nostrum hac re summè indiget. Tugurium hoc uirentibus herbis circumseptum ingrediamur, en rusticus mappam strauit, apud ipsum cœnabimus. SEN. In hoc quidē loco cœnabimus, sed nostris dapibus, quæ adhuc in hippopera supersunt. HER. Iam tempus est dare membra quieti, ego supra hunc cumulum foliorum castanearum hanc noctem transigere decreui. SEN. Commodius erit, gratiusq; corpori lintea supra folia extēdere. BRA. Vt lubet: hoc unum scio, nobis opus nō esse cunabulo ad dormiendum. SEN. Non indigebimus equidem, & hæc aura quæ spirat, culices abiget. BRA. In montibus nō sunt adeò frequentes, ut in conuallibus, & locis aquosis, hic tamen non desunt. HER. Solares radij tecti rimas iam subeunt, nos autem dormimus? BRA. Miror, quum uunior sis, & magis defatigatus, primus omnium experrectus sis. HER. A cunis usque assuetus sum tempestiuè surgere, imò diu uos dulci sopore pressos inspectabā, & ne euigilarem, quiescebam. SEN. Eia surgentes operi nostro incumbamus: ubi est mea charta, in qua semina scripta sunt? BRA. Linteis heri uesperi tectam uidi, quippe sinu deciderat, quum tuum hoc colobium recingebas. HER. En sub capite erat.

DE SEMINIBVS
quæ apud Ferrarienſes Pharmacopolas in uſu ſunt.

SENEX.

ATVM hunc campũ ingrediamur, in quo magnam herbarum copiam uireſcere intueor, & ferè omnes ad ſemina peruenisſe. BRA. Nunc ſemina exarare incipias, ut diligẽtia tarditatẽ compenſemus. SEN. Iuſquiami ſemen primum locum inter ſemina occupat. BRA. Tres hyoſcyami ſpecies à Dioſcoride numerantur. Vna, flore purpureo, ſemine nigro. Altera, flore luteo, ſemine flauo. Tertia, flore, & ſemine albis. Duæ primæ ſpecies inſaniam faciunt. Tertia, in uſu medico habetur, & Ferrariæ inter ruinas & rudera creſcit: eius tamen maiorem copiam habemus, quæ florem luteum habet. Verùm & florẽ album habens ibi uiret. Harum duarum ſpecierum ſemina condas, quia ubi illa deeſt, cui flos albus inſidet, florem luteum habentem accipimus, magis, quàm quæ purpureum. At cur ſemina tantum ſeruatis? SEN. Quia ſola in uſu ſunt. BRA. Cur nõ immutãdus uſus ſi ab autoribus aliæ partes ſeruantur? SEN. Mutemus. BRA. Tu igitur, præter ſemina, fõlia, & radices ſerua, & ex trimeſtris tritici farina, ac fõlijs paſtillos facito, recentiumq; ſeminum ſuccum, & fõliorum parato, quamuis & ex ſuis ſeminibus calida aqua infuſa ſuccus etiam exprimatur:

Hyoſcyami ſemen.

fõlia

folia etiam polentæ admixta in pastillos conformantur. SEN. Hæc omnia Ferrariæ ex habente flores albos parabo, quæ si defecerint, luteos habentem sumam. BRA. Facile utranq; speciem habebis, quamuis copiosius in maritimis nascatur. Notissima est apud nos herba, quam nostrũ uulgus Dentem caballinũ uocat. Galli Latinum nomen imitantur. Germani Bylsamkraut, uel Bylsensome, quod semen hyoscyami significare uidetur. At si kraut, id est, herbam, præponant, ita dicent, kraut bilsensome, id est, herba seminis hyoscyami. SEN. Rutæ semen alterum locum habet. BRA. De ruta in herbis tractauimus. SEN. Mente exciderat. Althææ semina sequuntur, de quibus tamen suprà dictum est, & ut satis erat, collegimus. Semina maiora frigida sequuntur. BRA. Quot & quæ sint numera. SEN. Quatuor, melonis, cucurbitæ, cucumeris, citruli. BRA. Quum hæc maiora nuncupentur, respectu minorum dici oportet. SEN. Imò sunt quatuor semina minora frigida, ad differentiam maiorũ. BRA. Numera & hæc. SEN. Portulacæ, scariolæ, lactucæ, endiuiæ. BRA. Cur hæc minora, illa maiora appellantur? SEN. Nescio alteram causam, quàm quòd illa sint magis frigida. BRA. Imò portulacæ semen, endiuiæ, ac lactucæ, magis frigida sunt. SEN. Cur ergo ita uocantur? BRA. Id non fit ex uiribus quæ maiores in minoribus sunt, sed ex mole & seminum magnitudine, & fortè ex magnitudine rerum unde semina sumuntur. Itaque à mole corporis recentes, & non uirtutis hæc semina maiora, & minora nuncuparunt: imò si in recentiorum libris semina frigida absolutè

ſcriptum reperies, maiora intelligere oportet. A primis autem exordiamur, id eſt, melonũ ſeminibus (ut tuo uerbo utar) Dioſcorides, & Græci omnes nomen habent
Cucumis. σίκυς, quod noſtri Latini uertentes cucumerem dicunt, ſub quo nomine non tantum cum fructum, quem nos uulgò cucumerem appellamus, intelligunt, ſed omnia melonum genera, cucumeres, citrulos, & angurias comprehendunt. SEN. Apud Græcos igitur maxima debet eſſe confuſio. BRA. Quietè habeas & rem noueris mire diſtinctam. Quum fructum illum, quem nos uulgò melonem dicimus, ſignificare uolunt, non σίκυς,
Cucumis pepo id eſt, cucumis, abſolute dicunt, ſed σίκυς πέπων, id eſt cucumis pepo, uel abſolute πέπων dicũt. Nos etiam abſolute pepon: melopepon uerò pepo eſt in formam mali cotonei forte fortuna (ut Plinius inquit capite quinto 19. libri) factus. Abſolute igitur quum cucumis dicitur,
Anguria. Anguriam intelligere oportet: quum pepo, meloneum noſtrum. SEN. Noſter cucumis quo nomine uocatur?
Cucumis citrinus. BRA. Et ipſe cucumis dicitur cum hac adiectione citrinus: propterea multi citrulum quaſi citrinum, à colore quem habet quum maturucrit, appellant. Is eſt, de quo Plinius libro 19. capite quinto, qui in uarias formas à Columella componitur, aquam amat, refugit oleum, & ſi in cannam flos ponatur, longiſſimi fiunt. SEN. Anguriam ergo cucumin dici ſentis, & noſtrum cucumerem,
Cucurbita. & melonem peponem. BRA. Ita eſt. Cucurbitam uero ab aliquibus anguriam comprehendere creditur, quia unum cucurbitæ genus rotundum eſt: ſed Columella id falſum eſſe demonſtrat, qui ex eiusdem cucurbitæ ſeminibus ro

bus rotundas fieri manifeste docet, & oblongas: quippe ex collo semina oblongas, ex uētre rotundas faciūt. Ideo aliud est anguria, aliud cucurbita: sed anguria sub cucumeris genere intelligitur. Vnde à Virgilio in Georgicis dicitur, Crescceret in uentrē cucumis: quod anguriæ propriū est. Horū omniū semina in Ferrariēsi agro ubertim inuenies, & multo efficaciora quàm in montibus: at ex his cur tantū semina colligis? SEN. Ita usus est. BRA. Succus seruari non debet, nec fōlia, nec cortex: tamen peponum radicem in officina, præter semina, habere conueniet. Germani nomen habent pfeben, quo melones significant, sed eodem ferè nomine & citrulos, ac cucumeres intelligūt. Galli melones melons: & Hispani, ut nos dicūt. Cucumeres uerò à Gallis, Concombres: & ab Hispanorum parte pepines uocantur: & Galli etiam citrulos, citrules appellant. At cucurbitæ à Gallis coucourges, ab Hispanis Calabacas generali uocabulo, à Lusitanis Aboberas, à Germanis kurbs appellantur. Non desunt tamen in Italia multi, præsertim Neapolitani, qui anguriam melon de aqua nuncupant, sed hæc aliàs: quoniam opus non est omnium nomina recensere. Nunc ad minora semina frigida transeamus. Portulacā aliubi nō quæras quā Ferrariæ, & non modo semina, sed ut suprà docuimus, fōlia etiā seruabis. Notissima herba est. De lactuca idē iudiciū sit. De endiuia prius dictū est. Scariolam tantū edocere oportet. Quum de intubo sermo habebatur, sub eo cichoreum, & endiuiam comprehēdi ostendimus, & quòd uocabulum intubus endiuiæ applicatum est, cichoreum uerò illi herbæ quam uulgo Radechio appellamus, &

Portulaca.

Scariola.

utrunque in ſatiuum & agreſte diuidi monuimus. Herba quam recentiores Scariolam dicunt, intubi ſpecies eſt, ſed ſyluestris. Græci, ſerin, noſtri recentes corrupto uocabulo ſcariolam uocant: nam diminutiuum ſeris, Seriola eſt: ipſi uerò corrumpentes ut pleraque alia, ſcariolam pronunciant, Seriolam dicere uolentes aut debentes. Eodem modo à Gallis appellatur. Lactucam uerò, ut nos, uocant Hiſpani: Galli lectus, Germani lactuc. At endiuia à Germanis & Hiſpanis Latinè profertur, à Gallis endiue. SEN. Albi & nigri papaueris ſemina occurrunt. BRA. Multa de papauere dicēda eſſent, & oſtendendum, quod recentes Roſellam uel papauer rubrum uocant, aliud ab Anemone eſſe. Duo papaueris genera in ſegetibus naſcuntur, id eſt, duæ herbæ, quæ in uaſculis papaueris modo, ſemina condunt. Vna eſt Anemone, de qua ſuprà. Altera, erraticum papauer, uel papaueralis. Anemone plures colores habet: erraticum papauer duos tantum, ruffum, & candidum. His autem omiſſis ad tua ſemina accedamus, ſemina, quæ colligitis ex ſatiuo papauere ſunt, at in re medica potiora ſunt ex ſyluestribus ſemina, quippe & ſatiuum manditur, imò Florētinæ mulieres tempore æſtatis in delitijs habent, quippe poſt prandium & poſt cœnam, uaſculum ſatiui papaueris deglubentes, paulatim ſemina comedunt. Ex ſyluestribus autē id magis aptum eſt medicamētis, quod tertio loco à Dioſcoride ponitur, oblongum uaſculum habens. Ideo noſtri pharmacopolæ aberrant, qui ea uaſcula quærunt quæ bene rotunda ſint, quum longa efficacius medeantur. Habent eiuſmodi papauera alba ſemina, & in Ferrarienſi

Papauer albū.

agro copiosè crescunt, magis etiã quàm in montibus efficacia. Nec nobis deest nigrum papauer, Thebanum tamen apprime laudatur, è quo fit opium. Duo ex nigro papauere fiunt: succus quum exprimitur crassus, qui Meconium dicitur, & lachryma, uel lac, quum inciditur caulis, & emanat lac uel lachryma, quæ opium nuncupatur: hæc autem præter semina ad rei medicæ commodum seruanda. Verum & si apud nos nigrum papauer sit, non tamen in tanta copia, & tale, ut ex eo opium fieri possit. Ideo & opium, & eius semina ex Thebano agro poscerem, quãuis nos ex alijs pluribus Italiæ locis habeamus. At albi papaueris semina ex Ferrariensi agro colligerẽ. A Gallis, pauot dicitur: adduntq; blanc, noir. Ita à Germanis Mon, prædictas differẽtias addentibus: ab Hispanis autem Dermideras uocatur. SEN. Quibus indicijs opium ab autoribus probatur? BRA. Oribasius grauis autor, qui Galenum sequitur, secundo de uirtute simplicium libro in hunc modũ scribit: Papaueris succus, id est, opium, optimus est, spissus, & grauis odore, somnum faciens, amarus in gustu, facile soluitur in aqua, nitidus, albus, non asper, neq; thromboidis, id est, neq; conglomeratus in resolutione, neq; indurescit in sole positus, incensus, & ad lucernam accensus terrestris flammam mittit. Adulterant autem eum glaucium miscentes, aut gummi, aut lactucæ agrestis succus. Si glaucium admixtũ habet, crocizat in resolutione: si autem lactucæ agrestis succus miscetur, odorem non habet similem, & asper est. Quòd si gummi mixtum est, sine uirtute imbecillis est, & perlucidus. SEN. Nosco in nostro opio adulterium esse, Papauer nigrũ.

quia plures ex supradictis cõditionibus illi desunt. At ad Rosarum semen ueniamus. BRA. Nihil aliud de hoc semine dicemus, quàm q od præcedẽti die tractatum est.

Amomum. SEN. Ad amomum igitur transeamus. BRA. Vos semen quoddam paruum, & nigrum pro amomo uenditis, quum tamen non sit. SEN. Quid ergo erit amomum? BRA. Nunquam in Italia plantatum amomum uidi: habet enim racemos semine plenos, aurum colore imitantes, uulnerat nares odore, & origani habet acrimoniam. Est autem ex frutice paruo, flores paruos ut uiolæ albæ habente, & fõlia bryoniæ, id est, uitis syluestris sunt. In Armeniam mittere oportet, in Mediam, uel in Pontum, si uerũ & probum amomum habere studeamus. Vnde constat amomum speciem uuæ habere, & non esse nigra illa semina, & modora, quæ à pharmacopolis publicè uenduntur. Quum uero ex tribus prouincijs Dioscorides ferri dixerit, Armenia, Media, & Ponto, Pandectarius in tres species partitur, secundam speciem Medicam appellans. Tu uides quanto errore ducatur, qui pro loci nomine, aliud nomen posuit. Miror quur non habeatur, quum facilime ex Armenia Alexandriam Aegypti feratur, mox Venetias. Nec difficile est ex Media Alexandriam ferri, aut ex Ponto in Pannoniam, & ex Pannonia in Italiam. Deinceps ut habeatur diligenter curabo, quum illustrißimus & excellentißimus Ferrariæ Dux Alphonsus, sponte se curaturum promiserit, omnia simplicia, quæ Theriaces compositionem ingrediuntur, haberi. Inter cætera autem amomum ingrediRosa Hierosolymitana. tur. Non defuere tamen, qui Hierosolymitanam rosam,

quam

quam ex Hierusalem huc portant peregrini, à nostris mulieribus Rosam sanctæ Mariæ uocatam, quamuis nullam habeat cum rosa similitudinem, amomum esse putarint, ob odorem, ob confertos ramos: & quia multi rami ab una radice, ut columbinos pedes imitari uideatur, propterea à Serapione pes columbinus dicitur. Putat nostrũ uulgus, si eiusmodi rosam domi habuerit, non posse fulmine tãgi, aut aduerso infortunio perturbari, putãtq; singulis annis in festo natiuitatis ea hora, qua CHRISTVS natus est, aperiri. Verùm amomum hanc rosam non esse ex hoc dubito, quia non uulnerat nares odore, tamen recentem satis habui, nec habet origani acrimoniam, nec folia sunt bryoniæ similia: etiam amomum ueluti uua est, quod & Plinius etiam capite decimotertio duodecimi libri testatur: quamuis inter Plinium & Dioscoridẽ quædam uideatur esse differentia, tamen non spectanda. Vnum est, uos amomo carere, quia in sapore, odore, & colore altera res est uestrum amomum, & altera etiam sanctæ Mariæ rosa. Curabimus Illustrissimi principis nostri opera Ferrariam afferri. SEN. Sinapis semen occurrit. BRA. Notissimum est semen, & notissima herba, in uarijs Italiæ locis nascitur, sed feruentissimum in Apulia, quod, aliqui in Ferrariensi agro seminarunt, ineptiori feruore ortum est: herba in pultarijs condiendis apta, semen ad uarios intinctus accommodatur, quæ sinapia, & sinapismi dicuntur, quorum in Italia maximus usus, & Ferrariense sinapium præ cæteris collaudari cœpit, quum prius Vercellense palmam ferret. Apud Gallos acerrimum fit, ut lachrymas in edendo moueat. Sinapis.

Decipiuntur qui putarunt inter ſemina minimum eſſe iſtud, propterea à Soſpitatore noſtro CHRISTO dictũ eſſe, Si quis tantã fidem habuerit ut granũ ſinapis: ut oſtendat modicam fidem mira facere. Sed CHRISTVS noſter potius in cõparationẽ granũ illud accepit ueluti omnibus notiſsimum. Conſtat enim plura ſemina multo minora eſſe granis ſinapis. In hoc monte, arenti illa parte, colligas, ubi maiorem acrimoniam ſemina habebunt, & magis tentabit mentem, qua re cætera excellere Pythagoras teſtatur. A Gallis ſaneue, à Germanis ſenff, ab Hiſpanis moſtazza nuncupatur: adeò notum eſt, ut alia declaratione non indigeat. SEN. Naſturtij ſemina ſequuntur. ERA. Cardamon, ut Græcis, non Cartamum, ut multi recentes decepti ſunt, appellatur. Altera enim herba eſt cartamum, à naribus quas torquere, & ringere facit quum manditur. Apud Latinos nomen accepit naſturtium, qua torquens nares. Notiſsima herba, nos uulgò agretto, ab acritudine ſaporis (ut arbitror) uocamus. Quum uero comedentes ferè euigilet, propterea ad inertes dicitur, Ede naſturtium. Satiuum & ſyluestre reperitur: & ſatiuum duplex, album, & nigrum: eadẽ uis omnibus, Dioſcoride teſte, Sylueſtre tamen & montanum in calefaciendo efficacius: at Dioſcorides non multum curat quo loco colligatur: mihi autem magis placet ex montibus petendum. In uſu medico ſemina tantum ſunt, folia minime, quæ etſi ad aliquid etiam ualeant, tamen (ut Galenus libro de ſimplicium medicamentorum facultatibus inquit) uires habent quum uiridia ſunt: exiccata enim illas amittunt, licet non penitus. Hiſpani marayes aliqua

Naſturtium.

Hiſpaniæ

Hiſpaniæ parte: Luſitani agrones. Germani uero Broon eres, naſturtium, ex proprietate quam habet, uocant. SE. Vrticæ ſemina poſt naſturtiũ habentur. BRA. Ab urẽ= do nomen accepit urtica. Reperitur magis ſyluestris & minus: mas, & fœmina: ſed eædem uires omnibus inſunt. In arentibus locis & montanis efficacior eſt: ſed præter ſemina, fŏlia etiam ſeruabis, ad plures medicos uſus cõmo da. Adeò nota herba, ut à culo etiam (uulgato Ferrariæ prouerbio) cognoſcatur. Eius ſpecies diſtinguit Plinius cap. XV. XXI. libri, eas proprijs nominibus uocans, ut cania, herculeana. Ortigas ab Hiſpanis, à Gallis ortie, à Germanis neſſel, & neſſelen uocatur. SEN. Lini ſemi= na præ manibus ſunt. BRA. Omnibus notiſſimum eſt li num: ita etiam à Græcis appellatum, quamuis nonnulli li num agreſte nuncupent, non quia contra ſatiuum diſtin guatur, ſed quia in agris, ad ipſius differentiam, quando filari aptum eſt: ſemina in Ferrarienſi agro, medicæ rei aptiſſima ſunt, & in ſumma copia habentur, ideo nõ eſt opus in montibus quærere. A Gallis linũ lin, & ab Hi= ſpanis, ut nos, lino: à Germanis lein, uel lin ſemen, aut flach appellatur. Non eſt autem opus hic lini genera edocere, nec quid linum ſit à Plinio aſbeſtinum appella= tum, lib. XIX. quod ſi in ignem proijciatur, non uritur, & mappæ ex eo factæ igne non aqua lauantur: arbitror ego ex lapide quodam eſſe, qui amiantus dicitur. Hic (ut Dioſcorides quinto libro inquit) in Cypro naſcitur, ſimi= lis alumini ſchiſo, id eſt, de pluma à nobis uocato: ex eo Theatris uela texuntur: hæc autem in ignem coniecta, flammantur quidem omnino, ſed ſplendeſcunt magis

Vrtica.

Linum.

exempta, & nihil igni deperdunt. Nos hunc lapidem habuimus, habemusq; nunc, & filari posse certum est. Multi ex alumine schiso (sed incaßum) conati sunt lintea in hunc finem parare. Non defuere tamen, qui ex Salamandræ cortice similes mappas, quæ comburi non possunt, factas putarent, sed falsò, quoniam salamandram comburi magno meo periculo uidi: ferè enim eius sanies in os prosilijt, quanquam non putamus adeò uenenosum animal esse, ut uulgus, & recentes multi arbitrantur. Quum autem lini mentio inciderit, de linosa herba aliquid loqui conuenit, uel linaria, ita enim appellari solet, sed frequentißimum est nomen linaria, minus frequens linosa: notißima est apud nos herba, fŏlia lini fŏlijs similia, adeò ut à multis syluestre linum putetur: nunc prætermitto quòd à recētibus esulæ comparetur, hoc dēpto, quòd esula lac habet. Vnde carmen quoddā sibi finxere:

Esula lateſcit, ſine lacte linaria creſcit.

An uero ea sit esula cui linariam comparant, alio loco disputare decreuimus. SEN. Reperitur ne apud antiquos linaria? BRA. Suspicor an illa sit, quam Dioscorides, & Plinius osyrim uocant: nam surculus niger ramulos tenues lentosq; fert, & ijs fŏlia terna, & quaterna, modo quina, interim & sena ceu lini, nigra initio, deim colore mutato subrubra. Vnde & Plinius ramulos nigros, & fŏlia nigra habere dicit, semen quoq; primo nigrū, post rubescens. Nonnulla tamen me deterruere, ut potius suspicer, quàm putem linariam osyrim esse: à quibusdam Germanis linaria wildflachs dicitur, ab alijs krotenflachs.

Fœnugræcum, SEN. Fœnugræcum ergo quæramus. BRA. Nec longe aberit

aberit nostris in partibus fœnugræcum, à Plinio Silicia, à Varrone Silicula, à Theophrasto buceras appellatum, notißima herba, & notißima semina in usu medico quotidie frequentia, à Gallis senegre, ab Hißpanis alfolfes fœnugræcum dicitur. BRA. Caulium semina colligamus. BRA. Heri satis superq; collegisti. SEN. Basiliconis garyophylati semina habeamus. BRA. Et hæc etiam acer uauit Herbarius, quod ozimum appellari monuimus. SEN. Frumentum, ordeum, miliumq; seruemus. BRA. Notißima semina quæris, quæ in quotidiano usu habentur: frumentum, & far uocabula communia sunt omnibus ferè spicam habentibus: tamen uocabulum far, uni speciei attribuitur, quam eodem nomine uocamus, eodem modo frumentum tritico. Hæc sunt in nostra inclyta urbe Ferraria, adeò exuberantia, ut quandoque ita uili pretio uendantur, ut nihil ferè ualeant, tantum Ferrariensis ager triticea messe abundat. Milium pariter in centuplo augetur, ut semel ex uno grano in Bondonij conuallibus sexaginta ramulos procreatos uiderim. Frumentum.

Sed in ordeo ambiguitas est, quippe nonnulli antiquorum ordeum alteram rem esse à nostro nunc uocato ordeo, quod in quotidiano usu est, putarunt: quos hallucinatos esse arbitror, quoniam & in folijs, & in figura seminis, & in uiribus nostrum, & antiquorum ordeum cõueniunt. Id tamen præmonere uolo, me quandoque Venetijs ordeum ex Græcia allatum quæsiuisse, iuueniq; grana cum nostro eadem, sed maiora, & magis alba, non tamen adeò excellentia, ut diuersum esse uideretur. Quam ob rem nostrum ordeũ seruarẽ, quod ab antiquo Ordeum.

nullo modo differt: hoc enim esse maius, & magis album non tollit, quin ordeum sit. At maiora grana, quæ haberi possint, & candidiora seruarem: nam à Dioscoride, candore, & munditia probatur. In Ferrariensi agro, & candidum, & ualde mundum habetur: triticum uero probatur, quod in luteum colorem uergat. Galli, ut nos, triticum formant, Hispani trigo, Germani weyſſzen appellant. At ordeum à Germanis gerſt, ab Hispanis eluanda, à Gallis orge, dicitur. Milium uero Hispani millo, Galli mil, Germani hirs uocant. SEN. Coriandri semina occurrunt. BRA. Coriandrum adeò nota, & triuialis herba est, ut longa dissertatione non indigeat, quod coriandrum etiam nuncupatur: non modo eius semina, sed etiam folia in officinis habere conuenit, & quum frigiditate ualeat, ideo frigidioribus locis collectum, efficaciores uires habebit: hanc igitur partem Boreæ subiectam petamus, in qua rustici seminarunt, quanquam & Ferrariæ proueniat: uerũ cultu indiget, quia syluestre coriandrum nunquam inuenitur. SEN. Semen mirabile est, quod capiti, & uẽtriculo magnopere succurrit. BRA. Miror ego cur recentiores medici eo frequenter utantur, quum (ut inquit Dioscorides) mentẽ tentet, præsertim si copiosius sumatur, & in frequenti usu sit. Imò sexto libro, inter uenenata connumerat, quam ob rem eius usus adeò frequẽs esse non debet. SEN. Nos illud præparamus. BRA. Abs te peto, nunquid ea præparatio faciat ipsum nõ esse coriandrum, aut adhuc coriandrum sit: si adhuc coriandrum, proprietates coriandri habere opus est: si coriandrum non sit, coriandrum (ut putant) suis ægris non exhibebunt.

Coriandrum.

bunt. SEN. Malitia, quam habet, corrigitur, & adhuc coriandrum est. BRA. Ideo & adhuc illam qualitatem participat, quam à propria natura habet, & si minus intensa dici possit, propter hæc coriandri usus infrequens sit, præsertim quum Dioscorides ut plurimum per exteriora eo utatur, & eius usum caueri iubeat. Idem Galenus, & Paulus Aëgineta censent. Mirum uero cur à nostris medicis pro capite ut plurimum exhibeatur, tamen capiti infensissimum est: quum autem uires habeat quodammodo stipticas, propterea uentriculo prodest. Ferrariense etiam solum coriandrum copiose fert, quamuis nullus sit, uel modicus seminandi usus. Germani Latinum nomen imitantur, coriander proferentes, nam apud ipsos non extat. Galli coreandres, Hispani culatro uocãt. SEN. Lupinum sequitur. BRA. Notissimum semen, ne scio an inter legumina numerem. Tristes lupinos Virgilius cecinit, id est, amaros, ut Seruius interpretatur. Nostræ mulieres aqua maceratum, mitius reddunt, ut mãdi possit, nec immeritò, quia uentriculum corroborat. At inepta hora sumunt, quia statim à cibo: satiuum, & syluestre inuenitur, sed æqualibus uiribus. Solum Ferrariense lupinum aptè producit: in montibus tamen, atque siccioribus locis efficacior, curam non expetit. Hippolytum Turcum optimæ indolis infantem, Magnifici Alberti filium, ab ingenti uermium copia solo lupinorum puluere liberaui, A Gallis lupinis, ab Hispanis, tramuzes, à Germanis feigbon appellatur. Vnde uero Germani suum nomen sumpserint ignoro, quippe idem significat quod fabæ ficuum. SEN. Cannabis semina offeruntur. BRA. Cannabis.

Lupinum.

Species duas habet, Syluestrem, & satiuam: ex ambabus semina habere studeas, ex syluestri autem speciatim radices. In Bononiensi agro mira cănabis fertilitas, & præsertim in Illustrissimi Ducis nostri castro quod Centum appellatur, à centonibus fortè dictum, qui etiam ex uarijs cannabinis partibus fiunt. Venetorum Senatus huius castri uiris immunitates plurimas condonauit, si Venetias cannabin adueherent, quippe nullum aptius ad conficiendos rudentes inuenitur. De cannabi finem fecissem, quoniam opus non est res tam notas diu pingere, nisi in mentem uenisset, gallinas hoc semine pastas per totam hyemem oua párere: quod & urticæ semen facere certũ est. Ab Hispanis, qui Lusitaniam inhabitant, lino alcanabe, à Germanis hanf, à Gallis chaneuix appellatur.

Cicuta. SEN. Cicutæ semina consequuntur. BRA. Frequentissima habetur Ferrariæ cicuta, & efficacissima, ut quæ sues plerunq;, & anseres interficiat. Non tantum semina, sed & succum è cacuminibus, antequam semina obarescant, seruabis. Vinum meracius sanat, si quis cicutam comederit. Ne aliubi quàm Ferrariæ, cicutam quæras, licet Dioscorides Cretensem magnopere laudet, post Magaricam, & Atticam: fistulæ ex ipsa fiunt, quæ cicures redduntur, si uino meraco macerētur. Noui ego unigenitum uiduæ filium, qui ex esu cicutæ obijt, eam in acetario, cerefolij loco (ut dixit) comedens. Mixta uino, insanabile uenenum est. Excellentiss. Leonicenus pharmacopolarum errorem detegit, qui loco rutæ syluestris seminis, cicutæ semen colligunt & seruant: tamen resipiscere nolunt, sed in dies homicidia potius augere. Nostrum uulgus ce

gus cegua, & Galli etiam Ceguce nominant. Hiſpani cannaueras. At Germani, quoniã interficit, VVietericht appellant, ac ſi tyrannum dixerint: ita enim id uocabulum apud ipſos interpretatur. SEN. Erucæ ſemina occurrunt. BRASA. Inter alias herbas, quibus in acetarijs utimur, hæc una eſt, quæ Venerem reuocat morantem, ut poëta inquit: nec lactuca apud nos edi conſueuit ſine eruca, ut calidæ ac frigidæ rei temperamentum fiat: notiſſima herba eſt, à noſtris etiam mulieribus ruchela, corrupto uocabulo, quaſi eruca nuncupatur: non modo ſemina, ſed & herba ipſa ſeruanda. Quin & ex hac herba, & lacte uel aceto paſtilli fiunt, ut diu ſeruentur, in culinæ non medicinæ uſus. Quæ apud nos reperitur, ſatiua eſt. Aliud genus ſylueſtre in Hiſpania potiſſimum naſcitur (quanquam & in Italia etiam) quo Hiſpani loco ſinapis utuntur, imò idem eſt in Italia uſus, & plures uidimus, qui eius ſemine uice cardamomi ueſcerentur. In Ferrarienſi agro copiosè prouenit, ſed in montibus efficacior. SENEX. Ad meſpilorum ſemina ueniamus. BRASAVO. Si tempus exigeret, meſpilorum ſpecies ad unam enumerarem, quæ à Theophraſto libro de plantarum hiſtoria tertio, & à Plinio deſcribuntur: oſtenderemq; Dioſcoridis meſpilum, non eſſe nunc uocatam meſpilum: quia Dioſcorides arborem aculeatam dicit, buxeæ ſpinæ fõlijs, & quod fructum fert, in quo ſolum tria grana uel ſemina inueniuntur: unde tricoccus appellatur. Talis fructus in Neapolitano agro copiosè abundat: ipſi azarolum, nos lazarolum uocamus. Cœpit iam

Eruca.

Meſpilum.

Ferrariæ plantari, & Hieronymus Braſauolus affinis meus Miles ſtrenuiſſimus ſuo in horto habet. De hoc autem pomo aliàs: nam meſpilla noſtratia nõ habent pauciora grana quinque. Verum ut aliquid certi habeas, ſecundum genus meſpili à Dioſcoride poſitum, quod epimelis appellari dicit, in Italia naſcens, eſt uera meſpilus noſtra, ſi deſcriptiones cõſideremus: nam eſt arbor mâlo ſimilis, fõlijs tantum minoribus, rotundum pomum fert eſui commodum, latiori umbilico, leniter adſtringens, & ſerò matureſcit. Suſpicorq; idem eſſe quod apud Galenum ex mente Hippocratis amamelides nuncupatur, genus meſpili in Italia naſcentis. Quicquid tamen ſit, non eſt opus aliunde quærere meſpila, quàm Ferrariæ, ubi & copia habetur, & efficacia ſunt ſemina. Hoc tantum addere decreui, etſi eius fructus adſtringat, ſeminum tamen puluis, lapillos uehementer ex renibus eijcit, urinam cit, & ueſicæ lapidem minuit: cuius rei nuperrime experimentum ſumpſi in domino Petro de Argenta, qui plures quàm ſexaginta è renibus lapides minxit, ſolo huius puluueris auxilio. In domino autem Andrea Rodo, uiro ſolertiſſimo, adeò lapides renum comminuerat, ut in puluerem redacti ſine dolore exirent. Germani meſpilum meſpil, Luſitani neſpelas, ut nos etiam, m, in n, mutantes, Galli nepfles appellant. SEN. Lens ſequitur. BRA. φάκη à Græcis dicitur, lentem nos & lenticulam appellamus, ſemen notiſſimum ita etiam uulgo dictum lente: in Ferrarienſi agro præcipuum, ut quandoq; grana pollicis unguem latitudine æquent. Ibi pro uſu colliges. Lenti ultimam manum impoſuiſſem, niſi

Lens.

Dioſco

Dioſcoridis textus occurriſſet quo aluum cohibere cum corticibus ſcribit. At Hermolaus emollire interpretatus eſt: nosq; publicum adagium uulgò habemus, Si quis lentis pateram comederit, ſitulam cacare. Errant (ut puto) recentes, qui excorticatas adſtringere, cum corticibus emollire uolunt. Nam cõſtat apud Galenum & Paulum lentes communiter adſtringere. Quam ob rem apud Dioſcoridem ita etiam intelligendum cenſeo, quippe ſecundo ordine exiccant, ut Aëtius teſtatur, qui etiam prædictæ dubitationis ſolutionem quodammodo adumbrauit: nam experientia id manifeſte oſtendit, lentem comedentes ſolui. Verum Aëtius lentem quidem arefacere corpus, & ſiſtere aluum, ius uero irritare. Vnde his aluus irritatur, qui ius non lentem comedunt, accidit uero multos ius ſecum comedere, ideo non mirum ſi ſoluantur. Ipſi autem lenti id tribuunt, quod iuri potius cõdonandum erat. Nec mirum, quoniam & biſcocta braſſica adſtringit, at uentrem laxat prima coctura ſumpta, ut Ariſtoteles primo Problematum libro edocuit. Galli lentiles, Hiſpani lentellas, Germani linſen appellant. SEN. Ammeos ſequitur. BRA. Plures decepti, ammi, cuminum eſſe arbitrantur. Nõ enim legi debet ammeos, quia genitiuus eſt, ſed ammi. Verùm Dioſcorides cuminũ non eſſe, manifeſte oſtendit, ſed origani ſaporem habet. Noſtri pharmacopolæ in hoc ſemine inconſtantes ſunt, quippe nonnulli ſemina parua oblonga & tenuia habent. Alij ſimile fœniculo, ſed minus: alij maius quàm cuminum, & nigrum habent. Re autem uera nullus eſt apud quem uerum ammi uiderim. Illa enim parua ſemina origani ſaporem nõ ha- Ammi,

bent, nec possunt esse calida & sicca in tertio gradu, ut sapor ostendit. Quod uero maius est cumino, et nigrum, ex hoc ammi esse non potest, quoniam ammi album est, & minus cumino. In Aethiopia ubertim nascitur, & prope Alexandriam Aegypti. Græci in panibus suis semen hoc ponunt, ut de fœniculis apud nos usus est, quo gustu gratior sit: hoc semen facile haberi poterit, quoniam Veneti singulis annis Alexandriam Aegypti nauigant. Id tamen non est quod passim à pharmacopolis uenditur, imò ut recens ualde portetur curabimus, ut terræ mandari possit. SEN. Quæ sunt illa semina quæ in officinis habentur? BRA. Alterius herbæ semina. SEN. Cuius herbæ? BRA. Nunc mihi ignotæ, quamuis plures uiderim, qui cerefolij seminibus uterentur. Aliàs autẽ de hac re commodius tractabimus: si autem uerum ammi cupis, Alexandriam mittito, hoc nomine ibi appellatur, imò hoc nomen semini, & herbæ per totam Græciam condonatur. Galenus amarum gustum habere fatetur, præter id quod acre sit, & in tertio ordine intenso
Orobus. calefaciat, & exiccet. SEN. Orobus sequitur. BRA. Eruum à Romanis dicitur. Recẽtiores adeò decepti sunt, ut nonnulli ex ipsis Alexandria semina quædam ferant subruffa, sub cuius cortice seminis caro subflaue scit, uerũ orobum esse asserentes: quum tamẽ Dioscorides orobum album dijudicet, & alba grana colligenda iudicat, ad farinam pro usu medico parandam, alij recentes, ut Pandectarius, cicer syluestre esse arbitratur, quum tamen Dioscorides de cicere prius per plura capita egerit, & in cicer arietinum & non arietinum distinxerit, tunc

autem

autem de syluestri cicere tractare debuisset. Adde seri eruum, ideo syluestre esse non potest. Auicenna herbum, & herbam Iudaicam duobus capitibus confundit: recentiores idem esse iudicant. Quicquid sit, eruum non est, quod pharmacopolæ uendunt: sub cuius cortice flauescit, quia Dioscorides candidissima grana sumi iubet. Nec te moueat quòd ab alijs autoribus ruffum ponatur, quia intus album esse debet, non rubrum. Quam ob rem id esse eruum suspicor, quod nos uulgò ruuione appellamus: habet enim albissima grana, & capiti graue est, & onerosum uescentibus, constatq;, boues saginare. Quam ob rem si quis orobum ordinaret, nostrum uocatum ruuione acciperem, quoad meliora inuenirem. Decipiuntur qui uiciam sumi contendunt. Decipiuntur, & qui uulgò uocatam rubigliam. Decipiuntur, & qui cicer, quoniam in ciceris capite, ciceris decoctum cum eruo miscet, ad te stiũ collectiones, formicas, psoras, lichenes, ulcera capitis erumpentia, cãcros, cacoëthas, cum melle, & ordeo, quod non feciſſet, si eruum & cicer idem esse putasset. SEN. Deinceps igitur semen dictum ruuione pro orobo sumam, nec erit opus Alexandriam, & in alium locum mittere, quum in nostra urbe facillime haberi possit. BRA. Ita facere expediet, ne continuo cum alijs erres. Galli eruum uesse, Lusitani Cezirano uocant. SEN. Cardamomi semina sequuntur. BRA. Quantum in hoc semine etiam pharmacopolæ decipiantur, statim uidere licebit. SEN. Quomodo in hoc semine decipiuntur, quod ualde acre, & odoratum habent? BRA. Si aures præstabis id certe intelliges, & quod exponam uerum esse

Eruum,

Cardamomũ,

probabis. SEN. Dic ergo bonis auibus. BRA. Aures præsta. Tria semina apud pharmacopolas inuenio, quæ cardamomi loco ponũtur. Vnum est, melegettæ ita uulgò dictæ, ab Arabibus cobeth bagne appellatæ, ut ex Auicẽna liquet. Aliud quod cardamomũ uocant, semen triangulare, quo nostræ mulieres pro condiendis rapis sapa, quas compostas appellant, utuntur. Tertium est, Nigella citrina: Recentes in maius, & minus cardamomum distinguunt, ab Arabibus accipientes: ita enim Serapio sacolla distinguit, quæ apud ipsum cardamomum est. At re uera nullum prædictorum trium seminũ apud antiquos Græcos cardamomum est: imò aliud maius addo, Serapionem de cardamomo loquentem, quod sacolla appellat, Dioscoridis cardamomum non tractare. Vnde recẽtes omnia confundunt. Nos autem, ut tibi distincte rem enucleemus, in hunc modum exordiamur. Quod à Serapione, & Arabibus cardumeni uel cordumeni dicitur, à Dioscoride cardamomum appellatur: hoc clarum est, Dioscoridi Serapionem comparanti. Inquit enim Serapio: Melius ex eo est quod difficile frangitur, plenum, coniunctum, durum, & graue, & extensæ superficiei, cuius sapor est acutus parum: quod autem ex eo non est tale, est malum. Dioscorides eodẽ ferè modo scribit: Eligito quod frangenti contumax repugnet, quod plenũ, præclusumq; sit: quod enim tale non erit, uetustate exoleuit, & bonitatem amisit. Hinc aperte uides Serapionem, & Dioscoridem conuenire, imò & in uiribus præcise etiam quadrant, ut idem sit apud Serapionem cordumeni quod apud Dioscoridẽ cardamomum. At Serapionis interpres qui Carui agreste

Cardamomi tria semina.

inter-

interpretatur, aberrat, & ab hoc errore ducti recentiores omnes hallucinantur. Ad melegettas igitur redeuntes, ipsas non esse cardamomum ex hoc probatur, quia non multum gustum tentant, ut cardamomum facere debet, nec sunt subamaræ. Idem iudicium sit in alijs prædictis seminibus, quæ nullam amaritudinem habent. Ideo pharmacopolæ Dioscoridis cardamamo, & Serapionis cordumemi carent. SEN. Tamen Serapio particulam de cardamomo sub hoc uocabulo cardamomum tractat. BRA. Nusquam Serapio de cardamomo tractauit, nisi in sacolla. At sacolla non est cardamomum Dioscoridis. Ideo Serapionis interpretem errasse puto, & non debuisse interpretari Cardamomum, sed aliquid aliud, quod ab eo nomine sacolla significatur. Arbitrorq; sacolla semen quoddam esse in Arabia nobis ignotum, & etiã Græcis. Propter id eo capite Serapio Græcos non adducit, ut mos eius est, sed solos Arabes. Vnde sacolla Cardamomũ interpretari non debet, quia cordumeni, uel cardumeni, cardamomum est. SEN. Nunc uerum cardamomum doceas. BRA. Scito in primis ex illis non esse, quæ in officinis habentur, quia amara non sunt, nec frangenti contumacia semina: facile ex Armenia, Bosphoro, India, uel Arabia haberi potest. Illuc mittendum, præsertim in Bosphorum, quia Veneti illuc singulis annis nauigant, & illustrißimi Ducis nostri nauis Bosphori littora appellit. SEN. Edoceas saltem, quid sit saccolla Serapionis, quam ille interpres cardamomum uertit, & omnibus recentibus ansam errandi præbuit. BRA. Quod mihi incertum est, tibi aperire non possum: res Barbaræ sunt,

quæ ad nos nusquam peruenere. Constat autem maiorem sacollam melegettam non esse, quia non sunt grana magna, in quibus parua granula insint: nec etiam minus cardamomum est, scilicet uulgare hoc nostrum, quia cum maiori similitudinem non habet, & cortice tegitur: minor uero sacolla cortice caret. SEN. Non afferam igitur domum cardamomum? ERA. Non equidem, nisi ad prædictas partes miseris. SEN. Non potero non mittere, cum propter hoc, tum propter alia multa. ERA. Esto bono animo, quoniam speramus nos hæc omnia quandoque distincte ostensuros. SEN. Carui semina ad collectionem ueniunt. ERA. Arabica nomina Græcis & Latinis notiora sunt. Caruus Arabicum nomen est, in quo Pandectarius adeò errauit, ut monitore indigeat: quippe in Serapione ita confundit nomina, ut caruum cum nigella miscuerit: quod ex nominum errore factũ est: quod enim Serapio Xamin dicit, id est, nigella, ipse accepit, ac si carui dixerit. Tamen aliud caput Serapio de carui scribit, quod uerum carui est, ut mirandum sit cur Pandectarius nigellam potius quàm carui accipe ret. Nos igitur de carui uel caruo, aut caruia (nihil enim refert quomodocunque barbarum nomen proferatur) tractaturi, id primo admonebimus, caruum non esse nigellam, ut Pandectarius, & plures recentiores existimarũt, sed caruum apud Serapionem id esse, quod à Dioscoride Caros uocatur. Hoc manifeste deprehendes Serapionem Dioscoridi comparando. Inquit enim Serapio: carui semen huius prouocat urinam, habet bonum odorem, & calefacit, & est bonum stomacho, & facit digeri cibum, & ingre

Caruus.

& ingreditur in confectionibus medicinarum, quæ componuntur ad faciendum descendere cibum à stomacho, & uirtus eius similis est uirtuti anisi, & radix eius comeditur cocta, sicut pastinaca. Hactenus Serapio. Nunc Dioscoridi mentem præsta ita de Caro dicenti: Calefacit, urinam cit, stomacho accommodatum, & in cibo gratum est, concoctionem adiuuat: utiliter antidotis & oxyporis miscetur, aniso proportione respondet, radix elixa pastinacæ modo edenda est. Ex his certe deprehenditur, carui Serapionis, & caros Dioscoridis idē esse: quoniam eadem penitus à Serapione (quamuis barbarè) in suo carui dicuntur, quæ à Dioscoride in careo: fortè si fidum interpretem habuisset Serapio, in tot errores non incidisset. Semen autem, quod pro carui à pharmacopolis sumitur, carui aut caros esse nō potest, quia, ut inquit Serapio, ex sententia etiam Abem Mesuai, est semen crassius quàm cyminum: quod autem pharmacopolæ uendunt, multo minus est cymino. Putaui quandoq; Daucum esse, id est, quod uulgò apud nos pro dauco sumitur, quod est pastinacæ genus, sed magis odoratum esse caruum: postea semina nō correspondere aduerti, quamuis noster uulgaris daucus pastinacæ genus sit, & caros inter pastinacas numerari possit. Vnde Paulus Aegineta primo libro, ubi radices numerat, quæ edendo sunt, tres istos coniunxit, pastinacam, pastinacam syluestrem, & radices cari, ac si & caros inter pastinacas numerandus sit. Quòd si potius Dioscoridi, quàm Serapioni credamus, ut dignum est, qui exiguum semen habere dicit, fortè unà ex nostratibus dauci speciebus erit: eius herba à Daucus.

Dioſcoride nõ pingitur. Plinius monet ubique ſerendum careum: Caros uero dictus eſt, quia in Caria laudatiſſimus inuenitur. Si quis certus fieri cuperet, in Cariam mittere oporteret, quod graue non erit illuſtriſſimo ALPHONSO principi noſtro: quum eius ſemina habebimus, terræ mandabimus, ut quicquid naſceretur, uidere poſſimus. Ab Hiſpanis alcarouea nuncupatur, à Gallis noſtro uulgari nomine. SEN. Nigellæ nigræ ſemina poſt caruum locum habent. BRA. Cur nigræ addidiſti? SEN. Ad differentiam ſubcitrinæ. BRA. O ingens recentiorum error. Idem eſt dicere nigella ſubcitrina, ac ſi dicatur nigrum ſubcitrinum. Vna tantum nigellæ ſpecies apud probatos autores reperitur, quæ Xamin à Serapione dicitur, non Carui, ut Pandectarius putauit. Idem uero eſt Xamin Serapionis, & Melanthion Dioſcoridis, uel nigella. Serapio enim inquit plantam eſſe paruam circa duos palmos, & habet folia parua minuta, & mollia, ſimilia folijs plantæ ranahaon, niſi quia ſunt minora ſatis, & habet capitella ſubtilia, ſimilia capitibus papaueris, oblonga, & in medio eius ſunt parietes ſeparãtes ſemina, quod quidem ſemen eſt nigrum, acutum, boni odoris. Si Dioſcoridem met legeris in capite περὶ μελανθίου, id eſt de melanthio, eadem ferè ad uerbũ ſcribit, ut de Xamin Serapio edocuit, nam inquit eſſe breuem fruticem, pedali, & aliquando maiori altitudine, comparatq; folia melanthij ſenecioni, & Serapio Ranohaon, quod ſenecion eſt: ambo tamen folia minora cenſent. Poſtea ſequitur, Et habet in ſummo cacumine exiguum uaſculum papaueris figura oblongum, interiore

Nigella nigra.

Xamin.

ſui par

sui parte discurrentibus ueluti cancellis dissептum: inter quos nigrum semen, acre, odoratumq; clauditur. Vt nullus ex his ambigere posit melanthion Dioscoridis, quod nigrum significat, & Romanorum Nigella, cum Xamin Serapionis idem esse. Id magis ostendunt proprietates, quæ eædem penitus sunt, ut quod in pane ponitur, & fronti illitum capitis dolores discutit: ut autem nigellam cognoscas, in segetibus nascitur, ut plurimum, & ea est quæ à nostris mulieribus ac rusticis Githone appellatur, Githone.
qua in coronis utuntur, æstiuo tempore, Gith alio nomine dicitur: unde uocabulũ deductum est, Githone. Quapropter melanthion, nigella, Gith, xamin, idem esse constat. Constat etiam semen id, quod pro nigella uendunt pharmacopolæ subflauum, nigellam non esse. Recentes autem qui duplicem nigellam ostendunt, sine ratione loquuntur, quoniam apud antiquos una solum nigellæ species reperitur, quæ nigra est, imò & uocabulum & nigella nigrum significat, imò & Romani nigellam papauer nigrum appellant. At hoc nomen in usum non cessit propter aliud papauer nigrum & uerũ, ex quo opium, & meconium fiunt. Galli tuum nomen ferè imitantur, nelle noyre dicentes: Germani uero Ratten: quamuis nonnulli apud ipsos disputent esse potius Behruurtz, quæ est dauci species: nobis tamen potius Germanorum ratten, & nostrum Githone esse censemus, ut uos seminum præsertim pulcherrime descriptum, præter alia, ostendit. SEN. Atriplicis semen occurrit. BRA. Plures decepti sunt, qui atriplicem id olus esse putarunt, quod uulgò spinachia dicitur: quod autem aberrẽt, hinc Atriplex.

manifestum est, quoniam atriplex antiquum & notum est, noua sunt spinachia: habet etiam atriplex aureum florem, unde ab aliquibus Chrysolachanon dictum est. Nos uulgò trepese appellamus. Hispani recentes prædictos sequuntur, nam ipsi spinazes uocant. Galli aroſſes: Germani Grunkraut, uel Grunkraut, ac si dixerint uiridem herbam: ipsi etiam ueluti diuersam herbam à spinachijs, quæ spenet uocant agnoscunt. Notissima herba Ferrariæ, & notissimum semen, quod uim refrigerandi habet, ferè in tertio ordine. Pythagoras atriplicem damnabat utpote qui hydropicos faceret, arquatos, ac pallorem, & in hortis nihil apud ipsum nascitur inculpatum. Difficulter coquitur, unde si Pythagoræ credere liceret, nostræ ætatis Medici qui in ægritudinibus concedunt longe aberrarent. At Dioscorides de Arquato morbo oppositum scribit, quàm Pythagoras sentiret, quia inquit eius semen cum aqua mulsa bibitum regium morbum sanare, aluumq; mollit. Duplex genus apud Dioscoridē inuenies, & nobis in promptu sunt, satiuum, & Syluestre. Syluestris nullus est apud nos usus, semina domestici tantum habere studeas, & hæc in Ferrariensi agro, ubi exquisitiora sunt. SEN. Quo nomine antiqui nostra spinachia uocant? ERA. Nisi in genere bletæ, aut atriplicis sint, nihil habeo cer-
Cepa. ti, quod tibi ostendere possim. SEN. Igitur ad Cepæ semen ueniamus. ERA. Non est opus hic immorari, quia notissimæ sunt cepæ, cromyon à Græcis dicitur. Syluestres cepæ nusquam sunt, rubræ acriores albis, & oblongæ rotundis iudicantur. Non modo semina, sed & radi-

cem

cem ipsam, quæ propriè cepa est, ad medicum usum, & culinarium seruabis. Plinium lege de eius speciebus, & alios autores. Hispani cebellam, Germani zvvibel cepam uocant. SEN. Anisi semen occurrit. BRA. Notissimum est Anisum, nec opus est in ipso ambigere, licet ex Syria comportari Dioscorides tradiderit: non enim in Italia propter id nasci inficiatur, sed ex Syria originem habuit, aut ibi saltem excellentius prouenit. In Italia frequens habemus. Tu montanum atque nigrum seruabis, nam uiribus efficacioribus pollet. A Gallis anis, à Germanis aines, ab Hispanis yerua buona nuncupatur. SE. Cymini semen sequitur. BRA. Et eiusmodi semina notissima sunt: reperitur uero domesticum cyminum, & duplex syluestre: domesticum in quotidiano usu habetur, de quo nihil aliud dicam, quàm nostros rusticos in peristerionibus ipsum ponere, ut columbos remorentur, & alienos alliciant, quod & antiquitus factum testatur Plinius. Addo etiam non esse petendum, ex Galatia Asiæ, ut uolunt autores, & Cilicia, quum in Italiæ Apulia optimum habeatur, & alijs pluribus in locis, efficacius in calidis prouenit: omnes ferè nationes Latino nomine utuntur, uel saltem parum detorquent: nam Germani kumell, Galli commin, Hispani comines appellant. SEN. Petroselini semen quæramus. BRA. Adhuc in medicorum animis insidet nostrum uocatum petroselinum, antiquorum petroselinum esse, & quum in re medica petroselino indigemus, nostræ herbæ ita uocatæ, semina, & radices, & necessarias alias partes colligunt. Sunt tamen, & uerum petroselinum, & nostrum uocatum

Anisum.

Cyminum.

Petroselinum.

petrosilinum apij genera, sed petroselinum in Italia non nascitur (quod sciuerim) in Macedonia tantum, præruptis locis. Semen habet ammi simile, odoratum, acre, & aromati simile: imò si addamus quæ Galenus in Theriaces dicit, amarum est, quæ nostro petroselino non conueniunt. Tamen difficile non erit per Venetas nauigationes in Macedoniam mittere, ut inde semen habeatur, quod mox nostris regionibus locis præruptis seminetur. Nostri Latini, ut Palladius, non dicit in Macedonia nasci petroselinon, sed locis asperis: unde nihil impediret apud nos etiam gigni, præsertim si locis asperis seminetur. SE. Ergo petroselini semen non habebimus? BRA. Nõ, nisi credamus id esse, de quo recentes, & quod uulgò petroselinum, id est, saxatile apium appellamus. Tamen breui spero hæc semina accepturũ Illustriss. ALPHONSI Ducis Ferrariæ cura. SEN. Nostrum igitur uocatum petroselinum quid erit? BRA. Animus inclinat, satiuũ apium, siue hortense esse, de quo Dioscorides inquit omnibus accommodatum esse, quibus & coriandrum: σέλινον κηπαῖον, id est, apium satiuum, à Dioscoride simpliciter nuncupatur. Pliniusq; libro uigesimo, in iure mãdi hoc apium censet, & esse peculiare in condimentis: quod manifestum est, nostro petroselino cõuenire. Apud omnes ferè nobis notas gẽtes à petra nomen habet, quippe Galli persin, Hispani perrexil, Germani peter silgen uocant. SEN. Oleris atri semina accedunt. BRA. Olus atrum à Romanis dicitur, quod Dioscorides uocat hipposelinon, non quidem ab equis quibus conferat, ut nonnulli uoluere, sed à magnitudine sua, quia equus in com-

Olus atrum.

positio

positione earum rerum, quibus nihil peculiare habet, magnitudinem solam significat: ut hippomarathron, quia in suo genere multum excedit: hippolappaton, à Theodoro Gaza in Theophrasto equapium interpretatum. Ad nostrum olus atrum redeuntes, radicem extra nigram, intus albam habet: propter id olus atrum à Romanis uocatur. Maius apij genus, quod in hortis & riguis nascitur adeò crescens ut arboreſcere uideatur, notißimum est. Apud nos ob suam magnitudinem hipposelini nomen acquisiuit, id est (ut Theodorum imitemur) equapij. Nos uulgò Ferrariæ apium Macedonicum nuncupamus. Omnes conditiones habet, quas illi Dioscorides attribuit: ne aliubi quæras olus atrum, quàm Ferrariæ, radixq; aliquibus in cibis grata. Decipiuntur uero, qui Archãgelicam, uel angelicam à nobis uocatam, olus atrum esse fatentur: quoniam radicem albam habet, nec in tam altam magnitudinem creseit, ut apium Macedonicum uocatum. SEN. Apij semina occurrunt. BRA. Quum absolutè apium dicitur, hortense intelligi oportet, quod σέλινον κηπαῖον à Dioscoride nuncupatur, à nostris uulgaribus petroselinum dicitur. Quam ob rẽ seminibus apij absolute, nõ sunt breuioris illius apij quod in hortis nascitur, semina sumenda: dico breuioris quàm Macedonicum, sed maioris, quàm nostrum uulgare petroselinum. At potius semina hortensis apij, id est, nostri uulgaris petroselini seruarem: unde per semina apij absolute, hortensis apij semina intelligenda sunt, quod est nostrum uocatum petroselinum. Semina uero, quæ à pharmacopolis passim colliguntur, eleoselini sunt, id est,

Apium.

paluſtris apij. Decipiuntur enim qui apium paluſtre, eã herbam putant, quam uulgò apium raninum dicimus, quippe apium paluſtre ſatiuo maius eſt, apium uero raninum multo minus eſt: & quamuis Dioſcorides in aquoſis locis naſci, non tamen in aquis dicit. Solum autem Ferrarienſe inter aquoſa loca numerandum, præſertim ubi apium naſcitur, nam umbroſa loca, & aquoſa amat: de noſtris autem apij generibus loquor, quia petroſelinum uerum in ſaxoſis, & aſperis naſcitur. Tamen quum & apium ſatiuum, id eſt, noſtrum petroſelinum, & eleoſelinon, eaſdem uires habeant, ut Dioſcorides fatetur, ideo non multum refert, utrum eorum ſumatur: pro his autem colligendis ne patrium ſolum deſeras: radices etiam, & folia ſeruato. Germani eppich: Hiſpani, ut nos, apio: Galli, ache, apium uocant. SEN. Leuiſtici ſemina poſt apium ſequuntur. BRA. Liguſtici potius dicere oportet: plures decipiuntur qui apij ſpeciem eſſe crediderunt, quum de ipſo in altera parte egerit Dioſcorides, quàm in apij generibus, pharmacopolæ, & Ferrariæ, & Venetijs. Bononiæ etiam ac Patauij altero ſemine utuntur, quod Libiſtici ſemen arbitrantur, tamen inconſtantes ſunt, quoniam nonnulli apij ſeminibus pro eo utuntur, alij dauci. Tamen facile eſt in Liguriam mittere, imò in dies illuc mercatores accelerant: ſemen petendum eſt, & terræ mandandum. In Liguriæ montibus naſcitur, umbroſis, aſperis, & altiſſimis. Mirantur Genuenſes pharmacopolæ nobis hoc ſemen deeſſe: tamen in montibus efficacius eſt, quàm ſi in plano ſeminetur: pro pipere eo uſa eſt antiquitas, imò

Liguſticum.

& nunc

& nunc rustici Ligures pro pipere in condimentis utuntur, & ego conditum ferculum libistico satis gratum comedi Genuæ in ædibus Illustrissimi Sinibaldi Fliſci, quũ Illustrissimus HERCVLES Ducis Ferrariæ primogenitus Galliam peteret, nec etiam Magnificis Comitibus Bonifacio Biuilaqua, & Vgucione Rangone Viris integerrimis displicuit. Sed illud animaduertere oportet, Ligures fœniculum miscentes, libisticum adulterant. Quin & Dioscoridis tempore seselis seminibus adulterabant, & altero quodam semine, sed subamaro, quo sapore deprehendebatur. Vnum est, uos libistici seminibus carere, cuius etiam radices in officina deinceps habere curabis. Galli, ut nos ferè, & Hispani: Germani uero liebstochel appellant. SEN. Fœniculi semen occurrit. BRA. Notissima herba est, cuius semine in placentis, cibarijs diuersis aceto uiridi, & arido per totum annum uescimur. Ferrariæ maxima copia habetur, à Græcis μάραθρον dicitur: sed non solum semina, uerum folia & radices seruare commodum erit. Sed quum & in aruis erraticum fœniculum, aut syluestre inueniatur, quod rei medicæ proficit, ideo huius semen in Ferrariensi agro collectum seruabis. Adeo nota sunt hæc, ut nihil aliud dicendum uideatur, quàm Hispanos ymozo, Germanos fenichel, Gallos fenoueil, fœniculum uocare. SEN. Sparagi semina sequuntur. BRA. Asparagi dicendum est, adeò nota herba, ut nihil aliud dicendum uideatur, quàm in Ferrariensi agro colligenda, ubi infiniti ferè sunt producentes asparagos campi. Radices quoque seruandæ. Illudq; animaduersione dignũ, apud antiquos hoc

Fœniculus.

Asparagus.

nomen asparagus siue asspharagus, non solum notissimam hanc herbam significare, quam sparsi appellamus, sed cuiuscunque herbæ cacumen quum primum erumpit ut edendo sit. Paulus Aëgineta hoc manifeste ostendit, qui caput de Asparagis inscribit, in ipso tamen de bleta, lactuca, atriplice, malua, & alijs similibus pertractat. Nos decoctos in iure asparagos aceto, sale, & oleo conspersos, magno gulæ delectamento comedimus, & in principum delitijs sunt, adeò ut etiam sine conditura comedantur. Hispani, ut nos ferè, sparagos appellant. SEN. Acetosæ semen quæramus. BRA. Species lapathi est acetosa, ea quæ acidum saporem habet, quam oxalida appellant, notissima apud nos herba. Arabes, præsertim Auicenna de lapatho tractans, loco huius uocabuli lapathum, hoc nomine acetosa utitur, quia in ea particula oxy deceptus est, quæ in omni lapathi specie non significat acumen saporis, sed in aliqua acumen foliorum, ut in nostro uocato rumice foliorum acumen in herba, quam uulgò herbam bruscam uocamus, acumen saporis: huius herbæ semina, in Ferrariensi agro colliges: uerum nec folia, aut radices, utpote rei medicæ utiles, prætermitto. Reperitur & trifolium acidum, quod alleluia uulgus nostrum appellat. Sed quũ recentes acetosam dicunt, lapathon intelligunt, non trifolium illud, quamuis eundem ferè saporem habeat, ut illi meritò particula ὀξὺ tribui, & simul componi possit. A Gallis ozeille dicitur, qua libenter intinctus parant: Lusitani azedeiras uocãt. Germani uero, savver ampher, id est, acetosa ampher: quippe savver, acetosum significat,

Acetosa.

ampher

ampher autẽ est propriũ nomẽ Germanicum, quod nihil aliud, quàm ampher significat. SEN. Genistæ semina legenda. BRA. De Genista in floribus tractare cœpimus, quæ à Græcis σπαρτίον, à nostris sparton, uel genista: notissima est, & in alijs locis præterquam Ferrariæ in usu rustico pro ligandis uitibus frequens: quæ suprà dicta sunt, satis esse putamus. SEN. Anthera sequitur. BRA. De hac in floribus scriptum est, ubi ostendimus antheram non esse rosæ florem, ut quidam recentes putant, sed compositionem quandam apud Celsum, in qua tamen rosæ insunt. SEN. Ad Sileris montani semina ueniamus. BRA. Si recentiorum montani sileris descriptiones, & seseleos conferamus, idem penitus esse deprehendetur. A Dioscoride tamen tria genera describuntur figura longe differentia, seseli Massilienſe, Aethiopicum, & Peloponnesiacum. Siler montanum recentiorum, est apud Dioscoridem seseli Massilienſe, si descriptiones conferantur: uolunt enim fœniculi fòlia habere, & reliqua, quæ de seseli Massilienſi à Dioscoride dicuntur. At si semina quæ à pharmacopolis uenduntur consideremus, seseli Aethiopici semina uidentur, quia semen est amarum: Massilienſe uero amarum non est, sed acre: facile autem erit ex Massilia habere, nam quotidie nonnulli ex Illustrissimæ RENATAE Ducis nostræ probissimæ, ac sanctissimæ mulieris familiaribus Gallias petunt. Curabimus ut semina afferant, quibus terræ missis, herbam oculis intueri licebit. SEN. Hoc ne prætereas obsecro. BRA. Non modo hoc, sed plura etiam alia habere, atque plantare tentabimus. Corrupere uocabulum recentes, ut

Genista.

Siler montanũ.

ſiler pro ſeſeli dicãt: uerùm quia ſiler aquoſa loca amat, in quibus etiã naſcitur, propter huius differentiã montanum addidere, ut à ſilere aquatico, de quo ruſtici baculos parant, diſtingueretur. Semina & radices habere conueniet: à Germanis quibusdam felt kummel, id eſt, campeſtre cuminum, appellatur: in guſtu enim aliqua ex parte cuminum imitatur. SEN. Milij ſolis ſemina accedunt.

Milium ſolis.

BRA. Si Serapionem conſiderare tentemus, ubi de culb pertractat, quod eius interpres milium ſolis exponit, ſtatim deprehendetur, idem eſſe apud Dioſcoridem lithoſpermon, id eſt lapidoſum ſemen, quod apud Serapionem culb, id eſt, milium ſolis. Inquit enim Serapio culb habere fõlia ſimilia fõlijs oliuæ, niſi quia ſunt maiora, & altiora, & latiora: & quæ ſunt ex eis inferiora, declinant uerſus terram, & habet uirgas eleuatas ſubtiles, ſicut lingua ſquinanti, & reliqua, in quibus cum Dioſcoride conuenit: quem ſi audire lubeat, in hunc modum ſcribit, habere fõlia oleæ longiora tantum, latioraq;, ad ſummam radicem eius iacentia, ramulos uero rectos, graciles, craßitudine acuti iunci, & reliqua, in quibus ambo conueniunt. Idem igitur ſunt Dioſcoridis lithoſpermon, culb Serapionis, & recentiorum milium ſolis. Nos herbam habemus huic ſimillimam, cuius ſemine mulieres noſtræ profigendis coronis utuntur, appellant autem coronas, indices quosdam, quibus Deo preces numerant, ac ſi penſa quotidie reddant. In duobus tamen differre uidetur lithoſpermon, & noſtræ herbæ ſemen lapidoſum, à mulieribus lachryma uocatum. Primo, noſtra lachryma fõlium arundinaceum habere uidetur, uel ſaltem milium nigrum imitatur.

tatur. Deinde lithospermon serpere dicitur, quod non facit nostra lachryma, quæ ueluti frutex est. Ego recte Dioscoridem considerans, non uidi ipsum folia serpere dicentem, ut à multis creditur, sed eleuata sunt: folia tamē quæ inferna sunt, prope radicem per terram expanduntur. Inquit enim ipse: καὶ τὰ περὶ τὸμ πυθμένα επὶ γῆς κείμενα. quæ uerba à Marcello interpretantur, ad summam radicem eius iacentia: ut sensum faciat, oleæ folia habere ad summā radicem iacentia: id uero in omni folio falsum est, quoniam ea tantum iacent, quæ inferiora sunt prope radicem. Ideo Hermolaus rectius interpretatur, iuxta radicem humi iacentia, id est, folia quæ iuxta radicem sunt, humi iacēt. Vnde si hoc modo interpretemur, exquisitior interpretatio uidebitur, & ea quæ iuxta radicem sunt in terram inclinata. Quæ uerba considerans Serapio dicebat (licet barbarè) Et folia inferiore declinant uersus terram, facientia uelut stratum super terrā. Et Plinius libro 27. capite undecimo, autores reprehendit qui serpere tradiderunt, quoniam ipse (ut inquit) non uidit hærentem. In summa igitur, nostra lachryma lithospermon, id est, semen lapidosum est, quamuis in folio differre uideatur, ab eo Dioscoridis: quia hoc Dioscoridis oleam, nostrum milium nigrum, aut arundinem imitatur: tamen in genere lapidosi seminis est, & renum lapides expellit, uesicæ autem minuit, ut experiētia in quotidiano usu demonstrat. Nostra igitur uocata lachryma species lithospermi Dioscoridis erit, & culb, uel milij solis Serapionis ac recentiorum. Nec moueris quòd magnitudinem crui habere dicitur, quoniam secundum loca

maiora

maiora & minora sunt: minora sunt, quibus uos utimini, & folium habet, quale Dioscorides describit: nostra autem lachryma in lithospermo à Plinio ferè pingi uidetur, præsertim quo ad semina. SEN. Quum uariæ sint lachrymæ à nobis dictæ, & lapidosa semina, quod pro lithospermate accipiendum est? BRA. Quod magis durum & lapidosius: nos autem eãdem ferè uim habere in multis experti sumus. Eodem nomine à Gallis quo recentes appellant, dicitur, scilicet milium solis: à Germanis quibusdam steinsame, ab alijs mehrhirsse, nuncupatur, quamuis à diuersa proprietate hæc nomina imposita uideantur. Denique præ cæteris milij solis generibus, id prætermitterẽ, quo uos utimini, utpote cæteris ineptius, & id seruarem quod magis album nigris quibusdam maculis insperssum. SEN. Mirasolis semina sequuntur.

Mirasole.

BRA. Hoc uocabulo Mirasole, quod Latinè heliotropium dicitur, omnes herbæ ueniunt, quæ ad solẽ uertuntur, & ferè nubilo die sunt Rusticorum horologia. Dic cuius semina collecturus es? quoniam cichoreum, scabiosa iam dicta, inter mirasolis species ab autoribus computantur. SEN. Illam intelligo, quæ ita uulgari nomine & simplici apud nos mirasole, apud Tuscos girasole, apud recentes sponsa solis, apud Arabes kerua appellatur: unde oleum de kerua fit, quæ folium platani habet. BRA. Iam accepi quam intelligis, à Dioscoride & Græcis Cici, & Croton à Romanis Ricinus appellatur ob similitudinem, quam eius semen cum ricino animali habet. SEN. Quid est hoc animal quod ricinum uocas? BRA. Id quod boues & equos apprime uexat, nos uulgò

cecam

cecam nuncupamus. SEN. Aliquam certè similitudinem habet, non tamen omnimodam. BRA. Non est opus ita ad amussim conuenire, modo in aliquibus quadret, hanc herbam, uel arborem (nam arboreſcit, ſi ſcapus arbori reſponderet) nonnulli maiorem cataputiam putant, ſed longè decepti, ut in tithymali ſpeciebus edocebimus. Germani VVundelbaum uocant: huius plantæ ſemina Ferrariæ habentur frequentia: putat noſtrum uulgus infauſtum eſſe, hanc herbam domi habere, ut non poſſit eſſe ſine luctu: folia etiam præter ſemina habere ſtudeas, & præſertim in his montibus. SEN. Berberis ſemina occurrunt. BRA. Berberis etiam colligitis, & non tantum ſemina. Vocabulum berberis, & amaberberis, barbara ſunt: ſi autem Serapionem de his loquentem conſiderabimus, idem eſſe cum oxyacanthon Dioſcoridis deprehendemus. Inquit enim Serapio: Eſt arbor ſimilis arboribus pirorum agreſtium, quæ dicitur habaras, niſi quia eſt minor, & habet multas ſpinas, & habet fructū ſimilē grano myrti, niſi quia eſt maior, & rubidus facilis ſeparationis, & habet interius grana, & habet radicem habentem multas radiculas infixas terræ. Hactenus Serapio. Nunc Dioſcoridem eadem ferè dicentem in Oxyacantha audias: Agreſti piro ſimilis arbor Oxyacantha eſt, minor tantum, magisq; ſpinoſa, fructum myrti baccis æqualem, confertum, rubentem, fragilem, nucleos intus habentem, multifidam radicem, & altius deſcendentem. Quæ ſi cum Serapione conferantur, manifeſte deprehendetur, utroſque hos uiros eandem picturam lineaſſe, niſi quia Serapionis colores ineptiores ſunt, Dioſcoridis

Berberis.

Oxyacantha.

autem floridi, hoc est dicendi phrasis. In proprietatibus etiam quo ad usum medicum quadrant, ut non sit opus dubitare eadem ab his autoribus tractari. Fuere autem qui Oxyacantham Dioscoridis eum fruticem esse putarint, quem nos uulgò uuam crispinam appellamus: hi autem longe decipiuntur, quoniam crispina uua sylvestris piri fŏlia non habet, sed potius in uitem aut in apij fŏlia inclinat, ualde enim incisa sunt. Coniectura uero, qua mouentur, ut berberis sit crispina uua, adeò tenuis est, ut desse ruat, quippe ex nomine tantum sumitur: nam inquiunt crispinam dici quasi acrem spinam, & oxyacantha quasi acuta spina: tu ipse uides qua coniectura moueantur. Adde in granis multum differre, quia in oxyacanthæ grano plures acini, in uua crispina unum solum inest. Vidi ego oxyacantham acinos quatuor habentem, sed pro maiori parte duos habet. Vnde granum illud quo passim utimini Serapionis & Auicennæ ac cæterorum Arabum uerum berberis, & Dioscoridis, Galeni ac cæterorum antiquorum ueram oxyacantham esse certus sis. Longe etiam decepti sunt, qui berberim pro aspalato accepere, ut suo loco intelligere licebit. Galli Arabo nomine utuntur: Germani nonnulli Surich, erbsel appellant.

SEN. Quo loco hos berberes colligere oportet?

BRA. In his montibus, quamuis in Bononiensibus etiã, Mutinensibus, & per totum Apenninum copiosè uireãt. In nostris etiam foueis quandoq; reperitur: in omni solo nascitur, sicco, humenti, aprico, sole patenti. Si in frigidioribus locis inuenies, ibi efficaciores fructus parit.

SEN. Rapæ sylvestris semina occurrunt. BRA. De

rapa

rapa dicemus, si prius te admonuero, non solum oxyacanthæ granum, sed & radices seruandas, mirorq; te hunc fructum inter semina numerasse. SEN. Id factum est quia ob semina expetitur. BRA. Esto, Rapas aggrediamur, nam & ipsæ in usum medicum ueniunt. Vos syluestris semina habere curatis, cur etiam non satiuæ? nam & satiuæ semina rei medicæ proficiũt, & caro radicis, & fõlia, & coliculi quũ primũ exeũt, imò & ipsa radix muria conditur, aut sapa, ut nostræ mulieres pro quadragesimali obsonio parãt. Notissimæ sunt rapæ, & satiuæ, & syluestres, in Ferrariensi solo crassissimæ, præcipuæ, & dulcissimæ. Columella in Italia cæteris Nurcinas præfert. Quod non fecisset si eius tempore Ferrarienses extitissent. Tempore enim Columellæ Ferrariense solum ualles erat: patres autem nostri culturæ assiduitate, nunc in fertilissimos campos deduxere, natura usque ad hæc tempora repugnante: sed ars naturam uincit, modo impense uelit. Alij hyeme rapas in pultarijs comedunt: ego etiam per æstatem, ne aut ligneſcant, colonum cuiusdam rusculi mei prope Ferrariam iubeo, ut fõlia ad radicem usque, omnibus rapis demat, ne ad semen perueniãt? hoc enim præsidio non ligneſcunt, sed tenellæ & coctibiles per uniuersam æstatem habentur, nec cibus est æstiuo calori noxius. A Lusitanis, saramages uocantur: à Germanis, VVilt rul, id est, syluestris rapa dicitur. SEN. Dauci semina præsentantur. BRA. Multos in Dauco aberrare uidimus, & omnes nostri pharmacopolæ herbam in Ferrariensi agro frequentissimam pro dauco accipiunt, quia ita à rusticis appellatur, quum tamen alia res Dau-

Rapa.

Daucus.

cus sit. SEN. Quæ igitur herba est hæc, quam nos daucum appellamus? & ubi uerum daucum habere potero? BRA. Ea herba, quam uos passim in Ferrariensi agro in tritici stipulis crescentẽ colligitis, & daucũ appellatis, à Dioscoride σαφυλίνον ἄγριον, id est, pastinaca syluestris dicitur, ut apparet si quis eius descriptionem consideret, præsertim ubi dicit flores in medio exiguum quid purpuræ habere, quod tamẽ in croci colorem uariat, hoc etiam in omni umbella non est, sed secundum loca innascitur: fuere tamen qui pastinacam illam syluestrem, & daucum idem esse putarẽt, & imò uos pro dauco ea utimini. Eos autem aberrare hoc indicium est, quia Dioscorides de pastinaca erratica seorsum à dauco pertractat, & tertiam dauci speciem syluestri pastinacæ comparat, tanquam duo sint, quemadmodũ duo esse constat: primam, & secundam dauci speciem, non esse pastinacam erraticã, ex foliis certum est: quam ob rem quem uos daucum putatis, daucus non est, sed pastinaca erratica, ut sapor, odor, & reliqua ostendunt. Qui etiam daucum pastinacæ speciem asserunt, decipiuntur, quoniam à Dioscoride, antiquioribus'ue nusquam describuntur, imò seorsum à pastinaca de dauco pertractat. Non tamẽ inficias eo daucum, & pastinacam aliqua similitudine iungi. SEN. Quomodo uerum daucum habere poterimus? BRA. Si in Cretam mittamus, & sumptis seminibus terræ mandemus, quod illustrissimus princeps ALPHONSVS, fieri recepit. Non solum autem huius Cretici dauci semina, sed & radices in usum medicũ ueniunt: aliarum uero specierum semina tantum. Illud'que admonere uo-

nere uoluerim, quum dauci, & ſyluestris paſtinacæ eædē ferè uires ſint, ea pro dauco uti licebit: ſatiua autem paſtinaca, ad uſum medicum minus ualet. Serapio etiam caput dauci à capite bauciæ, id eſt, paſtinacæ, eodem modo quo Dioſcorides ſeparauit. Sed Pandectarius ac recentes adeò confundunt, ut daucum paſtinacā faciant, & apud Serapionem idem eſſe daucum & bauciam, id eſt, paſtinacam, fateantur, quum tamen de dauco, & paſtinaca diuerſa capita faciat. Nō defuere tamen qui ſemina Meum nuncupata, Creticum daucum affirmēt: quibus nō diſſentirem, ſi quodammodo piloſa eſſent. Nonnulli ex Germania beerwurtz appellant, quibus alij aduerſantur, hoc nomen potius nigellæ attribui, ut herba apud ipſos beerwurtz dicta, uera nigella ſit. Nos ipſis hoc diſſidiū relinquamus. SEN. Ergo ad pſyllij ſemen deſcendamus.

BRA. Pſyllium notiſſima herba eſt, in maritimis locis Illuſtriſſimi Ducis noſtri adeò frequens, ut ingens copia Venetias afferatur: hoc diu latuit. Opera Nicolai Nicolutij inuentū eſt, qui ſingulis annis inde Venetias magnā ſummam aſportabat, & hoc per multos annos fecit, antequam eius loci homines rem cognoſcerēt, & ex ſemine lucrum quærerent. A Latinis herba pulicaris dicitur, uel quia pulices fugat, & hoc nomen etiam pſyllion pulicem ſignificat, uel quia ſemina pulicibus ſimilia habet: non tamen adeò in maritimis naſci dico, quin etiā in alijs incultis, & aruis naſci affirmem. Eſt altera cumila pulicaris: ſed hæc ſimpliciter pulicaris uocatur. Verū ne in re tam nota tempus cōteratur, ab Hiſpanis zaragatonam appellari monebimus: eam etiam difficultatē prætermittentes,

Pſyllium.

Agnus castus. an intus calidum extra frigidum sit. SEN. Agni casti semina occurrunt. BRA. Ἄγνος à Græcis & λύγος dicitur, à nostris uitex, & amerina salix nũcupari uidetur: in maritimis nascitur. Non dubito uerum agnum castum nos habere, quanquam duo obstare uideantur. Primum, eius grana piperis acumine carere. Aliud, quia Ferrariæ in claustro Religiosorum sancti Dominici uitex adest, tamen lentos ramos non habet. Scire autẽ oportet, nõ dici à Dioscoride acredinem piperis habere, sed saporẽ piperi similem: quod manifestißimum fiet, si quis eius semẽ masticauerit, habet enim nescio quid piperis. At semina ex locis quibus nascitur acriora sunt, & minus acria. Quod uero in ramorum ac uirgarũ flexibilitate dubitabamus, facile diluetur. Quoniam iunioribus, & his qui prope mare sunt lentor inest, sed antiquiores uitices ob senium flexibilitatem amisere. Semina, & fõlia circa maritima quærantur, & circa fluenta ac torrẽtes in incultis locis. Aberrant qui ex sapore piperis, quẽ habet, hoc semẽ, cubebe esse putarunt. Serapio de eo in capite de fãmãchest pertractat, & arborem Abrahæ appellat: piperella etiã à sapore nũcupatur. Antiquæ matronæ & huius arboris fõlijs supra toros stratis utebãtur, & seminibus, in pultarijs comedentes. Sed ne in re tam nota diu uersemur, reliqua secundum ordinẽ prosequaris. SEN. Pæoniæ semina consequuntur. BRA. Antiquißima herba est, à Pæone dicta: marem & fœminam habet: à Romanis casta herba, à Græcis glycysis, & pæonia dicitur. Serapio ex sentẽtia Dioscoridis, arborem esse scriptum reliquit: nos autem eius interpretẽ fuisse putamus, qui ita uerterit: non enim

Pæonia.

arbi

arbitror quod Dioscorides dicit caulem duorum dodrã-tum altitudine, arborem à Serapione dictã esse, sed id potius interpretis uitio uenit. Manifeste autem deprehenditur grana esse, multa, rubẽtia, parua, punicorũ acinis similia, quæ sunt eius semina. Hæc in his montibus altissimis, & præsertim promontorijs: præter semina autẽ, radices seruabis, quæ in masculo albæ sunt, quamuis & in aliquibus nigræ uideantur, albæ & nigræ seruandæ, quæ ad diuersa peculiariter conferunt: nos nigra abundamus, & ea pro necandis puerorum uermibus in aqua, decoctione, & puluere utimur: imò & radix puerulis adalligata ab atra bile, et epilepsia liberat, ut in Bellissario ingenuo Comitis Camilli Tassoni filio uehementi experimento deprehendi. Quum duo sint Pæoniæ genera, mas & fœmina, alterum Germani min VVen VVurtz, alterum beninien uocant: quamuis & alij benedictam rosam appellant, Galli uero pinoine. SE. Staphisagriæ semina occurrunt. BRA. Nostræ mulieres strafusarium dicunt, uocabulum corrũpentes, in nullo alio usu apud ipsas est, quàm ad necandos pediculos. Vnde à Romanis herba pediculares nuncupatur: ab uua, nomen straphij habet. Cornelius Celsus uuam taminiam appellare uidetur: sed Plinius capite 2. 29. libri ipsum reprehendit. Verùm 26. lib. cap. 14. uuæ taminiæ uires describens, staphisagriæ uires precisè demonstrat, ut postea uisus sit uuam taminiam idem cũ staphisagria facere: de hac autẽ re aliàs. Serapio alberas uocat. Fuere qui ueram uuam montanam esse putarint, quia apud Serapionem ita scriptum reperitur. Aberrant uero, quia ita ob similitudinẽ appellatur. In opacis locis

Staphisagria.

Vua taminia.

ipsam quæras, quamuis & in Ferrariensi agro nascatur.

Cataputia. Galli, stafiragre illam uocant. SEN. Cataputiæ maioris semina percurrenda sunt. BRA. Quũ multæ sint tithymali species, quæ à Serapione xeaser appellantur, præcipua & maior species hæc est, quæ cataputia uulgò nũcupatur: hoc fortè nomen sortita est, quia rustici eius seminibus in hydrope pro pilulis utuntur. Vocant uero antiquiores pilulas catapotia. Vnde passim cataputia pro catapotia proferũt. Decipiuntur uero qui cataputiam mirasole à nobis uocatum putant: quam ob rem Scrapionis interpres aberrauit, kerua, id est, cataputia interpretãs, nisi & ipse eo uocabulo ad significãdum cicum uti uelit. Deridendi sunt, & cum maximo risu, qui uolunt cataputiam dici, quia catat puzam, id est, fœtorem inuenit, nam mire soluit: sed eo uehementius ridendum, quia nõ solum uerbis, sed scriptis etiam mandarũt. Ea species tithymali est, quæ à Dioscoride characias uocatur: Ferrariæ uiret, sed in montibus efficacior. Non tantũ semina, sed radicẽ & ramulos seruabis: pastillos etiã, hac erui farina & lacte facias, imò & ficus serua in quibus lac stillauerit. Notissima herba est, & notissima semina. Rustici Ferrarienses herbam dalle carpanede uocant. Nostræ mulieres pro comperto habẽt, si quis semina deorsum trahẽs euulserit, & ea comederit, per inferna purgari. Si uero sursum, per superna: ut plurimũ uero accidit hæc grana comedentes per superna, & inferna purgari, causam afferunt, quia grana sursum, alia deorsum ducta sint. Decipiuntur etiã plures Germani, qui apud ipsos cataputiam, Vundelbaũ dici cõtendunt, quũ potius eo uocabulo cicum

signifi

significent: sed hi eodem errore ducuntur, quo Serapionis interpres. Verè autẽ nostra cataputia quæ apud Dioscoridẽ characias est, à Germanis springkorner dicitur, ac si dixerint granũ saltare faciens: quippe spring saltare faciens est, korner granũ: fortè quia soluens dolores facit. Huius herbæ seminibus, ab ascite Magnificũ Iulium Boiardum Scandiani comitem, optimæ indolis Iuuenem liberaui. SEN. Ad linguæ auis semina ueniendum. BRA. Nusquam (quod sciuerim) apud Græcos autores auis linguam reperi quã alio nomine recentiores linguã passarinam appellant. At linguã hirci, linguã bouis, linguã canis inueni. Arabes tamen de ipsa pertractant, ut Serapio in capite de lisen hasasit, id est, de lingua auis: dissidentq; in hoc semine recentes, ut nonnulli semen quoddam herbæ mihi ignotæ accipiant, quod semen paruum est: communis tamen pharmacopolarum usus est fraxini semen habere. Multi uero recentes decepti sunt, Auicennam male intelligentes, quippe Auicenna libro 3. fen. 20. cap. 18. linguam auis inter medullas numerat: ipsi uero ex hoc putant linguam auis medullã esse, quũ ipse ibi per medullas semina intelligat, quæ carnẽ & pulpã (ut ita dicam) habent. Vnde & inter medullas, grana pineæ, & auellanas numerat. Adde in 2. lib. manifeste animaduertisse, linguam auis fõlia habere, & Serapio linguã auis arborem esse fatetur. Sed an Arabum lingua auis fraxini semẽ sit, ut multi accipiunt, dubito: quippe Serapio nullũ ex Græcis adducit in lingua auis enucleanda, sed solũ Arabũ testimonio utitur, tamẽ de fraxino Dioscorides pertractauit. Præterea semen fraxini non est extra rubrum, intus

Auis lingua.

album, per ſemen medullam & nõ corticem intelligẽdo. Tamen ſi alia conſiderentur, idem preciſe ſunt, quoniam eſt albor ſimilis arbori dirdar, id eſt ulmo, niſi quia fõliũ eius eſt oblongum ſimile fõlio amygdalæ, ita autẽ habet fraxinus. Sequitur: & fructus, qui dicitur lingua auis, ſunt palmites qui diuiduntur in cherarnub, ſimiles fõlijs oliuarum, niſi quia ſunt minores ſatis, & intra quamlibet cherarnub eſt medulla ſimilis linguæ auis, exterius rubra, & interius alba, declinãs paululum ad citrinitatẽ, & ſapor eius eſt acutus, mordicans cum pauca amaritudine, & nõ apparet mordicatio eius poſtquam bene maſticatur. Hactenus Serapio. Omnes has cõditiones in fraxini ſemine reperi: nec moueor quod extra nõ ſit rubrũ, quia ſaltem in citrinum (ut Serapio dicit) inclinat: non moueor etiam quòd Græcos non adduxerit, de fraxino tamen loquentes, quia de fraxini ſemine nuſquã tractarũt: ideo lingua auis Serapionis, noſtra fraxini ſemina eſſe fateri cogor. SEN. *Suprà dirdar pro ulmo interpretatus es, tamen recentes fraxinum intelligunt.* BRA. *Hi decipiuntur, qui dirdar pro fraxino intelligunt, ut Pandectarius inter alios fecit: nam dirdar apud Serapionẽ ulmus eſt, ut eum legenti patet, & Dioſcoridi comparanti. Inquit enim Serapio ex Dioſcoridis ſententia, fõlium huius arboris, & ſummitates eius, & cortex ipſius ſunt ſtiptica: quando fit emplaſtrum cum fõlio eius trito & mixto cum aceto, confert ſcabiei ulceroſæ, & conglutinat uulnera, & cortex arboris conglutinat uulnera plus quàm fõlia, quando ligatur ſuper uulnera, ſicut ligantur corrigiæ: & cætera quæ ſequuntur. Audias modo Dioſcoridem de*

dem de πτελέας, id est, ulmo, eadem dicentem: Adstringunt ulmi folia, cortex, & rami. Medentur lepris ulmi folia concisa & ex aceto illita. Vulnera eadē conglutināt, multoq; magis cortex, pro uinculo & fasciola uulneri circumuolutus. In reliquis etiam Dioscorides & Serapio conueniunt, & in fine eius folia pro obsonijs comedenda animaduertunt: cum quibus etiam Auicenna secundo canone est, ut errorem hinc Pandectarij supinū uideas, dirdar pro fraxino, quū ulmus sit interpretantis, dicentisq; fraxinum dirizdar à Græcis dici, quū ipsi μελίαν fraxinum uocēt. Ex ulmo etiā uermiculi fiunt, quū folia ueluti uesicæ intumescunt, ideo arbor cimicum ab Arabibus dicitur. In summa igitur semen fraxini, lingua auis Serapionis putandum est, quam apud Græcos esse descriptā inuenire nō licuit. SE. Eam igitur omittā, quia apud Græcos incomperta. BRA. Imò eam colliges: alioqui nec mā na, Rhabarbaro, casia, sena, zucharo ue uti oportebit, quæ nusquam ab antiquioribus descripta sunt. SEN. Sementinam legere curemus. BRA. Hanc & semen Alexādrinum uocant, quoniā Alexandria Venetias ferri dicūt. Cuius autē herbæ semen sit, adhuc apud me incompertū est, & sub iudice lis est: ob suæ paruitatis excellentiā, sementinæ nomen acquisiuit. Recētes apud Arabes semētinam inueniri fatentur, & esse ipsorum kanabel, quod ab ipsis semētina interpretatur. At re uera semen id à nobis sementina uocatū, kanabel Serapionis esse nō potest, aut Auicennæ. Inquit enim Serapio, kanabel uel sementinam (quia hoc nomē ab interprete illi attribuitur) esse arenæ similē, & uehemēter interficere uermes. Additq; ex Al- Sementina,

manſoris ſententia, unam ex his rebus eſſe, quæ de cœlo ueniunt: imò ex hac arena ollas conſolidari tradunt, & potiſſimum colligi, quãdo pluit. Serapio glaucedinem illi attribuit, Auicenna ruborẽ, qualem lapis in fẽlle bouis re pertus habet. Vnde Arabũ ſementina terra eſt: qua autẽ nos utimur ita uocata, ſemen eſſe conſtat: apud antiquos Græcos nondũ reperi hoc ſemen. Fuere qui abſinthij ſan tonici ſemen eſſe putarent, tamen ſeriphij abſinthij ſemi na contra lumbricos Venetias afferunt, ſed hæc non ſunt, quia maiori mole claudũtur. Alij cumini ſemen eſſe puta runt: non poſſunt autẽ ſatiui eſſe, ideo ſyluestre inueniũt, cuius tamen ſemina maiorẽ molem habere cõſtat. Minus ſunt dauci, ut nõnulli arbitrantur. Nos re uera incerti ſu mus cuius herbæ ſemen ſit hoc minimum quod ſemẽtina uocatur: conſtat enim Arabũ kanabel non eſſe, & apud Græcos nõ inueni, ideo huius rei pertractatio, in aliud tẽ pus differatur, quoniã in locum, in quo naſcitur, determi nate mitti curabimus. Galli, barbontinã uocãt. SE. Ane-
Anethum. thi ſemen occurrit. BRA. Adeò notum eſt apud Ferra rienſes anethum, & in cibarijs frequentiſſimum, ut de eo nihil aliud dicendũ uideretur, niſi Marcellus occaſionem dediſſet, ut de ipſo miremur. Dioſcorides enim inquit, anethi radices coqui, ut paſtinacæ radices: hoc totũ ex pungit, non alia de cauſa, quàm quòd ipſi uidetur anethi radices, paſtinacarũ modo coqui nõ poſſe. Tu ipſe huius rei i dex eſto. Paulus Aëgineta ipſum uocat anemion, Galli anet, Luſitani endres, Germani dill. SEN. Citri, & Dactylorum ſemina cõſequuntur. BRA. De his in præ ſenti nihil, quoniã paulopòſt in fructibus tractabuntur.

SEN.

SEN. Ergo Cicutæ semina colligamus. BRA. Et cicutam in herbis edocuimus. SEN. Iam recordor. Ad Lappam ueniamus. BRA. Nos uulgò, quoniam uestibus inhærẽt, grapellas uocamus. A Dioscoride aparine dicitur, te philanthropos, quia hominum uestibus inhæreat, ac si hominem amet: notißimæ sunt apud nos lappæ, in Ferrariensi agro colligantur. Maior, & minor reperitur, & præterid in uarijs herbis lappæ sunt. Sed uera lappa ea rotonda est qua in officinis utimini, aparine à Dioscoride uocata: de qua Plin. lib. 21. cap. 17. inquit, in ipsa nasci occultũ florem, qui semen parit, ut animalia, quæ intra se pariunt. A nonnullis Germanis kliten dicitur, ab alijs klebkraut, ac si dixerint tenaciter inhærens herba. Alia tu prosequaris. SEN. Iam seminibus ultimam manum imposui. BRA. Tam pauca semina in officinis habetis? SEN. Hæc tantum, nisi aliqua incuria omiserim. BRA. Post semina, quæ sequũtur? SEN. Fructus, sed prandij hora instat, & iam sol prope meridiem inclinat, ideo laudarem, ut in umbram illius mespili secedẽtes pranderemus. Mox quũ uesperascet nostro labori uehemẽtius intendemus: interim collectis herbis ordinem dabimus. BRA. Si Herbario placet, nunquam à tua sententia dissentire potero. HER. Quid mihi gratius contingere potuisset, ut interulam hanc sudore madidam exuere concedatur, & adeò bibere ut hanc sitim extinguam? SEN. En quomodo natura certam umbrã parauit, qua post prandium meridiari licebit. HER. Hic riuulus summè placet, in quo membra lauare disposui. BRA. Ne laues priusquam sudor cessauerit. Lappa.

DE FRVCTIBVS,

quorum in Ferrarienſibus Pharmacopolarum officinis opus eſt.

SENEX.

SATIS meridiati ſumus, & ſol in occaſum præceps uergit. Non erit ab re fructus omnes neceſſarios hodie colligere, ut ſaltem hac hebdomada in patriam reuerti liceat. BRA. Enumerare incipias. SEN. Baccæ lauri primum locum inter fructus poſsident. BRA. Quum lauri fŏlia colligebas, baccas etiam in loculum poſuiſti, & tam breui tempore oblitus es? SEN. Nunc recordor, pineæ ſecundo ordine incedunt. BRA. Melius eſt circa mare deſcendere, nam loca ſalſa amat. Nudos nucleos nuſquam ſeruarem, ſed pineam ipſam, quoniam ſuæ domi melius ſeruantur, quàm quum exerti aëre circundantur, quippe ita nudi ex debili cauſa rancidi euadunt. SEN. Curribus indigeremus. BRA. Nucleos ſaltem duriori cortice indutos habere ſtudeas. SEN. Hoc fiet. BRA. Nunc quatuor pineæ genera diſtinguere omitto, hoc noſtrũ præ durum colligere ſuadens: à Gallis pignons, ab Hiſpanis pinhones uocantur. SEN. Auellana ſequitur. BRA. Nucem auellanam è corylo naſci conſtat: notiſsimus apud nos fructus atque frequentiſsimus: à Latinis præneſtinæ, à Græcis ponticæ dicebantur: aliquæ rotundum nucleum habent, quæ citius matureſcunt, & adeò præcoces

Pinea.

Auellana.

præcoces sunt, ut horarios fructus antecedant: aliæ oblongum, quæ tardius ad maturitatem ueniunt, & diu seruantur, ad eadem ualent. In Neapolitano regno sunt, qui ex auellanis prouentum maximum habent, quorum unus erat Nobilis Belingerius Caldorus, qui adeò ingẽtẽ prouentũ singulis annis ex auellanis habebat, ut me pudeat referre, ne à uero dissentire uidear: ex auellanis exteriores cortices uirides, & capsam illam ueluti ligneã sub putamine positã, & pellem fructũ tegentem seruato: hæ etsi in montibus nascantur, tamen ne aliubi quàm Ferrariæ quæras, ubi ingens copia uirescere cœpit. Hispani Latinum imitantur, auellanas dicentes, & Galli auellenes: Germani autem haselnus, id est, nuces leporum uocant, quoniam his animalibus sapiant. Nos Ferrariæ nisolas, alij nusellas dicunt. SEN. Amygdalæ occurrunt. BRA. Notissimæ sunt amygdalæ, siue dulces, siue amaræ sint: ex Apulia copia ingens affertur, non minori prouentu quàm auellanæ. Inter dulces meliores sunt, quas Ambrosinas, à loco uulgus nostrũ appellat, adeò facilime degenerant, ut apud nos copia educari non possit. Radices amaræ colligito, & gummi arboris præter nucleos: dulcis uero solum nucleos, & cum putamine seruato. Ab Hispanis almandras, à Gallis almendes, à Germanis mandel appellantur. SEN. Carpobalsamum sequitur. BRA. Balsamum arbusculam esse in Iudæa tantum & Aegypto nascentem constat, quamuis Pausania in Arabia gigni scribat. Autores in eius figura dissentiunt. Dioscorides folia rutæ habere censet. Plinius libro duodecimo capite 25. uiti similiorem esse dicit, quàm myrto.

Amygdala.

Carpobalsamũ

quamuis textus mẽdosus uideatur, ut rutæ legi oporteat. Pausanias quandoq; myrto, quandoq; sampsucho cõparat: etiã mendosus est Plinius, quũ tuberi eius fõliũ, assimilari inuenies, tunc rutæ etiam legas. De hoc quicquid sit, odoratissimũ præ omnibus arbusculũ est, Hierichunte Iudææ oppido, quod uulgò Ierico dicitur (olim urbs ingens, nunc octo magalijs referta) potissimũ ortum. Ne hic balsamum quæras, sed quum nauis quæ singulis annis Hierusalem petit, Venetijs soluet, aliquem Iudæam mittes, ut ex balsamo tria portet, fructum, id est, semen, carpobalsamum appellatum. SEN. Carpobalsamum habeo. BRA. Est'ne id quod et alij pharmacopolæ pro carpobalsamo uendunt? SEN. Id inquam. BRA. Ita carpobalsamum est, ut tu es musca, quippe balsami semen ruffum est. SEN. Et nostrum eodem colore insignitur. BRA. Plenum est carpobalsamum. SEN. Nostrum autem uacuum existit. BRA. Propter hoc Dioscorides semine hyperico simili adulterari tradit, quod petra Palestinæ oppido affertur, & inane est. Adde carpobalsamum ponderosum esse, & feruidæ in gustu mordacitatis. SEN. Hæc à nostro absunt. BRA. Imò gustum uini habere uidetur, & redolentiam succi balsami. SEN. Nec ista nostro carpobalsamo insunt. BRA. Non est ergo Carpobalsamum. SEN. Non, ut uidetur. BRA. Verùm solo semine contentus esse non debes, sed liquorem uel succum, quod opobalsamum uocant, habere studeas. SEN. Iam habeo, & ualde antiquũ. BRA. Est'ne liquidum? SEX. Liquidissimum. BRA. Ob hoc balsami succus non est, quia uetustate crassescit.

Opobalsamũ.

SEN.

SEN. Abs te boni opobalſami notas ſcire percupio.
BRA. Id libenter edocebo, & ſingulatim omnes notas exponam. Primo recens liquor probatur, habens firmum & ſyncerum odorem, non habeat ſaporem acidum, citiſsime penetret, habeat leuorẽ, linguã leniter adſtringat, & erodat. Verùm quia pluribus modis adulteratur, opus eſt indicia præuidere, quibus deprehendi poſsit. Nam uariis unguentis & oleis ſuo ſemini mixtis eius odorem præſentant, ut balſami ſuccus eſſe uideatur. Quibus autem deprehendatur uerus balſami liquor, edocebimus. Primo, ſi laneæ uesti inſtilletur uerum opobalſamum, maculam, aut maculæ uestigium nõ relinquit: adulteratum inhæret, & maculam facit. Syncerus ſuccus ſi lacti inſtilletur, coagulat: quod non facit adulteratus. Aquæ, aut lacti infuſus ſyncerus, quamprimũ diſijcitur, & lactis modo albeſcit: adulteratus fluitat ſicut oleum, denſatur q;, & ſtellæ modo radiat. Syncerus uetuſtate craſſeſcit, & bonitatem ſuam amittit, ideo quod habet, à uero balſamo diſtat. Hi decipiuntur qui putant uerum balſami liquorem eſſe, ſi proiectus in aquam deſcendit, mox ſparſus emergit: hic autem adulteratus eſt. SEN. Nondum huius ſucci colorem edocuiſti. BRA. Id ſtatim fiet, ſi in primis animaduertes, ſub cane huius loci incolas plenum corticem incîdere: plenum autem uoco eam partem, qua turgere uidetur. Id antiquitus ferreo cultro fiebat: uel, ut autores prodidere, unguibus ferreis: inſtrumenta enim erãt unguibus ſimilia. Sed quia uiſum eſt ferro plantam lædere, propterea ad uitrum, lapides, oſſeos'ue cultros conuerſi ſunt. Non eſt autem opus corticem trãſire, aut puſillũ

Opobalſami boni notæ.

Opobalſami boni liquor in quibus deprehendatur.

disquamare: succus tota æstate manat, quem lana aut gossampio colligunt, & reponunt in cornu, postea in fictile. Nunc colores ex ordine audias.

Opobalsami ueri colores.

Primo, quando mustum est colorem candidum habet, & oleo crassiori similis est, deinde rubescit, postea durescit, & translucidus fit: optimus lachrymæ color est modice ruffus: Secundus in bonitate candidus, peior uiridis, pessimus niger. Omnes hos colores, secundū principia et fines, quibus exire incipit, habet: & etiā magis ac minus molle existit. Tertium, quod in officina habere debet, Xylobalsamum est. SEN. Hoc habeo. BRA. Redolet'ne balsami odorem? SEN. Minime. BRA. Propter id Xylobalsamum non est. Tamen ut exquisitius noscere possis

Xylobalsamū quibus nōtis deprenēdatur.

subsequentibus notis deprehenditur. Primo, balsami lignum recēs sit, habeat sarmentum gracile, rubens, odoratum, quod exiguum liquorem balsami spiret. SEN. Deinceps non decipiar. BRA. Nec quartā rem ex balsamo despicias. SEN. Quid hoc est? BRA. Cortex.

Balsami cortex

SEN. Non'ne ligno eædem uires insunt? BRA. Non quidem, præsertim si is cortex sumitur qui è regione incisuræ est, ubi manat liquor, & lachryma emergit, quippe excoriari contingit. Vnde ut liquor cæteris partibus efficacior est, ita cortex surculis, & semina corticibus. At quia cortex difficilius habetur, quoniā plantæ excorticatæ intereunt, propter id ab autoribus tria tantum haberi curantur, xylobalsamum, carpobalsamum, & opobalsamum: id est, balsami lignum, fructus uel semen balsami, succus, liquor, uel lachryma balsami. Hæc de balsamo dicenda erant. Facile haberetur, si qui illuc mittuntur, do

tur, doctrina pollerēt, nec essent penitus ignari: hi enim statim credūt, quū à mercatoribus dicitur id esse opobalsamum, quod uendunt: ipsi uero ita cognoscunt, ut qui nunquam uidere. Vnde opus esset uiros doctos, atque experientia præditos pro his rebus emendis, qui in indicijs res cognoscerent, & mercatorū etiā iurijurando nō crederent. At optimi uiri nusquam inuenirentur, nisi magno pretio. Ideo eis ad amußim satisfacere uoluerim: deinde res suo pretio uendere, id est, quicquid insumpserint elicere, & præter id aliquid superlucrari. Ego si ægrotarem, huius sententiæ sum, res ueras decuplo pretio emere uoluerim, quàm nō ueris donari. Etenim nō modo nō proficiunt, sed plerunque maxime obsunt, ut poßint ægro mortem accelerare. SEN. Garyophyllus sequitur. BRA. A nobis pertractanda non erant, quæ oculis nunquam uidimus, sed tantum legimus, & ab alijs (tamen fidedignis) audiuimus. In India particulari quodam loco, arbusculum nasci tradunt, flores ferentem, qui in hoc granum terminantur, nigrum, odoratum, subamarum, in longum tendens, antiquitus pro odore utebātur: nunc & in ganeam transiuit, ut sine Garyophyllis despiciantur dapes: uulgò etiam garyophyllus nuncupatur, à Gallis girofle, ab Hispanis clauo, à Germanis negelin. Paulus Aegineta garyophyllum uocat, quasi habēs fōlia nucis, quæ odorata sunt, & optimi gustus, adeò ut nostri pharmacopolæ, & etiā Veneti his fōlijs, pro malabathri fōlijs utātur. Lusitana nauigatio garyophyllorum syluas inuenit adeò ingentes, & ubertim refertas, ut apud nos salicum. Apud Dioscoridem nō reperitur. Galenus & Paulus de eo pertra-

Garyophyllus.

ctant: à Serapione garunfel uocatur. Recẽtes uocabulum corrumpunt, harnafel dicentes. Id esse constat, quod Auicenna secunda Canone, safar appellat. Venetijs arbuscu-lum in fictili plantatum uidi: fõlia ad fõliorum nucum si-militudinem lata erant, non tamen adeò longa: propter-ea garyophyllus, id est, nucis fõlia habens ab aliquibus uocatur. At non sunt præcise similia: ob id Galenus ani-maduertit, non dici garyophyllum, quia sit fõlium nucis: sed quicquid Galenus cẽseat, fõlia in nucis similitudinem uergere oculis deprehendi. Venetijs emendum hoc gra-num, nec lignum eius omittere oporteret, atque gluten, quod eius arbore emanat, id est, quoddam glutini simile, si haberi possent: fõlia etiam seruanda utpote fructu de-biliora, & in debilioribus ægritudinibus magis quàm fru ctus efficacia. Probantur garyophylli quorum color ali-quo modo in ruffum inclinat. Iubent Arabes & sua arbo re singulos manibus sumi. Referunt Lusitani horum nido

Piper. rem per longum spatium in mari sentiri. SEN. Piper sequitur. BRA. In pipere etiam, quod Serapio fulfel appellat, id dicã, quod de garyophyllo aperta fronte fas-sus sum de his rebus nobis incognitis, antiquioribus cre-dendum esse: quæ ab Arabibus dicuntur, omnia à Dioſco ride deprompta sunt. Nos (ut ad sensum ueniamus) qua-tuor piperis genera habemus, longum, album, nigrum, syl uestre. Tria prima genera ex una arbore nasci Dioscori-des testatur, & ita ratio dictat: facit enim piper ueluti siliquam, quæ si colligatur, priusquam parua granula, quæ in ipsa apparent, crescant, & arescant, longũ piper appellatur: quum uero creuerint, si aliqua grana absque

mat

maturitate legantur, album piper dicitur: si enim lõgum piper fregeris, statim alba granula parua uidebis, quia immaturum est: quum uero maturitatem acquisiuerint, nigrescunt, præsertim quum ui solis exiccantur. Id autem fabulosum est, nigrum esse piper, quia igne aduratur, nã ob serpentum copiam colligi non potest, nisi prius igne fugentur, qui piperis grana nigra & rugosa efficit: sed hæc anilia fabulamenta sunt potius, quàm uera. Constat ui solis denigrari, & rugosa euadere, quæ prius uiridia erant. Venetijs piperis arbusculam uidi albæ uiti similem, quæ in sepibus nascitur. Lusitani, qui Indiæ partes lustrarunt, fatentur se multa arbuscula, non autem arbores uidisse, piper ferentia: nunquam tamen uel longum, aut album uidere contigit, sed omnia grana uiridia erant. In longo autem quod ad nos affertur, grana in similitudinem granorum milij esse constat, & ut Dioscorides inquit, albicantia: sed hanc controuersiam in aliud tempus differamus, quippe nunc Ferrariæ piperis arbusculum in fictili apud Magnificum Comitem Ioannem Romeum uiret: nec in horto Magnifici Antonij Mariæ Nigrisoli, multis herbarum generibus referto deest, quicquid ferãt hæc arbuscula: hoc autẽ altero anno uidere licebit. Adest quartum genus piperis, sed syluestre, quod piper longum esse arbitror, at ex soli & cœli uarietate degenerauit: huic ruffa grana insunt, non alba. An decipiantur qui hydropiper esse contendunt, nunc demonstrare nõ pergam. Tu tria piperis genera Venetijs emes, & radicem (si habere poteris) quæ Costo similis est, hæc enim rei medicæ proficiunt. A Germanis pfeffer communi nomine

omne genus piperis appellatur. De quo finitum esset, nisi in mentem uenisset, Magnificum Catharinum Zenum Patritium Venetum superioribus annis quũ essem Venetijs cum Illustrißimo Alphonso Ferrariæ Duce, piperis grana saccharo condita, quando recentia erant, eidem principi ostendisse: quorum unum ego comedens suauißimum condimentum esse deprehendi, & uentriculo commodum. SEN. Pruna sequuntur. BRA. Dioscorides adeò concise prunorum genera tractat, ut unum aut alterum uix describat. Plinius & Theophrastus longius: recentes nonnulli exactißime rem pertractant. Dioscorides solum Damascena prosequitur, quæ etiam nostri pharmacopolæ exiccant & seruant: apud nos degenerant: quandoque in pectoris decoctiones pruna ingrediuntur, tunc damascena intelligenda non esse arbitror, utpote acria, & adstringentia. Quam ob rem pharmacopolis suaderem uaria prunorum genera eligere, & seruare, tam domestica, quàm syluestria, & præsertim ea quæ ex Tarraconensi prouincia in Italiam delata sunt: nos ea uulgò Catalonia nuncupamus, à parte Hispaniæ Tarraconensis ita appellata, è qua ád nos uenere. Nec despicienda quæ myrobalanos uocamus: hæc alio nomine ex pingui succo à nonnullis lardaria, à lardo appellantur. Infinita propemodum alia genera habentur, nigra, alba, uersicoloria, ordeacea, cereola, purpurea. Sed tuæ officinæ satis erit quatuor tantum genera habere, damascena, myrobalana, catalonica, & syluestria, quæ uulgò brugnoli, quasi pruneola dicuntur. Galenus in damascenis prunis, miratur Dioscoridem adstringere, scriptum

Pruna.

reli

reliquisse, quum experimento uideatur ipsa soluere. Nos autem de Galeno miramur, qui non animaduerterit Dioscoridem de damascenis prunis loqui, & siccis, quæ præter id quod sicca sunt, gustum etiã acrem habent, & adstringentem: propter hoc iubeo, ut in officina sicca habeas, quæ adstringenti gustu careant, ut Catalonica sunt, quæ ex Hispania uenerunt, & ut Aëtius inquit, dulcioris succi gustãtur: quãuis ipse hiberica, id est, Hispana, absoluto uocabulo nuncupet, eadẽ tamen sunt cũ his quæ catalonica diximus, quæ eodem autore, uentrem potentius ducunt. Verum & pruni arboris fõlia seruãda, & gũmi uel lachryma quæ circa truncum scaturit, quam nos uulgò grungum appellamus. Pruna à Germanis pflaumẽ, à Gallis prunes, ab Hispanis Endrinas uocantur. SEN. Sumachi sequuntur. BRA. Latinam formam saltem imiteris, sumachia dicens, non sumachi: sed fortè melius est barbarum nomen barbaro more enuntiare. In Bononiensibus montibus magna sumachiorum copia habetur, & in istis etiam non mediocris. In Ferrariensi etiam solo transportatũ nascitur, sed ineptius & inefficacius. Ideo hoc in loco colligere opportunum erit. SEN. Non colligam priusquã mihi dixeris quo nomine ab antiquis appelletur. BRA. Racemi, aut ueluti racemi, qui ex hac arbuscula nascuntur, ab antiquis, & nostro etiam tempore pro aptandis pellibus sumebantur, sed & fõlijs hoc etiam conficiebant. In hoc genere fœmina & mas reperiuntur: mas fructificat, fœmina non, quod in alijs arboribus è contrario reperitur. Vua, id est, eius fructu ad obsonia utebantur, ut sapidiora fierent: nos sale, re

Sumachia.

pretiosiore, utimur: utebantur & ad leuigandas ac densandas pelles, ad idem nunc utimur. Apud antiquos nomen acquisiuit Rhus obsoniorum, ut Dioscorides testatur. Apud nos nihil de obsonijs, sed rhus sutorium uocamus. Vnde Rhus duo genera habet, μαγειρικὸν, quo ad obsonia utebantur: & βυρσοδεψικὸν, id est, eo quo ad densandas pelles utebantur. Vnde apud uulgus sumachios nomen acquisiuit, quia pelles nonnullæ sunt, quæ à gentibus quibusdam sumachiæ uocantur. At quia hoc Rhu aptantur, propterea Rhus ipsum, nomen hoc sumachium uel sumach acquisiuit, quamuis sint qui pelles sumath appellent, & ex consequenti Rhus sumathi nomi-

Rhus obsoniorum.

Rhus sutorium.

nare oportebit. SEN. Myrtilli occurrunt. BRA. De myrti semine, id est, myrto, genere neutro, uel fœminino (ut Catoni placet) quum herbam ipsam colligeres, pertractauimus. Hoc tantum addam, antiquos hoc semine pro pipere usos esse, & in summo honore habuisse. Nũc etiam baccharo conditur. Quod nullus ante nos (quem sciuerimus) fecit, optimum uarijs ægritudinibus condimentum, & ægris magnopere placens. Ab Hispanis mirtinhes, à Gallis mirtilles appellatur. SEN. Iuniperæ sequuntur. BRA. De iuniperi granis eodem loco docuimus, quo etiam ostẽdimus Serapionem iuniperum & sabinam confudisse. In maritimis potißimum quærenda sunt: à Gallis genesure, à Germanis VVkherderber, aut kramazber, id est, turdorum baccæ appellantur: his enim turdi pinguescent, & carnem bene olentem faciũt, ut nullo tempore ganeæ aptiores sint, quàm quum iuniperus maturum fructum habet. SEN. Caricæ postea

Myrtillus.

Iuniperus.

Carica.

acce

accedunt. BRA. Hic locus expeteret, ut de omni ficu sermo haberetur, nisi omnia breuibus transigere instituissemus, quæ apud Ferrarienses pharmacopolas in usu sunt, quanquam & hoc Venetis, Patauinis, Bononiensibus, Mediolanensibus, & cæteris totius Italiæ, ac reliqui orbis inseruiet: tamen instituimus apud nostros potius latêre, quàm ab alijs derideri. Ad rem nostram accedentes, tot ficuum species sunt, locis, colore, figura, & tempore quo maturantur, distinctæ, ut nullus sit modus. Aliàs rem probè aperiemus: ficus aridæ cuiuscunque generis sint, caricæ appellantur, ischades à Græcis: quamuis & Paulus Aegineta uocabulo carica utatur, & etiam nomine ischadum recentes intelligunt. In Picenum mittere oportet, quam Italiæ partem Marcham Anconæ uocant, ubi probatißimæ nascuntur, & ingens copia Ferrariam adducitur, quæ pediculis oblongis cannis infiguntur, & parte extrema. Liuianæ dicuntur à Liuia Pompeia. Ex ficubus, caricas in officina habeas pingues, & agrestes ficus, qui caprifici nuncupantur, & caprificorum summos caules, atque ipsorum lac serua. Optimas caricas ex Piceno Ferrariæ habebis. In parietibus etiam pluribus caprifici innascuntur. A Gallis figues, ab Hispanis figes, à Germanis feigen nuncupantur. SEN. Passulæ accedunt. BRA. Vuæ passæ dicuntur quæcunq; uuæ exiccatæ, à patiendo, ut Plinius 13. libro, capite primo docet. Columella rationem præparandi ut passæ fiant scriptis tradidit: quamuis Græci alio modo utantur, quia eas sinunt exiccari in uite, postea loculis stringunt: hæc autẽ nihil ad rem. Vsu uenit apud nos, ut tãtum passam uuam Vuæ passæ.

uel passulas appellemus, quæ ex Græcia afferuntur grana parua, quæ tamen & nunc Ferrariæ nascuntur. Magna autem grana, uel ex nomine uuæ, ut Illirica, Zibiba. Vel simpliciter siccam uuam appellamus, & hoc non immeritò, quia uua habens granula parua, acinis caret, ideo aptius ea utimur, cum in uinarijs, tum in re medica. Cœpit autem haberi & Ferrariæ, sed non adeò efficax, nec tali gustu, quali orientalis insignitur. Nostra autem lingua passa dicitur, quia quum reponitur, nec penitus sicca est, nec recens, sed flaccida, ex qua fit uinum passum, quod & si multiplex genus sit, & à maiori uua fiat, tamen pro ipso uocatam maluasiam, quasi monembasiam à loco accipimus. Creticum uinum etiam per excellentiam nuncupatum. In tua officina albas & nigras passulas habeas: quippe ad diuersa ualent, Dioscoride teste. Nec passum uinum prætermittas, de quo in nostro de uinis libro egimus. Venetijs hanc uuam emes, quæ illuc ex Græcia importatur: unde à Gallis uua Corinthiaca appellatur. Inquiunt enim suo idiomate resins da Corinth. Ab Hispanis passas, à Germanis rosien dicuntur.

Lingua passa.

Iuiuba.

SEN. Iuiubæ occurrunt. BRA. Zizipha à Latinis appellantur, quæ potius baccæ uidentur, quàm poma: licet autores inter poma numerent. Peregrina arbor, de qua nusquam Dioscorides: Galenus tamen, Aëtius, Paulus, Plinius eam cognouere. Duo genera reperiuntur, candidum, & uocatum sericum à colore, ruffum enim est: ruffum tantum habemus, candidum nunquam uidi. Ab antiquioribus tuberes, prima syllaba correpta dici uidentur, è Syria in Italiam Augusti temporibus delatum.

Aëtius

Aëtius & Paulus, ædesina cæteris præferunt. Sunt autem ædesina maiora, à recentioribus medicis pro tussi exhibentur, in decoctis pro pectore: hoc à Galeno uitio uertitur, utpote quæ potius incrassent, quàm attenuent. Eo igitur ziziphis utemur, quum crassa materia reddenda erit, sed medici passim pro attenuanda materia ziziphis utuntur, & hoc ab ignaris receptum est, ut nulla sit pro Thorace decoctio quin zizipha sumat. Optimus seruandi modus est si acu perforentur, & lineæ insuantur, ut mulierum indices imitari uideantur, quibus numeratas preculas singulis diebus Deo pendunt. Ferraria hi fructus copiose nascuntur, sed serotini sunt. Eius semen lapides frangere dicitur, & è renibus quàm citò expellit. Pellem maxime inhærentem habent, ut si quis zizipha comederit, à palato auellere non possit. Ab Hispanis macans, à Lusitanis danasega, à Gallis iuiubes appellantur. SEN. Oliuæ sequuntur. BRA. Longiori historia oliuæ percurrendæ essent, quàm nostra hæc pertractatio exigere uideatur, nisi esset notissimus fructus. Interim tu in Mutinensibus ac Regiensibus montibus, ex syluestri olea, id est, oleastro, folia, & foliorum succum parabis. Fit autem hoc modo succus, ut Dioscorides tradit: Tonduntur folia, & uino aut cœlesti aqua asperguntur, postea exprimuntur, & siccatus in sole siccus in pastillos conformatur. Quod uero in oliuarum ligno ex incenso exudat liquor, & ipse seruandus, seruandæ & uirides oliuæ, & nigræ, & per se, id est, sine condimento exiccatæ, & cum muria, quæ à Græcis colymbades appellantur, quasi muriæ

Zizipha ædesina.

Oliua.

innatantes, uel halmades à sale. Seruandæ sunt & sansæ, id est, nuclei medij, quoniam rei medicæ proficiunt. SEN. Id agam, de oleo autem nihil dictum est. BRA. Nunc quæ olea seruanda sint edocebimus. Ex immaturis oliuis oleum seruare oportet, & hoc ex domesticis, & syluestribus seorsum, si haberi poterit, & ex maturis. Primum, omphacium dicunt. Nec primæ expressionis oleum deseras, ad odorata olea præparanda, quæ herbarum ac florum odorem seruet. Ex olea Aethiopica lachryma emanat, quam Dioscorides summè commendat. Iudicatum est esse gummi helemi, de hac re incertus sum. A Gallis oliues, ab Hispanis azeitunas oliuæ nuncupantur.

Dactylus. In Germania non sunt. SEN. Dactyli sequuntur. BRA. Palmulæ appellantur, & cariotæ palmulæ. Babylonæ uina fiunt ex palmulis, quæ in toto oriente præcipua existimantur. Cibus etiam sunt palmulæ, & ex ipsis acetum ac mel fiunt, & farina. Nucleis pro carbonibus utuntur, & aqua macerati equis pabulum præstant. Nucleorum tegumenta ad unguenta præparant. Nos dactylos uocamus, quum una sit sola species dactylus appellata. Apud antiquos tres species reperiuntur, de quibus aliàs ex instituto differemus, fructus è palma est. Venetijs ex Aegypto habetur: ibi emes, quanquam & in Italia palma, regno Neapolitano nascatur. Vidimus nos Sauonæ palmam post Episcopij testudinem. Fabulosum arbitror palmæ lignum contra pondera inniti ac recuruari, experientia etiam debile lignum esse demonstrante. Nucleorum cinerem combustorum etiam seruabis. Nec cortex prætermittendus, qui elates dicitur: est autem

palmu

palmularũ operimentum, quamuis in hoc dißideant interpretes, quippe Dioſcorides corticem putat. Plinius autem libro 23. capite ſexto, elatem uel ſpathen priuatim genus palmæ cenſet, cuius fructus inuolucrum ſit. Vnde uel deceptus eſt Plinius ſi de elate Dioſcoridis loquatur, ut eædem uires, quas illi imponunt, inſinuare uidentur, aut rem diuerſam tractat Plinius. Re uera palmulas cortici inuoluto implicatas uidimus, & extra corticem, & diuerſarum ſpecierum eſſe ex figura uidebatur. Quandoque fructum illum quem muſam uocamus, Plinij elatem eſſe opinabar. Sed Venetijs muſæ Illuſtrißimo principi ALPHONSO Duci Ferrariæ in ſimilitudinẽ prunorum craſſorum præſentatæ ſunt. Arbitror Venetos, & qui ex illis partibus ad nos accedunt, uocabulum corrumpere, & non muſas appellandos hos fructus, ſed muzas: nam eorum lingua, muza, mite ſignificat: ſunt autem dulciſſimi fructus, ut mihi tunc guſtare licuit: imò Muza eſt Mauritanum nomen, quamuis & qui ex Arabia ſunt eo utantur. Dactyli à Gallis dantes, ab Hiſpanis tamaras, à Germanis datel appellantur. SEN. Ad poma ueniendum. BRA. Antiquitas hoc nomine pomum uel mâlum omnes fructus, præſertim tenellum corticem habentes, ſignificabat. Paulatim ceßit, ut in rotundis tantũ, & ſpecie quadam determinata uteremur. Dic tu quibus pomis in officinis utimini? SEN. Dulcibus, acribus, & muzis, id eſt (ut Auicennæ placet) ſaporem nec dulcem nec acerbũ habentibus. BRA. Quibus nominibus à Ferrarienſibus appellantur poma, quæ in ſyrupis de pomis accipitis? SEN. Roſa, & piola dulcia ſunt, fortana, mu

Elate Spathe

Poma.

ſona acerba: media uero pupina nuncupantur. BRA. Quæ roſa dicuntur, apud antiquos fortè erãt melimela, à meleo ſapore, à Varrone muſtea uocata. Piola uero, quæ appia ab Appio nuncupabantur. Pupina, afrotomela fortè erant: Fortana, auſtera dicebantur, & muſona à nobis dicuntur: quamuis crediderim potius orthomaſticas muſonas nostras ab antiquioribus dici, ob ſimilitudinẽ quam cum mammis habent prædicta melius conſiderans. In pomis roſis ſententiam mutaui, ea enim eſſe arbitror, quæ ab antiquis Claudiana uocabantur: & piola ſceptiana, quæ ſunt rotunditate inſignia. Verùm hæc diſcrimina ad artem medicam modicè ualent. Quum in deſcriptionibus quæ receptæ nuncupantur, poma ſcripta ſunt, ſaporem aduertas, et guſtu ſimilia quæras: nam in receptis dicitur poma dulcia odorata, auſtera odorata, (quamuis raro auſtera ſint & odorata ſimul) medij ſaporis: tunc guſtu diſcerne, an hoc ſapore inſigniãtur quæ emeris, & ad cõpoſitionem utaris. Ex mâlis fõlia etiam in officina habeto, flores, & coliculos. In pomorum hiſtoria, omnia antiqua nomina recentibus accommodare (ut fieri poterit) tentabimus. Germani abſoluto uocabulo apfel poma uocant. SEN. Nec Cotonea deſerenda. BRA. Cotonea in duplici genere ſunt. Magna quædam & pulchra, ab antiquis ſtruthea uocata, interq; albicãt aliqua, alia colore aureo micant, & Chryſomela dicuntur. De quibus fortè Virgilius, Aurea mala decem miſi, cras altera mittam. Quum ſtruthea degenerant, in parua ſyluestria, odorata tamen tranſeunt: hoc Theophraſtus ſecundo de plantarum hiſtoria animaduertit, & nos experiẽtia uidimus

Cotonea.

in ruſcu

in ruſculo noſtro. Inquit autem Theophraſtus, ex ſtrutheo, id eſt, maiore cotoneo, paruum fieri. ſtruthea ſerotina, muſtea præcocia. Ruſtici Ferrarienſes in duo genera partiuntur, in rotundum, & oblongum: rotundum mala cotonea, oblongum pira cotonea nuncupantes. Tu quũ Ferrariæ eris, priuatim mâla cotonea, & pira ſeruabis, & harum arborũ fŏlia. Struthea minus rei medicæ proficiũt, ſed magis in ganea. Vera cotonea quæ parua ſunt, rotunda, odoratiſsima, efficacius ad ægritudines ualere exiſtimantur. Vinum etiam ex cotoneis parabis, quod recipit ſucci cotoneorum ſextaria ſexdecim, mellis unum. Nec melinum unguentum prætermittes. Denique compoſitiones illas, antiquis tamẽ ignotas, quas citonites, & gelatines appellamus, ſummo ſtudio parare curabis. Cotonea à nonnullis ita dici exiſtimantur, quoniã lana quadam tegi uidentur, quæ coton dicitur. Reuerendiſsimus unà & doctiſsimus Cælius Calcagninus, præceptor in literis humanis nunquã pœnitendus, cydonia ab urbe Cretæ uocat. Semẽ quoque ne deſpexeris, & muccilaginem, quæ inter grana reperitur: hoc enim pro gummi mulieres utuntur, his demptis ad quæ in re medica ualent, imò & lucem quandam, ac ſplendorem ſibi parant eædem impudicæ mulieres. A Germanis cotonea quiten, à Gallis Coing, ab Hiſpanis Membrilles appellantur. SEN. Pira ſequuntur. BRA. Infinitæ ſunt propemodũ pirorum ſpecies, de quibus ita aliàs agemus, ut nomina antiqua recentibus accommodare deprehendatis, in his ubi accommodari poſsibile erit. Conſtat enim per uariam inſitionem plura pirorum genera apud nos extare, quam Pira.

ab antiquis tradantur: longus enim rerum usus, & uaria diuersarum specierum miscella, uarias species inuenit, & adeò creuit ars, ut audeat etiam diuersorũ generum insitionem tentare, quo gustus alter fructui condonetur. Nunc ad rem tuam redeuntes, pira crustumina seruato, quæ à nobis giaciola uocantur, & etiam syluestria illa obdura, quæ non nisi hyeme matureſcunt. Serua etiam fo lia, & ex ligno puluerẽ, nec alias urbes quæras, aut aliud solum, in quo poma, pira, atque cotonea colligas, quàm nostrum Ferrariense, in quo hæc copiosè nascuntur. A Gallis poyres, ab Hispanis peas, à Germanis pirn pira nuncupantur. Nunc etiam multa ex piris condîta fiunt antiquioribus ignota, & præsertim ex superbis piris, quæ nos muscardina ab odore muscati, quem habent uocamus. SEN. Sorba accedunt. BRA. Notißima hæc sunt, à Theophrasto & Plinio diffuse perlustrata, οὖα à Græcis dicta. Aliqua oui figuram, alia rotundam habent: aliqua etiam domestica est, alia syluestris: tu domesticam seorsum, ac satiuam colliges, & ex utrisq; acerba, & matura seruabis: præterea acerba mole, & in farinã redigas. Receptum est absolute sorba adstringere, quod in maturis falsum est: nam matura uentrem laxant, acerba adstringunt, uel non perfecte matura. Hispani soruas, Galli cormes appellant. An uero apud Germanos holcza pfel dicantur, disputare non ausim, præsertim in aliena lingua: tamen si fructum uideamus, quod eo nomine uocant, potius syluestre pomum uidetur, quàm sorbum: at speciliug sorbum uocare certum est. SEN. Granata mâla sequuntur. BRA. A granis ita dicta: Punica à re-

Sorba.

Mala granata.

gione

gione qua naſcuntur. Græci ξορὰ uocant, de quibus in Balauſtio egimus. Nam dulcia & acria, et malicorium, & cytinum, & cicum, & grana, & folia ſeruare oportet: habet enim in re medica uires, in tot partibus efficaciſſimas. SEN. Nuces cupreſſi in limen ueniunt. BRA. Notiſſimæ ſunt: tu in his montibus pilulas, id eſt, nuces, & ſemina (quæ difficulter colliguntur) & folia ſeruato, quanquam opus non ſit, quum in multis locis Ferrariæ perpetua fronde uireant. Ab Hiſpanis præſertim ex Luſitania noz de cipreſſo, à Gallis ſouchet dicuntur. Germani quoq; cypariſſum cipreſz uocant. SEN. Nux methel & nux uomica ſequuntur. BRA. Hos duos fructus, uel duo ſemina ſint, nunquam apud antiquos aut recentes Græcos reperi: ideo Arabibus gratiæ agendæ, qui hæc ſcriptis mandarunt, & nobis indicarunt. Illos autem uehementer reprehendo, qui inclamare ſolent Arabibus derogantes, pulchram rem oſtendunt, nam uenenum manifeſtāt. Sed ô fatui, et ineptiſſimi uiri, non ne & Dioſcorides napellum, mel inſanum, ſtrichnon maniacum deſcripſit, & infinita alia his magis uenenoſa? Sed hæ Arabū nuces pro conciliando ſomno, pro uomitu irritando, pro capiendis piſcibus & auibus, pro interficiendis canibus, ſummè ualēt. Vidi ego Magnificū Alexandrū Farufinū, qui carnes, nucis uomicæ puluere aſperſas cani deuorādas tradidit, hic ſpatio unius horæ, & minori ſaliens obijt. Corui etiam eiuſmodi carnem comedentes, per breue ſpatium uolantes decidunt, piſces etiam adeò ſopiuntur ut fluitent ſupra aquas, manuq; capiantur. Nos etiam miras potiones ſomnificas ex his nucibus parauimus. Decipitur

Nux cupreſſi.

Nux methel, & nux uomica.

Pandectarius, uomicam nucem esse apud Dioscoridem secundam speciem tithymali tradens, quam Cariseti (ut inquit ipse) uocat: debuit autem scribere Carietem. Hanc uero non esse id testimoniũ esse potest, quia in tithymalo rami semipedales à radice exeunt, sed nux uomica frutex est: nam Serapionis interpres, quum debuit interpretari frutex, fructus interpretatus est: inquit enim Serapio, fruticem nucis methel esse similem frutici nucis uomicæ: de fructu autem non loquitur, quia hi distincti sunt. SEN. Nondum quid sint aperuisti. BRA. Ingenuè fãteor, usque ad hoc tẽpus à me nos frutices ignorari, breui autẽ plantas uidere spero, quas nec Arabes pingũt, tantũ à Serapione in uomica nuce hæc dicuntur. Colorem eius esse inter glaucedinem, & albedinem, & paulò maiorem auellana esse (loquitur autem de auellanis suæ patriæ) & sunt in ea nodi. Ex his notis nucem uomicam exquisitè cognoscimus, nam ea uerè est, quam habemus, & Venetias Alexandria Aegypti affertur. At figuram arbusculæ eam generantis non docet, nec folia. Vnde si hanc arbusculam, absque seminibus uiderem, an ea esset quæ nuces uomicas parit, ignorarem. De nuce methel nihil aliud dicit, quàm fruticem esse nuci uomicæ similem, & semen esse semini citri simile: quo in loco errorẽ esse arbitror, ut semẽ citri legi nõ debeat. Alter autor nucem methel mandragoræ comparat, & corticẽ asperũ habet, & sapor eius est delectabilis, unctuosus: hæc signa sunt quibus Arabes hæc indicãt, quæ omnino nihil ostẽdũt. Quã ob rem hanc nucẽ usu potius & experiẽtia cognosco, q̃ uera aliqua descriptione. Certe autẽ constat hæc semina

à Lati

à Latinis aut Græcis nunquã fuisse descripta. SEN. Mirabulani sequũtur. BRA. Myrobalani dicito, à balano, & myron, id est, glãde odorata uel unguentaria. Antiquioribus ad unguẽ perlectis, constat de uocatis ab Arabibus myrobalanis, nunquã loquutos esse, tamẽ hoc nomine myrobalanus utuntur. Dioscorides in primis ubi de palma tractat, myrobalanorũ, et phœnicomyrobalanorũ meminit, qui palmæ fructus sunt. Phœnicobalanus immaturus adstringit magis, minus uero maturus. Plin. quoq; lib. 12. cap. 22. myrobalani & phœnicobalani recordatur, esse fructũ cuiusdã palmæ in Aegypto, quæ ad ipsos uocatur quasi sine siti: hãc Dioscorides poma, id est, poculũ uocauit, nẽpe humore plurimo abũdat. Hæc sunt quæ apud antiquos de myrobalanis reperiũtur, quãuis & Plin. eodẽ loco fecẽ unguẽti myrobalanũ appellari fateatur. Quod autẽ antiquorũ myrobalani nostri nũc uocati esse nõ possint, ex hoc apparet, quoniã antiquorũ myrobalanus osse carebat, ut Plin. testatur, sed nostrũ hoc uulgare habet. Altera quoque res apud antiquos est glans Aegyptiaca, myrobalanũ, aut myrepsicembalanũ appellatum, ex qua balaninum unguentum fit: fructum esse Dioscorides inquit libro quarto ex arbore myricæ simili nuci auellanæ, quam ponticam dicunt æqualem. Theophrastus quarto de plantarum historia, myrto comparat, Plinius heliotropio. Corticẽ huius glandis unguentarij premunt, odoris gratia. Quicquid tamen sit, constat Arabum myrobalanos hos non esse, nec ab antiquioribus usquam describi. Pandectarius miro errore ducitur, qui arbitratur Pliniũ grana been myrobalanos putasse: quum nusquam de

Myrobalanus.

Been loquutus sit Plinius, nec Græcum aut Latinum nomẽ sit been. Ipse autẽ adeò id Plinio attribuit, ac si de eo sub hoc nomine been loquatur. Non erat autem opus myrobalanos eos fructus quos habemus appellare, sed Arabum interpres fuit, qui ubi halilig habent, ipse myrobalanus interpretatus est, ut inde multi decepti sint antiquorum myrobalanos halilig esse putantes. Nos autem hos Arabum myrobalanos in prunorum aut pomorum genere ponẽdos arbitramur. In uarijs ægritudinibus efficaciſsimi sunt, pro his Arabibus debemus, qui nobis hos optimos fructus tradiderunt, & eorum uires edocuerunt. Quinque eius species nouisti citrinos, belitricos, chebulos, emblicos, indos. Venetijs emes, quoniam Alexandria Aegypti Venetias feruntur. SEN. Ego uno carmine omnes comprehendo. BRA. Tuum hoc carmen ediſſeras. SEN. En,

Myrobalanorum species sunt quinque bonorum:
Citrinus, Chebulus, Belitricus, Emblicus, Indus.

BRA. Pulchrum certe est, sed tu memoria serua, mihi satis est absque carmine recordari: in summa apud antiquos non sunt hi myrobalani. Vnum tamen est in quo admiratus sum Excellentiſsimum Manardum in myrobalanis, quia non habeat, in quo Mesuem reprehenderet, nam ab antiquis non tractantur, ut saltem uellicaret, inquit: Bene sunt examinãda quæ de uiribus myrobalanorum à Mesue dicuntur, quoniam nullum habuit quem sequeretur bonũ autorẽ. Acsi Serapio in rebus Arabicis ineptus sit autor, & cæteri Arabes quos imitatur, & Auicenna, & ipsemet Mesue, quos summos medicos fuisse nemo dubitat,

dubitat. Adde quòd hæc domi habebant. A Gallis mirabolans, ab Hiſpanis mirabelanes dicuntur. SEN. Nux moſchata ſequitur. BRA. A miro odore quẽ habet, nux moſchata uocatur. Apud antiquos, ut Dioſcoridem & Theophraſtum, nihil de ea reperitur. Poſteriores autem caryon myriſticon, id eſt, nux myriſtica appellant, & ita in Latinum ceſſit, ut hoc nomine diceretur. Ex hac fieri macim certum eſt: pretioſiſſimus fructus eſt cũ odore, tum proprietatibus, quibus in re medica ualet. Luſitani, qui Indiæ partes luſtrarunt myriſticarum nucum ſyluas inuenere. Hiq; decepti ſunt, qui glandem unguentariam eſſe putarunt, de qua in 4. libro Dioſcorides, & nos ſuprà nonnihil, & infrà magis. Venetijs emes, quoniam ex India Alexandriam, Alexandria Venetias feruntur. Nũc ex re medica tranſiuit in ganeam, ut paucißima ſint pultaria, quæ nux myriſtica non ingrediatur. A Germanis moſcht ſimpliciter, & cũ addutione nus, moſcht nus profertur. A Gallis nois muſcades, ab Hiſpanis noiem moſcada. SE. Tamar Indi ſequuntur. BRA. Quis etiã nõ amabit Arabes in tamar Indis? id eſt, in dactylis Indiæ, quorũ nulla eſt apud Græcos mentio, ut etiã Auerrois teſtatur, ſoli Arabes hos fructus nobis tradidere, & eius uires. Errant qui Dioſcoridis & Plinij myrobalanum eſſe ſuſpicantur, & qui prima facie non uidit myrobalanum antiquorum oſſe, id eſt, nucleo & ſemine carere, tamar Indũ uero nucleum habere. Hoc loco uideo excellentiß. Manardum ſine ratione Meſuem reprehẽdere. Inquit enim: Tamar Indus ſit phœnicobalanũ Dioſcoridis, Meſue dicit ſoluere, quod Dioſcorides adſtringere fatebatur. At

Nux moſchata.

Tamar Indus.

diuersa sunt, ut liquidò patet, nec opus erat cauillari in Mesuem, ut Manardus facit: nam Mesue in 2. frigidũ & siccum, Auerrois in 3. indicat: quoniam aliqui Mesue codices in 3. legunt, & id ex eo credi potest Mesuem sensisse, quia Serapionem & Auicennam imitatur, qui in 3. gradu ponunt. Erat igitur potius excusandus Mesue, quàm absq; certa oratione damnandus. Tu Venetijs Tamar Indos emes. Rectius Hermolaus in Corollario sensit ubi de cariota, quippe inquit recentiores id uoluisse, scilicet palmulas illas Tamar Indos esse: ipse uero inficiatur. Ab Hispanis eodem nomine, à Gallis Tamarins uocantur. SEN. Caßia fistula sequitur. ERA. Vel duplici ſſ, caßia scripseris, ut Græci faciunt, uel uno tantum, nihil refert, modo rem ipsam assequi contingat. Quum apud antiquos caßiam syringa, id est, fistulam inuenies, semper opus est nostrum cinnamomum intelligere, quia uerum antiquorum cinnamomum non habemus, ut suo loco uidere licebit. Quod autem nunc cinnamomũ uocamus, uel canella, est antiquorum caßia syrinx, tum Græcorũ, tum Latinorum, & ab Arabibus selicha uel selch (ut apud Serapionem uidere est) appellatur. Eius interpres Caßiam ligneam exponit. Ideo quum apud recentes caßia lignea dicitur, canella intelligitur: quum uero apud eosdẽ caßia fistula scriptum est, caßia illa, quæ uulgò habetur, & caßia nuncupatur, ac educit, ut hinc uideas à recentibus nomina confundi, primo canellam, cinnamomum, & caßiam ligneam appellant, licet pro caßia lignea, insipidæ & inodoræ canellæ nunc frusta ostẽdant. Deinde caßiam quæ educit, caßiam fistulam uocant. Primus

Cassia fistula.

Cassia syrinx.

Cassia lignea.

mus qui hunc errorem fecit, fuit Serapionis & aliorum Arabum interpres, qui ubi dicunt hiarſamber, caßia fiſtula interpretatus est: quum debuiſſet interpretari cheratte longa. Vbi autem Serapio ſelicha, uel ſelche dicit, caßia lignea interpretatur: quum abſolute caßia interpretari debuiſſet, aut cum hac additione ſyringa, id est, fiſtula: nam proprie apud antiquos caßia fiſtula ea est, quam nos canellam uocamus, quia uti canna inanis ſit. Hinc recentiorum ingens error detegitur, qui in ſuis receptulis ad prouocanda menſtrua, in quibus ſcriptū est caßia, ipſi corticem caßiæ noſtræ uſualis ſumunt quæ cheratte longa est, uel (ſi Latinè magis loqui uelimus) oblonga ſiliqua. Quum tamen antiquiores à quibus receptulas ſumunt, per caßiam, noſtrū uocatum cinnamomū, id est, canellam intelligant: non autē uerum cinnamomū, eo enim caremus. Ad rem igitur accedentes noſtra hæc caßia apud antiquos ignota erat: nullus enim reperitur ex antiquioribus qui eam uel à longe deſcribat aut nutibus oſtendat. Ideo plurimum in hoc pretioſo fructu Arabibus debemus. Optime in Dioſcoridis caßia ab Hermolao, hæc Arabum deſcribitur. Quū adhuc recēs est, ſimul cum cortice conditur, & ſoluit, non tamen plenius, quàm quod florem caßiæ appellamus, nec grana melius ſoluūt, ut falsò putat Manardus, imò quandoque nihil penitus ſoluere uidimus: tamen is qui ſumpſerat decem drachmas eorum pulueris melle mixtas comederat, id enim data opera experti ſumus, quod ter aut quater in diuerſis fecimus: unus ſolui uiſus est, ſed id potius ex flore admixto factum arbitramur. Caßiæ arborem Murani ui-

dimus, nihil autem pariebat, fŏlia iuglandis habebat. Venetijs emere poteris. In India & Aegypto naſcitur, arbores proceræ ſunt: prope Damaſcum ingens copia reperitur, ſpecies ſiliquarum apparet, & Arabum nomen, ſiliquam indicare uidetur. Ideo quemadmodum à nobis uocatam charattam, ſiliquă appellamus, placeret ut caßia, oblonga ſiliqua Latinè, uulgò autem charratta longa diceretur. Hiſpani cannam fiſtulam, Galli caſſe fiſtule appellant. SEN. Cubebe caßiam ſequitur. BRA. Plures decepti ſunt cubebe, grana uiticis arbitrantes: cauſa autẽ erroris fuit, quia una cubebe ſpecies, ſaporẽ piperis habet, uiticis autem ſemina eodem ſapore inſigniri Dioſcorides teſtatur. Re autem conſiderata, uitex arbor eſt ueluti ſalix, imò à Theophraſto ſalix amerina appellari uidetur: Cubebe autem frutex eſt myrti fŏlia habens, latiora tantum, & in ſummo acuta ueluti lanceæ. Pãdectarius à Galeno Caucalim appellari cenſet. Ideo conſiderans (ut inquit ipſe) Galenum & Dioſcoridem, aliter dicere nõ potuit, quàm cubebe Galeni, Dioſcoridis oxymyrſinẽ eſſe. huius autem ratio eſt, quia Dioſcorides nihil de cubebe, Galenus uero nihil de oxymyrſine tractat. Sed lõgius hic uir aberrat, quoniã de caucali, quã uult eſſe cubebe apud Galenum, Dioſcorides ſecũdo libro tractat. Nec quicquã refert, etſi Galenus oxymyrſinem omiſerit, quandoquidẽ à pluribus alijs etiam abſtinuerit. Eſt autem caucalis genus ſyluestris dauci: ſed Pandectarium errare fecit Serapio, qui caput cubebarum Galeni, cum capite myrti agreſtis Dioſcoridis comparauit. At eo deceptus eſt Pãdectarius, quia apud Galenum caucalim eſſe uoluit: Serapio

Cubebe.

autem

autem apud Galenum carpesium esse fatetur. Galenus enim de Carpesio, & nõ de myrto syluestri: de myrto autem syluestri Dioscorides, & non de Carpesio tractat. Quod uero Serapio per cubebas apud Galenum, Galeni Carpesium intellexerit, ex eo certũ est, quia sub hoc nomine cubebe, eadem scribit, quæ sub hoc uocabulo carpesium, à Galeno scripta sunt, uidelicet habere uirtutẽ phu, non solum gustu, sed & uiribus, & quòd urinam prouocat, & totius corporis obstructiones aperit. Quã ob rem Serapio myrtum syluestrẽ Dioscoridis cubebas esse, magno ægrorum discrimine arbitratur, quippe qui rem pro re tribuat. Constat autem cubebe & myrtum syluestrem diuersa esse, quoniam cubebe odoratæ sunt, myrti syluestris granum inodorum: cubebe in medio granum nõ habent, at myrtus syluestris habet & dulcißimum. Quam ob rem myrtus syluestris non erit cubebe, id est, id quo uos pro cubebe utimini. Vnde ad exquisitam harum rerum cognitionem, scito, nostrum uulgare cubebe nõ esse cubebe Serapionis, quoniam Serapionis cubebe est myrtus syluestris Dioscoridis. Adde carpesium Galeni non esse myrtum syluestrem Dioscoridis, quoniam diuersis uiribus insigniuntur, quamuis Serapio idem faciat carpesiũ apud Galenum, & oxymyrsinem apud Dioscoridem, sed re uera deceptus. Verum quid sit Galeni carpesium, adhuc incompertum habeo, nam ipse non describit, quanquam in libro de Antidotis festucas quasdam esse fatetur. Fortè dices esse nostrum cubebe, quod fieri non potest, si festucæ siut. Serapio igitur cubebe, myrtum syluestrem, & carpesium idem esse arbitratur. Constat autem

myrtum ſyluestrem nostrum cubebe non esse, tum propter dicta, tum propter granum, quod in myrto agresti triangulatum esse dicit, in cubebe uero nullum. At carpesium Galeni in dubio est an sit nostrum cubebe: non esse autem illud monstrat, quia apud Galenum festucæ sunt phu similes, ut in Rusco infrà admonebimus. Deniq; ut huic rei metam condonemus, cubebe, quo utimur, apud Dioscoridem, aut Galenum inuenire nesciuimus. Ab omnibus ferè gētibus simili nomine appellatur, at in re ipsa dissentiunt: quippe Galli cubebes, Hispani cubreas, Germani cubeb uocant. SEN. Sebestem occurrit. BRA. Nusquam apud Dioscoridem Sebestem reperire contingit, nisi in genere prunorum contineri uideatur, est enim pruni simile. Tamen apud posteriores Græcos sub hoc uocabulo myxa, & non sub uocabulo sebestem, reperitur. Græci enim myxam appellant mucilaginē. Vnde & Galenus saliuam illam conchilium, quæ emanat dum actu punguntur, myxam uocari tradit: est autem mucor quidam, uel lentus mucor: eodem pacto in sebestem, quæ myxa uocatur, mucosus lentor inuenitur, ex quo in Syria uiscum parant: Myxas enim, id est, sebestem exprimentes, internus mucor exprimitur, qui in uiscum ducitur. Apud Athenienses autem μύξα κόγυζα, id est, destillatio est, ut Iulius Pollux libro primo sui Onomastici tradit. Dicitur autē sebestem, Hermolao in Corollario teste, ubi de uisco loquitur, ob honorem Augusti, unde sebastos uocatur: quod an uerum sit, tu ipse iudica, nobis apud aliquē autorem hoc legere non licuit, unde apud antiquos sebestem incomperta uidentur. Propterea Arabibus gratias

3 Sebestem.

agere

agere debemus, qui adeò probos fructus ad extinguendã sitim, & bilem reprimendam nobis indicarunt. Venetijs emes, quoniam è Syria & tota Iudæa Alexandriam, Alexandria Venetias afferuntur. A Gallis etiam sebeste uocantur. SEN. Coloquintida sequitur. BRA. Colocynthis ab antiquis, à Romanis Cucurbita syluestris appellatur: quamuis & hoc nomine colocynthis, cucurbitã esculentam antiquiores intelligãt. Apud nos etiam nascitur, sed inefficacior, quanquam & nostra soluat, hoc autem ægre fit. Melius est Venetijs emere, quum ea efficacior sit, quæ ex orientalibus partibus, utpote calidioribus inuehitur. Notissima est apud omnes colocynthis, & peculiare antiquorum pharmacum. Colocynthis malæ indicia à Mesue scribuntur. Si in solo forti nascatur, in pulueru lento, & ubi sunt reptilia, uel in locis thermarum, mala est: & addit alia, quibus ab excellentiß. Manardo reprehẽditur, ita argutãte: Si hæc uera sunt, nũquã erit tutus colocynthidis usus, nõ enim scire possumus quo solo genita, nec an uia in una plãta, uel in una regione unica planta. Sed frigidè arguit, etenim in omne aliud, determinato loco nascens argumentum reflectere possumus, ignorari à nobis an eo loco ortum duxerit, præsertim si à nostra patria distet, ideo non esse tutum eius usum. Tamen quantum in me sit, consulerem, ne quispiam colocynthide uteretur, quamuis antiquissimi Græci ea usi sint: est enim res adeò uiolẽta ut magis turbet quàm prosit. Nõ desunt alia ad eius usum multo mitiora. Hoc mihi usu uenit, dictu mirũ, colocynthidẽ tractabã, & manibus solum aperiebam, sorore & matre præsentibus: ego ex Coloquintida.

solo tactu, illæ ex odore adeò soluti sumus, ut nullus nostrum fuerit, cui uenter decies magna perturbatione non eduxerit: ex hoc uehementissimum pharmacum esse constat. SEN. *Nos id quotidie experimur, quum pinsitur.* BRA. *Mesue præterea colocynthidem descẽsui aquæ ad oculum ualere tradit: quem Manardus reprehendit. Paulus dicit ualere diuturnis oculorum fluctionibus, ac si Mesue in re tam uera uerum non dixerit. Sed hæc omittamus, ne in rebus adeò puerilibus tempus conteratur. A Gallis etiam coloquintes, & à Germanis Latino nomine*

Pistacea. *appellatur.* SEN. *Pistacea accedunt.* BRA. *Plinius qui hanc nucem (etenim in nucis genere poni debet) in Italiam portauit, Lucius Vitellius censor fuit. Nos Venetijs in ædibus magnificorum Patritiorum Petri ac Francisci de Moresinis, quas Murani habent, uidimus. Illuc me duxit Reuerendissimus Præsul Hieronymus Moresinus, uir ingenti probitate insignis. In Syria propriè nascuntur, & ex Syria recentes surculos prædicti nobiles afferri curarunt. Alexandriam feruntur, deinde Venetias: quãuis & recto cursu, è Syria Venetias quandoque nauigent. Venetijs, & pistacia emas, & supremum illud uiride corium, quo integuntur, habere curabis: non intelligo lignosum nuclei operimentum, sed tenellum putamen supremum, quod lignosum integit: hoc enim in re medica plurimum ualet, ut Paulus testatur. Quin & apud Alexandriam Aegypti nascuntur. Notissima sunt pistacia, quorum apud nos maximus est in re uenerea usus. Antiquitus plures decepti sunt, terebinthi fructum esse arbitrantes, ut Athenæus inquit. In ma-*

rem & fœminam distinguunt : marem id appellant quod sub tenello corio , tanquam osseos testiculos habet: nam illa pars infima, utrinque tuberosa, duos testiculos representat . Venetijs etiam parit & maturat.

SEN. Anacardus sequitur. BRA. Anacardum apud Dioscoridem aut alterum Græcum nunquam inueni: tamen Græco nomine insignitur, & à corde nomen sumpsit, cuius figuram imitatur. Arabibus etiam pro hoc semine debemus . In montibus Siciliæ nascitur , & copiose in Apulia. Balaclor ab Arabibus nominatur: hunc facillime habebis quum in Apuliam pro oleo mittes. Anacardus.

SEN. Nux indica offertur. BRA. Et hoc est Arabum munus , qui hanc nucem Græcis incognitam nobis aperuere: nisi ea sit , quam Galenus nucem regiam uocat. Serapio fructum ex quodam genere palmæ arbitratur . Venetijs habetur ex orientalibus partibus allata. Eius oleum butyro etiam bonitate præferri dicunt. Nos ut plurimum in re uenerea utimur , quoniam ab Auicenna semen augere dictum sit. Genuæ magis recentes habentur, quæ in Hispaniam ex Lusitana nauigatione feruntur, & ex Hispania Genuam. Ab Hispanis coco dicitur: hinc fortè nostri pueri quum nucibus ludunt, tribus subpositis & superaddita quarta appellant coco maiorem nucem , quam ad alias proijciendas utuntur. A Gallis nois de inde uocatur. Hæc de ista nuce apud Græcos incognita satis sint. Nux indica.

SEN. Citrum sequitur. BRA. Citrum aliud est, aliud cedrus, ut in epistola ad Illustrissimum HIPPOLYTVM ESTENSEM docuimus, quam pro hac re legere ne pigeat. Cedrus arbor proce- Citrum. Cedrus.

ra est, paruos fructus pariẽs, quod frequenter cõditos edimus. Citrũ, id est, quod uulgò cedro appellamus, & arantium in eodem ferè genere ponitur, quod & mâlum Medicum, & ab aliquibus pomum aureum nuncupatur. Notissima sunt hæc, in Liguria copiosissime pariunt, ut Genuæ ac Sauonæ Hesperidum hortos uidere licuerit, in quibus hæ arbores topiario opere formis uarijs uisebantur. Iam & Ferrariæ plantari cœpere: ex his folia, fructum, & semina seorsum habeto, quæ plurimum ægris conferunt, quum & eius succum seruare opportunum erit. Semina puerorum uermes interficere constat. Ab Hispanis citra limones dicuntur, & nos citri genus limonem appellamus, quod succo potissimum abundat, & ualde acerbo. Arantium uero oranges à Gallis, & naranzas ab Hispanis uocatur. SEN. In calce fructuum sumus. Id uero à te impetrari uelim, ut contradictionem à principe remoueas. BRA. A quo principe, Illustrissimo ALPHONSO Duce nostro? SEN. Non, sed à medicorum principe. BRA. Quem appellas tu principem medicorum? Ego Hippocratem. SEN. Ego autem Auicennam. BRA. Ne Auicennam principem medicorum, sed medicum & principem dicas. SEN. Ergo medicorum principem. BRA. Vt arbitror, dialectica cares, quippe à diuisis ad coniuncta consequentia non ualet: ut, est bonus, & citharœdus, ergo bonus citharœdus: æquè non ualet, est princeps & medicus, ergo medicorum princeps. Sed his sophistarum & puerorum deliramentis omissis tuam illam contradictionem edisseras. SEN. En, in secundo libro

cano

caponum citri semen calidum esse fatetur, in libro autem de uiribus cordis, frigidum usque ad tertium ordinem facit. Fuere qui contradictionem falsò remouerent, ut secundo libro de citro, in libro de uiribus cordis, de arantio loqueretur. Constat autem eiusdem ferè naturæ, & gustus arantij semina, cum citri seminibus esse. BRA. Optarim hac in re alterum Oedipum inuenisses, qui me hoc fasce leuaret: quum autem tu à me petieris cui plurima debeo, non possum pro uiribus tibi non satisfacere. Fuere qui ita soluerent, ut secundo libro de cortice circa semen, in libro de uiribus cordis, de carne à cortice contenta loqueretur. Quam sententiam Excellentissimus etiam Manardus sequitur. Mihi autem semper mos fuit quoties cõtradictiones adeò manifestas in autoribus uideo, multos libros consulere, & præsertim antiquissimos: non enim credere possum uirum aliquem probum, in re tam notà adeò stupide hallucinari. Quam ob rem omnes impressos Auicennæ codices uarijs in locis legi ita dicentes, & sibijpsis opponentes, imò idem in plurimis manuscriptis etiam legebatur. Deniq; contigit, me fortefortuna domi Pinamontis Bonacossi compatris charissimi, in antiquum Auicennam incidere, in quo caput illud de uiribus cordis aliter legebatur, quàm in uulgatis codicibus, eademq; penitus hic legebantur, quæ in secundo libro scripta erant. Ideo non est opus in rebus tam fatuis et crassis, summos uiros errasse, aut sibi ipsis cõtradicere putare. En quod mihi clapsis annis euenit. Quidã scholasticus meus, nostras interpretationes in Porphyrij quinq; uoces imprimi curauit: accidit

autem cum impressoris, tum praui exemplaris uitio, plura uideri errata, quàm uerba, ut deinceps cogar puerilia deliramenta corrigere, & id facere, quod nunquam cogitaueramus, nugas nostras impressoribus dare, ut errores illius impressionis pinguissimi deprehendantur, ut pessimis ac conspurcatis linguis ansam maledicendi auferamus, quanquam institutum sit nobis à cunis usque, maledicos despicere, & si qui nos læserint, uindictam deo committere. Nunc ad alia uertamur.

SEN. Iam sol inclinare cœpit. HER. Imò inclinauit, & nox cœlo præcipitat, cœnare opportunum erit, ut mox dormientes mẽbra labore soluamus. BRA. Agite, fiat, ut lubet.

DE RADICIBVS,

quarum apud Ferrarienſes Pharmacopolas uſus eſt.

SENEX.

IAM DVDVM *illuceſcit. Surgamus, ne ſomno inerti cœptum opus impediatur.* BRA. *Et cur non ſurreximus prius? Nunc ſola interula ueſtiar, ut ſuauem hanc matutinã auram aptius capeſſam. Quum de ſeminibus, fructibus, ac floribus expeditum ſit, cui hodie incumbemus?* SEN. *Rei incumbemus, quæ non placebit Herbario: nam radices ab imis terræ partibus euellere opus erit.* HER. *Promptas uires habeo ad hunc laborem, & floridam iuuentã.* BRA. *Cur ligna & cortices non præceſſere?* SEN. *Nihil impediebat eo ordine incedere, uerùm ita ſcribere cœpi.* BRA. *A prima igitur incipias, quam tua charta ſcripſiſti.* SEN. *Pæoniæ radix primum limen occupat.* BRA. *Quum pæoniæ ſemina collegiſti, radices etiam in peram condere iuſſimus.* SEN. *Recordor nunc.* BRA. *Quatuor, aut ſex numera.* SEN. *Radices aſparagi, petroſelini, fœniculi, apij, althææ.* BRA. *De his omnibus in ſeminibus ſatis, ſuperq; dictum eſt.* SEN. *Ebuli, chelidoniæ.* BRA. *De ebulo in floribus, de chelidonia expreſſimus in herbis.* SEN. *Garyophyllatæ.* BRA. *In herbis etiam garyophyllatam oſtendimus.* SEN. *Nenufaris.* BRA. *In floribus nymphæam colle-*

gisti, & te Ferrariã remisimus, ubi huius herbæ radices præstant. SEN. Rhabarbari & rhapontici radices sequuntur. BRA. Has radices statim à primo prandio edocuimus, & quomodo diuersæ essent, & quibus partibus petendæ, & quomodo rhaponticum, centaurium, & à nobis nunc uocatum rhaponticum differant. SEN. Quod in his scire opto, est rhabarbari dosis. BRA. Mesue à duabus drachmis & semis infusione tribuit. SEN. Manardus eum reprehendit, addens cuidam Pannoni nobili ob hoc malum obtigisse. BRA. Id non fuit ratione rhabarbari: imò & quandoque scrupulus obesse uidetur. Nõ uererer in homine robusto, anni parte commoda, decem drachmas in infusione tribuere: imò frequenter tres drachmas in substantia præter ullam noxam dedimus, & deinceps dabimus quum opus erit, magno ægrorum commodo, qui ex hoc in natiuam sanitatem restituuntur: imò hi maiorem dosim propinare possunt, qui ubi nascitur rhabarbarum, ortum duxere, aut ei assueti sunt. Vidi ego Mauritanum qui Scamonij semiunciam præter noxam comedit, quoniam ita à primis unguiculis assuetus erat. Huius rei testis est Iacobus Columma pharmacopola publicus, qui adhuc uitali aura fruitur, ne uidear sine teste in re tam magna loqui. Adde & aliud, Scatizam quendã illustrissimi principis Alphonsi ducis Ferrariæ equisonem, eo præsente, & reuerendo præsule Thoma Musto, & magnifico Augustino eius fratre, & magnificis Hieronymo Guarnerio, et Giberto Cortilli, ac pluribus alijs, integrã aloës notæ libram, præter noxam comedisse. Omnes hi testes superuinunt. Me-

Rhabarbari dosis.

debar

debar & ego cuidam Rustico, qui sancti Georgij fratribus inseruiebat, Gallica scabie correpto: iussi quatuor drachmas pilularum Alexandri Tralliani præparari, quas in capite de morbo comitiali describit, inquiens nullas esse fortiores istis: Iusseram autem ut singulis diebus unam, unius scrupuli pondere deglutiret. Hic autẽ omnes una uice uorauit, quæ equum interficere debuissent, tamẽ nec semel soluere. Arbitror naturam tam magnam quantitatem aggredi non ausam esse. Alijs tamen diebus ab una sola unius scrupuli mire soluebatur. Religiosi omnes illius sacratißimi loci testes sunt, & simul excellentißimi ac doctißimi iuuenes, Franciscus Brusantinus, Maurelius Sanctus, Ioannes Leo, & Ioannes Franciscus Rossius compater charißimus, qui tunc pro actu practico exercendo mecum uersabantur. Sed quid opus est exempla exemplis exaggerare: quum certe constet mirum non esse, si decem Rhabarbari drachmæ in infusione propinari possint, præsertim in robustißimo uiro, Rhabarbaro etiam assueto. Aliàs tamen Mesuem falsò intelligebã, à drachmis duabus & semis ad decem, Rhabarbari infusionem exhiberi, & non rhabarbarum infusum: sed tunc errabam, quia triginta etiam & quadraginta infusionis rhabarbari drachmæ propinantur, non tamen rhabarbari infusi. In alio autem de Manardo excellentiß. miror, quia Mesue rhabarbarum purgare scriptum reliquit: at ille reprehendit, quoniam antiqui a suo rhabarbaro uim purgatiuam demunt. Verum antiqui de nostro uocato Rhabarbaro nusquam tractarunt, de quo Mesue loquitur. Imò & hoc ipsum Manardus fatetur, aliud esse nostrum rha

ſtrum rhabarbarum,& antiquorum: ſoluere autem rhabarbarum adeò certum eſt,ut nullus qui ſumat ambigere poſsit. Id tamen comprimendo facit, propterea ſtipticas aluos reddit. Sed hæ commodius & per rationes ſuo loco differentur. Nunc inſtitutum noſtrũ proſequamur.

Zinziber. SEN. Zinziberis radices ſequuntur. BRA. In Arabia, & apud Troglodytas plurimum naſcitur zinziber. Alexandriam Aegypti affertur,& Alexandria Venetias. Putarunt multi radicem eſſe piperis, quos Dioſcorides reprehendit. Eſt autem repentis herbæ radix, in morem graminis, fõlium arundinaceum habet. Quum emere uolueris,ut melius teredines uidere poſsis,ne zinziber bolo armeno, aut rubra quadam terra delibutum emas: nam eo foramina tegunt, & ponderi addunt. Arabes,recens zinziber ſaccharo cõdiunt,ad ſtomachi frigiditates præcipuum. Alexandriam portant,& Venetias recto curſu. Tamen pharmacopolæ(ut pleraq; alia)adulterant: nam ueteres radices per multos dies aqua macerant, alij aqua calcis, ut tenellæ euadant,poſtea condiunt,ſed facile deprehendunt,quoniam ex recenti zinzibere conditum minus acre eſt, & guſtu delectabile: ex ueteri autem mordicat,nec ita guſtum ſatiat. A Luſitanis gengeure,à Gallis gimzembre,à Germanis ingVVer appellatur. SEN.

Coſtus. Coſti radix ſequitur. BRA. A noſtris pharmacopolis radix quædam pro coſto uenditur, imò & ab omnibus per totam Italiam, quæ ita coſtus eſt, ut muſca elephantus. Nam coſtus radix eſt candida,leuis,plurimo & eximio odore. Quam uero oſtendũt ipſi,nec candida,nec leuis, nec odorata eſt. In Arabia naſcitur: parum difficile

eſt Ale

est Alexandriam uehi, si illuc mittãtur qui nouerint, sed qui mittuntur ignari sunt alienis dictis credentes. Miror non haberi saltem Indicum per Hispanorum nauigationes: est autem nigrum, speciosum, leue ut ferula: sed quod magis mirum est, quum singulis annis Veneti in Syriam nauigent, Syriacum non haberi, hoc est ponderosum, colore buxi, odore sensum tentans. Spero Illustrissimi Alphonsi Ducis Ferrariæ opera breui uerum costum assequuturum. Sola radix in re medica probatur, cæteræ partes à nullo autore expetuntur. SEN. Valerianæ radix offertur. BRA. Si phu Dioscoridis cum uocata à nobis ualeriana conferamus, loquor autẽ de ea Valeriana, quæ in Italia nascitur, eadem indicia habere certum erit, uno solum dempto, quia nostra Valeriana multo minor est, quàm à Dioscoride suum phu describatur: dicit etiã caulem habere cubitalem, & aliquando maiorem, tenerum, cui leuor sit, & color in purpura albicans, eundemq; geniculatum, & in medio concauum, flores figura ad narcisum accedentes, maiores tantum, tenerioresq;, colore in albido per medium purpureo. Radix illi est in superiore sui parte minimi digiti crassitudine, habetq; adnascentes illi exiguas radices, alias quæ transuersæ ferũtur, odorati rotundi iunci, aut nigri ueratri modo, sibi ipsis implicitas, colore subruffo, & nardi odore, cũ uirosa grauitate aliqua odoratas. Omnia hæc indicia in nostra Valeriana sunt magnitudine dempta, quoniam scimus apud alias nationes eandem Valerianam non sumi. Quippe Germanorum ualeriana, phu Dioscoridis esse non potest, sed apud ipsos herba est Theriackskraut dicta, quasi The- Valeriana.

riacaria, quæ nostræ ualerianæ simillima est. Hanc pro Dioscoridis phu sumere oportet, non eam, quæ ab ipsis Baldrcan appellatur: quippe uerum phu folia oleri atro, aut cerui ocello simillima habet, ut nostra ualeriana, & theriackskraut Germanorum, quanquam & nonnulli apud nos alia herba pro ualeriana utantur, quàm communis nostra sit. Eam in his montibus collige, quamuis à Dioscoride in Ponto nasci dicatur. Verum pro Theriaces compositione Illustrissimus Alphonsius Ferrariæ Dux in pontum mittere spopondit, ut phu Ponti afferatur. Galli eodem modo ut nos uocant ualeriane. Sola radice contentus sis. SENEX. Meu radices accedunt. BRASAVO. Itali pharmacopolæ radicem quandam albicantem pro Meo ostendunt, quam si masticaueris, quodammodo pastinacæ gustum habet. Ex hoc autem Meum non esse deprehenditur: quippe Meum radices graciles habet, odoratas, longas, & gustum feruidum habentes. Quum Hispania, & Macedonia nascatur, miror admodum non haberi: ut habeatur, Illustrissimi Ducis nostri opera curabimus, qui ad iuuandas bonas artes, adeò animum applicuit, ut nihil pro earum commodo, & amplitudine intentatum relinquat. Vnum est, Italiam iamdiu uerum Meum non uidisse, breui autem uidebit. SEN. Quæ radix est ea, quam pro Meo sumebamus? BRA. Pastinacæ odorem habet. Veneti ex Creta aduehunt, ut facile coniectari possim daucum Creticum esse, præsertim quum Venetijs integram plantã uiderim, quæ omnes dauci Cretensis notas habebat. SEN. Interim pro Meo quare utar?

Meum.

re utar? BRA. Nulla: nam Illustrißimus princeps in Hispaniam scribi iußit, ut habeatur: rei particeps eris. SEN. Igitur Bruſci radices colligamus. BRA. Per Bruſcum quid intelligis? SEN. Frutex est, grana quædam parua, rubráq; faciens, magnus uſus est his qui mingere nequeunt, & calculis infestantur. BRA. Quid sit acceptum: rursus dicere oportebat. Barbari uocabulum corrupere, & bruſcum pro ruſco dicunt, uel non à ruſco per corruptionem dicatur, sed à sapore quem habet: nos enim acrem saporem uulgo bruſcum appellamus quo ruſci grana insigniuntur, uel potius sapor ille à frutice nomen accepit. Agrestis etiam myrtus à Dioſcoride nuncupatur. Aberrant qui cubebas à nobis uocatas (de quibus suprà) agrestis myrti fructus esse putarunt. Qui præterea berberim ruſcum esse arbitrantur, adhuc magis errant: quia inter colligenda semina Serapionis Berberim apud Dioſcoridem oxyacantham esse docuimus: Ruſcus uero, uel myrsine agria aliud est, herba aut frutex notus, quo Venetijs & pluribus alijs Italiæ locis, scopas ad uerrendas domus parant: eodem nomine uulgò appellatur Bruſco. Leonicenus Plinium taxat, qui de oxymyrsine loquens, eam à ruſco distinctam fecit libro uigesimotertio: tamen idem sunt, imò & eadem uires bruſco attribuit, quas oxymyrsine attribuerat. At Plinius eo loco Castorem adducit autorem quendam, qui idem esse apud Latinos Ruſcus, quod apud Græcos Oxymyrsine, putauit. Noſter igitur Bruſcus, est antiquorum Ruſcus, & oxymyrsine, cuius non solum radices, sed & fructum & folia Bruſcus. Ruſcus.

seruato & aquam per resolutionem ui ignis excerptam habere studeas. SEN. Reperitur ne apud Arabes Ruscus? BRA. Serapio magno errore, arborem ferentem cubebas esse apud Dioscoridem oxymyrsine arbitratur. Et recentes, ut Pandectarius, & alij cum Serapione carpesium oxymyrsinem esse putant, ut suprà edocuimus, quoniam de oxymyrsine nunquam Galenus, & Dioscorides nunquam de cubebis tractauit. Idem igitur hæc duo esse fatentur, sed errorem suprà in cubebis ostendimus. Cubebe enim oxymyrsine esse non potest, si ambarũ arbuscularum formam, & fructum consideres. Carpesium uero (si Galeno credamus, ut dignum est, in primo de antidotis libro) est tenues festucæ ramusculi cinnamomi similes, quæ sunt similes secundum genus uocato phu, & eius gustum habet, ut hinc Auicennæ interpretis error deprehendi possit, qui quum interpretari debuisset uires phu habere, rubeæ interpretatus est: quippe hic error Auicennæ attribuendus non est, sed pessimo interpreti: nam id uocabulum, quod ibi Auicenna scribit, phu sua lingua, & non rubeam significat. Ad carpesium autem reuertentes, Quintus antiquus medicus, quem Galenus magnifacit pro cinnamomo carpesium sumebat, utpote quod ab optima cassia uiribus non dissideat. Inuenit autem Galenus magnam carpesij copiam in Sida Pamphyliæ, ideo eo loco carpesij uilitas est, propterea laudant exinde colligi & seruari: cuius duas species facit à locis denominatas, alteram laërcinum, alteram amarum, hæcq; melior putatur, odorem & gustum aromatis habet. Aliter carpesium ab antiquis inexplicatum est: tu

Carpesium.

cætera

cætera prosequaris. SEN. Cyclaminis radix occurrit. Cyclaminus.
BRA. De hac in herbis expeditum est. Verum temperare non possum, quin Auicennæ errorem ostẽdam, nam ubi de Arthanita loquitur, quæ cyclaminus est, & ipsi Arabes buthormariem uocant. Quum primam speciem cyclamini Dioscoridis perperàm etiam descripsisset, inquiens sibi, & suo tempore ignotam, mox notam specie suo tempore docet, inquiens esse spinam spissam, breuẽ, quæ radicem habet, qua lana lauatur. Si uero Dioscoridem in capite Struthij consideremus, quod ante caput cyclamini scriptum est, inquit eius radice lanas lauari, ut hinc arbitrari oporteat, Auicennam secundam quidem speciem cyclamini non posuisse, sed de struthio tractare: cuius rei causam arbitramur Auicennæ Dioscoridem fuisse, qui à pessimo librario scriptus struthium cum cyclamino confuderit. Serapio autem qui iustum codicem habuit, nullo errore ducitur, in his speciebus assignandis. Tamen de Plinio mirandum magis est, uiro Græca lingua & Latina disertissimo, qui (si Leoniceno credamus) cyclaminum cum aristolochia cõfuderit, ut rerum similitudine deceptus uideatur, nam utrunque à rotunditate nominatur. Cyclaminus rapum terræ, Aristolochia uero rotunda etiam dicitur: unde in hac rotunditate deceptus est, quia 25. libro inquit Aristolochiæ radice simul cum calce piscatores in Campania uti, ad quam aduolent pisces, qui statim exanimati fluitant. At Leoniceno Campaniæ piscatores audiuit, ad hoc negotium peragendum radice cyclamini uti, propterea, aut duas radices necandis piscibus aptas assignare oportet, quod

nusquam apud autores aliquos reperitur, aut cyclaminum speciem aristolochiæ dicendum, quod ei ex hoc repugnat, quoniam aristolochia ita appellatur, quia prægnantibus succurrat, cyclaminus uero non solum prægnantibus aduersatur, sed fertur, si prægnans hanc radicem transcenderit, abortum pati. Ego (ut ingenuè fatear) Plinio potius, quàm Leoniceno consentirem, duas esse radices, quibus pisces capiantur, & aristolochiæ, & cyclamini, quod ab aliquo autore nobis incognito accepit Plinius: non enim opus est, quæq; falsa arbitrari quæ à summis uiris dicantur, etiam si ab alijs scripta non sint. Scimus etiam & ipsum tertiam quãdam cyclamini speciem cognomine chamæcissos, uno tantum fõlio, radice ramosa posuisse, qua pisces necãtur. Hãc Hermolaus ichthyoteram proprie uocari censuit, quamuis hoc nomen primæ speciei cyclamini à Dioscoride tribuatur: sed hæc aliàs.

Miror etiam de quodam excellentißimo uiro, qui Mesuem reprehendere conetur dicentem, & eleuantur super radices frondes, & parum infrà, sine eleuatione stipitis. Hic Mesuem reprehendit ille, quia caulem fert quatuor digitorum, sed nudum, Dioscoride, & ipsa experientia testibus. Sed potius errat ipse, quia per caulẽ, scapum intelligit, à quo fõlia emanare debent, uerum omnes à radice fluunt tenui filo: unde scapum uerè non habet, cui fõlia inhæreant, sed unumquodq; ab radice suo proprio caule prouenit, tanquam pediculo, cui fõlium inhæreat. Addit etiam Mesue calidæ, & siccæ complexionis in tertio ordine esse. Ab eodem reprehenditur, Galenum, & Auicennam huic gradum nõ aßignasse, ac si longe errauerit

Mesue

Mesue, qui in hoc uoluit iuuare mortales, in quo Galenus & Auicenna non iuuere. Ad alia autem pertransire opportunum erit, ne his futilibus occupati bonas horas in colligendis herbis omittamus. Germani Erdt zVViél uocant, ac si cepam terræ exprimere uoluerint. SEN. Aristolochiæ longæ & rotundæ radices sequuntur. BRA. Aristolochia, Tria aristolochiæ genera apud Dioscoridem mueniuntur, rotunda, longa, & clematis, quæ sarmentosa dicitur ob radices in modum sarmenti complicatas. Plinius uero quatuor species adinuenit: longa mas existimatur, rotunda fœmina. Ita appellatam uolunt, quoniã puerperis opitulatur, quamuis Plinius grauidis dicat. Duo genera notissima sunt, quibus in officinis utimini. SEN. Et hæc duo seruare statuã. BRA. Longam Ferrariæ habebis, rotundam minime, nisi aliquo statuto loco uireat. Id tamen laudo, ut ambas species in his montibus colligas, quoniam rotunda, in uulneribus efficacior existet, magis enim exiccabit. Fructus autem & radices seruabis, quæ in rotũda ad rotundum, in longa ad longum uergunt. Si tertiam speciem habere placeat, quæ ramulos tenues habet, fõlijs modice rotundis, minori sedo similibus, plenos, habet hæc rutæ flores, radices longissimas, tenues, crasso & odorato cortice uestitas, tibi locum indicabo, quo mirum in modum crescit. SEN. Satis mihi est has colligere, quibus in nostra urbe medici utuntur. Clematidem unguentarij ad sua unguenta spissanda seruent. BRA. Germani quidam rotundam aristolochiam holVVurtz appellant, alijs reclamantibus, quoniam holVVurtz herba sit in Germania, quæ potius rutæ fõlia habeat,

quàm hederæ, qualia aristolochia rotunda habere debet: Alij Biber VVurtz, alij hinschkraut uocant: longam uero aristolochiam cum additione die lang, ut holwurtz die lang proferunt. SEN. Quid per holwurtz intelligunt? BRA. Idem ac si radicem concauam dixerint. SEN. Hoc, meo iudicio, aristolochiæ non quadrat, propterea ad liquiritiam ueniamus. BRA. Notissima radix glycyrrhiza, quæ pluribus locis Ferrariæ scatet. In Cappadocia tamen, & Ponto laudatissima: sed in Italia copiosè uiret. Radix tantum in usu medico est, à Græcis glycyrrhiza, à Latinis dulcis radix appellatur. Theophrasti tempore, nondum erat in usu fortè hoc nomen glycyrrhiza, propterea Scythicam radicem appellauit nono de plantarum historia, quoniam in Scythia plurimum proueniat. Duo ex ipsa seruanda, radix, & succus ex ipsa radice expressus. Colorem buxeum habet, melior tamen est, qui in nigrum uergit. Deterior radix quæ fragilis, quàm quæ lenta. De hac tam nota herba, ac radice, nihil amplius. SEN. Si Ferrariæ glycyrrhizam habere potero, sum ne eius gratia ad alias partes profecturus? BRA. Nõ equidem. Imò si tanta copia, qui satis sit, nostra patria colligatur, quum humidior locus sit, hanc pro optima serua: nubili enim crassiores radices, aut dulciores inueni, quàm quæ Ferrariensi solo nascuntur. Tamen equinum fimum, aut bubulum mire odit. Nos autem hoc fimo solum nostrum stercoramus, ideo Ferrariæ diu perdurare non potest. Ab Hispanis alcanix, à Gallis reclisse, à Germanis sues holcz, ac si dixerint dulce lignum, uocatur. SEN. Gentianæ radix sequitur.

Glycyrrhiza.

Gentiana.

BRA.

BRA. Hac radice nostri Chirurgici in strictis & cauis ulceribus utuntur, ut latiora euadant, nec cæcas cauernas parturiant, premunt radicem ad ulceris quantitatem, & imponunt. Notissima herba, in montibus, & montiũ crepidinibus altis nascitur. Illuc ergo accedamus, ut iugum prælatum ascendamus, ubi uides folia ferè plantagini similia. SEN. Mihi potius nuci iuglandi assimilari uidetur. BRA. Et illis quoque conferri possunt, imò Dioscorides ita confert. Radices legito, & ex radicibus hoc modo succum parato. Radice tusa, & diebus quinq; madefacta in aqua, postea decocta, quousque radices supersint, deinde aqua refrigeratur, & linteo percolata iterum coquitur ad crassamentum mellis: demum in fictile conditur, ad implenda ulcera. Radix lenta est, sine odore, aquosa, quæ in sese pressa constringitur, ideo apta ad stricta ulcera amplianda: huius herbæ inuentor fuit Gentius Illyriorum rex, qui in bello primus eius uires demonstrauit. A Germanis Entiam appellatur. SEN. Radix Irios occurrit. BRA. Quum de Iride (ita enim dici debet iris non irios) sermo fit, cæteris semper illyrica præfertur, & ea quæ mediterranea parte nascitur, & maxime quæ Septentrionalibus exposita est. Decipiuntur pharmacopolæ plures, qui Ferrariæ gladiolum pro Iride accipiunt, quem corrupto uocabulo, giaciolo, quasi gladiolum nominant. Vnde Iris Illyrica non est una spe- Iris Illyrica.
cies Iridis ab alijs distincta, sed ob perfectionem regionis, in qua nascitur, integrioribus uiribus: propterea hoc nomen Iris Illyrica sortita est, & præsertim quia ibi copiosissimè uiret, & passim reperitur. Ostendunt uero Fer- Iris.

rariæ florem quendam pulchrum & odoratum ferè odore præmaturi pruni, aut persici, quod nucem uulgò dicimus, uarijs coloribus pictum, quem Irim Illyricam uocant. Sed Irim non esse ex hoc liquet, quoniam Dioscorides Irim dicit gladioli fŏlia habere, maiora dūtaxat, latioraq́, atque pinguiora: uerùm, quam ipsi Irim Illyricam appellant, minora fŏlia, strictiora, & minus pinguia gladiolo habet. Nolo ut in his montibus occuperis. Singulis diebus Veneti in Illyrium nauigant, & ego fortassis hoc anno cum illustrissimo ALPHONSO illuc appellam. Illinc Iris asportabitur, quæ uerè Illyrica erit: ex loco enim, in quo perfectissima, & copiosissima nascitur, nomen sortita est: Iris uero à multis coloribus nuncupatur, qui uel in tota specie, uel in uno flore sunt. Quum uero annis elapsis cum illustrissimo ALPHONSO Duce nostro in Illyrio essem, Irim plures colores habentē quæsiui & inueni, erant quidem in diuersis indiuiduis uarij. In aliquibus candidi, in alijs pallidi, in alijs lutei, in diuersis purpurei, ut plurimū uero cœrulei uisebātur: erat autem unus & idem flos uarijs coloribus insignitus, ut inde arbitratus sim, irim dici nō ob diuersitatē colorū in specie, sed in indiuiduo, tamen species non ex floribus, sed ex radice distinguūtur: alia enim colorem ruffum, alia candicantē habet: Lybica est hæc, prima Illyrica. At colorum diuersitas non est in summitate floris, sed in infima parte, ut in his uidetur quæ nunc Ferrariæ uirent: sunt enim alij flores qui species distinctas per colores habent, ut eamet ratione Irides nuncupari oporteret. In Illyrio duæ speRhaphanitis. cies nascuntur: Rhaphanitis dicta ob similitudinē quam

cum

cũ rhaphanite habet, & melior est: & rhizotomos quæ subrufa usitatur, & minus bona: facillimum est ex Illyrio huc asserri, & sine ulla ferè expensa. SEN. Egomet illuc accedam: Mesue etiam Irim appellari dicit, non ex uarietate colorum in uarijs individuis, sed in uno tantum purpureo, in quo magis & minus in eodem folio uisitur. BRA. In Iride finem fecissem, nisi cuiusdam excellentissimi uiri locus occurrisset, in quo Mesuem reprehendit, qui inquit melius tempus collectionis Iridis esse Ver. Ille reprehendit, quoniam Dioscorides docet legendas radices quum incipit foliorum defluuium herbis, hoc non est in Iride, sed est generale præceptum Dioscoridis in præfatione sui libri de radicibus omnibus. Tamen Mesue defendi potest, ut de floribus loquatur, quos iubet colligi antequam defluant. Adde in radicibus euellendis Dioscoridis regulam intelligendam esse, quoties illarum herbarum, quarum radices sunt, folia autumno defluunt. Verùm Iridis folia continuè uirent, & nunquam decidunt. SEN. Vtriusque Consolidæ radix sequitur. BRA. Duo symphyti genera apud autores inuenmuntur, petræum, & quod Romani solidaginem dicunt. Idem enim est symphyton dicere, & consolidam, ac si dicatur simul nasci faciens. Secunda species Alo etiam dicitur, Ferrariæ notissima, quo loco abundat etiam plurima. Nostrum uulgus luganego appellat, quia ex Lucania fortassis asportatum, uel ob similitudinem, quam radices habent cum lucanicæ frustis. Nos enim lucanicam appellamus farcimen quoddam ex suilla carne minutim pinsa, sale ac pipere in tenuius suis intestinum infarcta. Romani solidagi-

Rhizotomos.

Consolida.

nem à consolidandis carnibus appellant. Primam uero symphyti speciem nondum agnoui, nam hi decipiuntur, qui eam herbam esse putant, quam pharmacopolæ pro eupatorio accipiunt, sed longe aberrant, quoniam falsum eupatorium, origani ramulos non habet, nec capitula thymi, nec gustu dulce est, quemadmodum symphytum petræum, nec istud eupatorium in saxis nascitur, ut petræum dici mereatur, sed in foueis potius, & inter uineta. Symphytum hoc petræum recentiores consolidam minorem appellant. Quid uero sit, ignorant, & ego adhuc non recordor me uidisse, quanquam radicem quandam pro eo ostendant, & minus symphytum dicant. Habent autem & præter has duas radices, alias quasdam, quibus pro consolidandis utuntur hi agyrtæ. Vnam regalem, cosolidam uocant, quæ à Germanis ritterſporem dicitur. Alteram mediam consolidam: sed illas ipsis omittamus, quoniam uiri sunt absque ratione experimenta tentantes. Symphytũ aliud apud nos uulgò luganico dictum maiorem consolidam uocant, quanquam & in alijs Italiæ locis Ala, quasi Alo appelletur. In Ferrariensi agro copiosissime emergit. Ibi colligere nihil impediet, imò statutæ quædam uetulæ harum radicũ fasciculos gratia uendendi in forum portant, & mirus est apud nostras mulierculas in contusionibus præsertim intrinsecis, harum radicum in melle coctarum usus, & extrinsecus emplastri modo apponunt. Tu autem radicem illam proijce, quum domi eris, quam pro minori consolida uendis, quæ ita consolida est, ut tu es elephas: nam est radix lignosa, superuacua, quæ nullum odorem habet, nec dulcis est, aut

Eupatorium.

Symphytum petræum.

saliuam

saliuam cit: quæ conditiones in minori consolida, id est, symphyto petræo inuenire opus est. Nomen commune habent Germani, quo consolidam uocant, scilicet VVal-VVrtz, nomen à cruribus deductum, quamuis hi qui in inferiori Germania habitant, & apud Saxones à loco, in quo nascitur, & ab eius qualitatibus schment VVurtz appelletur, quod idē est ac si dixerint nigra radix, unctuosa, & in aggeribus nascens. Ab alijs beyn vuel, ab alijs autē schVVartzuuurtz nūcupatur: Galli uero cōsonde uocarunt. Vnum hic animaduersione dignum est, & si Dioscorides luteum florem maiori symphyto faciat, tamen, & album uidimus, & intensiori colore quàm luteū, habere quandoque animaduertimus, nec perpetuo caulem habet angulosum, uel leuē, sed modo hoc, modo illud habere cernes. SEN. Reperitur ne apud Auicennam? BRA. Equidem reperitur, & id esse arbitror, quod ipse secundo libro succutum uocat, comparatis succuti proprietatibus ad illas symphyti: tamen adeò confusus est, ut quid dicat, aperte deprehendi non possit præsertim quum eius interpres ubi symphytū interpretari debeat, semperuiua interpretatus sit. SEN. Serpentariæ radices occurrunt. BRA. Cuius serpentariæ? SEN. Maioris: quum enim absolute serpentaria dicitur, maior intelligitur, cuius radices consueuimus singulis annis pro officina colligere. BRA. Hoc anno minoris etiā radices seruato, quæ ad plura ualent, & Mesue maioris ac minoris uires simul cōfundit, quippe earū uires describit nulla præfatione facta, quod minoris, aut maioris sint, & adeò simul ambas miscet, ut qui non nouerit maioris uires, mi- Serpentaria.

nori & minoris, maiori applicare necesse sit. Apud auto
res plures huius herbæ spécies inueniuntur, quàm Dioſco
rides sub hoc nomine Dracunculus, tractet, in maiorem
atque minorem distinguens. Post duo dracunculi capita,
aliam herbam pingit Aron uocatam, quamuis & nomen
Aron maiori dracuntio conueniat: tamen quicquid sit,
quum Aro eædem uires sint quæ Dracunculo: satis erit
duas dracunculi spécies seruare, quas Ferrariæ & notissi
Dracunculus. mas habemus. Dracunculus ab Arabibus luph, à nostris
mulieribus, qui maior est, absoluto uocabulo, serpentaria
nuncupatur: minor, herba bissara, quoniã anguibus, quos
uulgò bissas uocamus, placet: aut in locis nascatur ubi an=
gues uersantur, uel quia dracunculos bissas dicimus. Ma=
ior in foueis frequentissima est, & minor etiam, tamen
peculiariter sepes, & senticeta, ac loca umbrosa amat.
Ex ambabus spéciebus priuatim herbam, & radices ser=
ua, quas perforare opus est, inde fune ligatas in umbra
suspendere ut exiccentur. Semina etiam habere studeas,
& ex maiori succum ex herba & radice, ex minori uero
ex seminibus exprimito, quæ in modũ uuæ collectæ sunt,
ut inquit Dioscorides. Ferrariæ copiosæ & efficaciores
hæ herbæ profluunt. Fuere tamen qui à nobis uocatam
Aron. serpentariam, Aron proprio nomine appellarent, quo=
niam & Dioscorides à Syris lupha nominari censeat,
ob id Arabes, qui Syris propinqui sunt, uocabulum pa=
rum contrahentes luph dicunt. Alij etiam Bistortam esse
uolunt, quam serpentariam dicimus, sed longe decipiun=
tur: quoniam radicem bistortam non habet serpentaria,
sed ut Dioscorides pingit, in maiori Draçunculo, ita re=

peritur

peritur in nostra serpẽtaria, candida, rotunda, cortice tenui. Videtur tamen in Aro Plinius à Dioscoride uarius, quippe ipse libro 24. capite 16. ari radicem nigram pingit: at Dioscorides candidam, dracuntio similem. SEN. Soluit'ne serpentariæ radix? BRA. Soluit. SEN. Mesue à celeberrimo uiro reprehẽditur, nam Mesue soluere censet. Ille reprehendit, quoniam ab antiquis inter purgantia nõ numeratur, quæ ipsi cathartica uocãt. BRA. Galenus, & Paulus soluere omnino innuunt, & Plinius, eius fõlia sale & aceto soluere innuit. Et Dioscorides inquit, minoris semina tosta exceptáq; fico sicca, aut si edatur, aluum emolliet. Arabes autem uel Arabum interpretes, quum soluere dicunt uocabula confundunt. Imò & Aëtius ita inquit primo libro, Dracunculi radix omnia uiscera expurgat. Denique experientia ipsa hanc radicẽ soluere ostendit (non dico autem catharticæ) & ideo in re tam uera non est culpandus Mesue. Minus culpa dignus esset, si nonnihil noui edoceret, ab antiquis indictũ. Germani uaria nomina habent, sed bistortæ applicata potius, quæ tamẽ ex dracõtio fiunt, ut drachenwurtz, alij notterwurtz: Aron tamen magis peculiari nomine, & pfaffen pint nominãt. SE. Enulæ radices sequũtur. BR. Inula. Inulæ potius dicito, heleniũ à Græcis & Dioscoride appellatur, quoniã ex Helenæ lachrymis in Helena insula genita sit, ut Homerus testatur, cuius radicẽ si quis comederit, omniũ dolorũ obliuiscitur. SEN. Hanc radicẽ sexcẽties comedi, at hoc percipere nunquã datũ est. BRA. Poëtica illa sunt, à nostris mulieribus expetitur, & in quotidiano ferè usu hyeme habetur, pro conficiendis pa-

ſtillis, quos aiolos quaſi inulos ab inula uocant: radix eſt, & herba apud Ferrarienſes notiſſima, & frequentiſſima: in his montibus quæras, locis opacis & ſiticuloſis ubi efficacior exiſtit. Radices in aſſulas diuidere, & ſiccare debes, imò & ipſa herba ſeruanda. Paſſo conditur, aut defruto, ut Dioſcorides inquit, qui etiã bene odoratã eſſe cenſet, quum eius odor omnibus non placeat: quippe multi ſunt qui paſtillos edere non poſſunt ex helenio factos, ut hinc conijcere liceat, quum antiqui rem odoratã, & ἐυώδη, id eſt, bene odoratá dicunt, non eſſe intelligendos in exquiſito odore, ut multi ſentiunt, quia inulæ odore, quid bonum odorem eſſe cenſebant oſtendunt. In odoribus enim uſu uenit, ut aliquibus nõnulla bene oleãt, quæ fœtent alijs. A Gallis lione, à Germanis alant uocatur. SEN. Rubeæ tinctorum radices ſequuntur. BRA.

Rubia tinctorum.

Notiſſima eſt Rubia, adeò ut etiam infantes Ferrariæ in promptu eam habeant, qua ſingulis annis noſtræ mulieres in feſto paſchæ reſurrectionis oua tingant. Duas habet ſpecies, ſyluestrem & ſatiuam: ſatiua utilis eſt, ſyluestris nullius momenti. Abundat Ferrariæ ſyluestris, ſatiua ob ruſticorũ ignauiam rara: nam magno quæſtu per totam Aemiliam ſeminatur. Rauennæ ingens copia habetur: erythrodanum à Dioſcoride, & ab antiquioribus appellata eſt, à nobis Rubia ſatiua: quanquam in Dioſcoridis textu paſſiua legatur, ſed cum Marcello ſatiuam corrigendum puto. Decepti ſunt, qui herbam, quam uulgò pedochide louo appellamus, ſyluestrem rubiam eſſe exiſtimarunt, nam ſyluestris rubia, ea potius eſt, quæ uulgò ſtellaria dicitur. Hos autem decepit, quia & ipſa

Rubia ſatiua.

inhæret,

inhæret, imò & Dioscorides aparine assimilat, quia inhæret, & rubia etiam inhæret. Tota Italia hanc optime cognoscit, & pro tingendis lanis ea utitur, & aptandis pellibus. Tria seruare oportet, semina, radices, & folia, quæ priuatim aliquibus ægritudinibus conferunt, imò si foliorum simul, & radicum succus seruetur, ab re non erit. In sepibus nascitur & umbrosis locis: quemadmodũ apud nos à colore radicis rubia, ita apud Græcos erythrodanum à rubore appellatur, nam erythron ruborem dicunt. Curabo deincepsqut Ferrariæ rusculo meo seminetur: tamen laudo ut altioribus locis atq; umbrosis pro re medica colligas. A Germanis roet nuncupatur: Galli nostrum nomen imitantur. SEN. Peucedani radices sequuntur. BRA. Si peucedanum, quem Ferrarienses, & Veneti pharmacopolæ ostendunt, consideremus, idem cũ antiquorum peucedano esse deprehendetur, nam radix est crassa, liquore plena, qui niger est: & quãuis nostra graui odore careat, nec multum nigra sit, id ob senium accidisse arbitror, eo enim graueolentiam amisit, & succum. Verùm facile est Genuam mittere Liguriæ metropolim: inde singulis ferè diebus naues in Sardiniam soluunt, ut curetur recẽs peucedanum haberi. In opacis montibus nascitur. Tria ex peucedano habere oportet, liquorem, succum, & radices. Liquor fit, sectis cultro radicibus tenellis, quod ex his fluit liquor appellatur, postea expreßis radicibus succus colligitur, qui liquore ineptior est. Ex caulibus etiam succus fit adhuc ineptior, & citò efflatis uiribus ignauus redditur. Adde etiam inter peucedani radices, uel etiam caules, inhærentem lachry-

Peucedanum.

mam, in morem thuris inueniri: hanc quoq; habere cõueniet. Sed omnia ex Sardinia petenda, aut Samothracia, nã peculiaria sunt hæc, & propinquiora, & ad quæ sit facilis aditus: quamuis Theophrastus, & Plinius laudatißimum peucedanũ in Arcadia nasci uoluerint. SEN. Acori radix occurrit. BRA. Quum frequenter pharmacopolarum radices perscrutatus sum, illud censere fuit opus, radicem eam, quam Galangam appellatis, acorum esse: quod sæpe ab excellentiß. Leoniceno dictum memini, habet enim fõlia iridis, angustiora tantum, nec radices absimiles, implicatas tamen, neq; in rectum, altuḿue actas, gustu acres, odore nõ ingratas. Si eam radicẽ consideres, quæ à nobis galanga dicitur, omnes has conditiones habere deprehendes. SEN. Ea autem radix, quam pro acoro uendimus, quid erit? BRA. Diciśne illam, quæ rubra est, ut coctus camarus quũ recẽs est uideatur, cuius summa copia Ferrariæ habetur, in agro Sammartina dicto? SEN. Illam inquam. BRA. Quid esset, diu consideraui, & quandoq; animus inclinabat, iridis speciẽ esse, postea quo nomine appellaretur inquirens, in Xiridem inclinabam, quam aliqui irim sylueſtrem dicunt, habet enim iridis fõlia, uerum latiora, & in cacumine cuspidata. Caule intra fõlia cubitali admodum crasso, triquetras ualuulas ferente, in quibus flores purpurei emicant medio rubentes. Semen in fõlliculis, fabarum modo conditur, rotundum, rubrum, acre. Radix prædensa geniculis, rubicũda, longa: nostram uocatam acori radicem aliàs arbitrabar, nunc anceps sum: alij iudicent, quippe acorus noster florem luteũ habet, sed Xiris purpureum. Tamen quicquid sit, gla

Acorus.

Galanga.

Xiris.

sit, gladioli speciem nostrum acorum arbitror. Quam uero galangam uos putatis, uerus Dioscoridis acorus est. SEN. Ostende igitur mihi Serapionis galangam. BRA. Quid sit, incertum est, nec à Dioscoride, aut altero antiquo Græco pertractatur. Soli Arabes suam galangã pingunt, pro acoro Venetias mittes, ubi uocatam galangam loco eius emere studeas, quæ uerus acorus est, qui calore & siccitate uiget: noster autem uocatus acorus frigiditate & siccitate insignitur, & insipidum quendã saporẽ habet. SEN. Pro galanga quid emam? BRA. Nihil, quia galangam ad hoc usq; tempus ignoro: & illi aberrãt, qui radicem calamum aromaticum apud uos dictam, uerum acorum iudicant. Nam hic communis odoratus calamus, ruffus est, & frequens geniculis, & qui cõfractus in assulas multas dißiliat, fistulis plenis araneo, subalbidus, in commanducando glutinosus, adstringens linguam gustu subacri. Hæc omnia in nostro Aromatico calamo ad unguem inueniuntur, & præsertim de araneolo illo, qui in uocata nobis galanga esse non potest. Hi præterea decipiuntur, qui galangam à nobis dictam, calamum aromaticum arbitrantur, ex eo quòd præcipua bonitas calami, est esse ruffum, geniculis frequentibus, ac si calamus aromaticus, quem habemus, ruffus non sit, & geniculis careat. SEN. Quid ergo putas calamum aromaticum quem habemus? BRASA. Verum calamum odoratum arbitror, ex India per rubrum mare, id est, sinum Arabicum, postea terrestri itinere per Camelorum garauanas (ut eorum more loquar) Alexandriam Aegypti magnum emporium, denique Venetias conue-

Calamus odoratus.

hunt: acorus uero in Colchide nascitur. Ideo Veneti quandoq; ex nauigatione in Propontidē, Hellespontum, Euxinum mare, galangam aduehunt, quod acorum esse, iter testimonium esse potest. Tamen facilius ex Galatia habetur, in qua etiam exuberat. SEN. Venetijs ergo calamum aromaticum, & galangam, id est, uerum acorum, quæram, ueram autē galangam minime. BRA. Ita fiet. Ego enim ueram galangam ab Arabibus tantū descriptam inueni. Scribit enim Serapio, esse uenā in grossitudine cassiæ ligneæ, & cortex eius est rubeus, & interius eius est puluerulentum. Pandectarius apud Dioscoridem inuenisse putauit, quum tamen absit. Germani acorum schVVerten, galangam uero galgent appellant. At Galli galangam, galingal potius nuncupare uoluerunt.

Polypodium. SEN. Polypodium sequitur. BRA. Ex similitudine, quam cum cirris polypi piscis habet, polypodium, quasi paruus polypus appellatur: hanc herbam Latini ex similitudine foliorum cum filice, filiculam nuncuparunt: non ut in Theophrasto Theodorus, qui fidiculam interpretatus est. Recentes quoties ordinant, dicere solent: Recipe polypodij quercini, ex hoc ne putes in alijs arboribus non nasci, sed in quercu efficacius: quippe arboribus inhæret, & in muscosis locis nascitur. Circa montanas quercus polypodium quæras. SEN. Quid de his sentis, quibus Manardus Mesuem reprehendit? BRA. Est id Auerroim Mesue comparare, quoniam Mesue polypodium in tertio ordine calidum facit: Auerrois autem in caliditate ferè temperatum esse dicit, quod eius gustus ostendit. In gustu mihi uidetur caliditatem præ se ferre,

ferre, & satis intensam: de his uero gradibus bilance careo, qua ponderare nunc possim. A Gallis polipode nuncupatur, ab Hispanis ut nos polypodo. SEN. Thapsiæ radix sequitur. BRA. Radix, quam uos pro thapsia uĕditis, thapsia esse ab effectu demonstratur, nam in puluerem redacta soluit, & præsertim corticis puluis (ut Dioscorides inquit.) Vnum tamen obstare uidetur, quia à Dioscoride, & omnibus alijs intus candida, extra nigra dicitur: quibus notis thapsia nostra caret, nam extra nigra nõ est, tamen in nigrũ uergit, uel subnigrum, intus uero alba est, ut putandũ sit, quum autoribus herba aut radix nigra dicitur, non esse intelligendam perfectam nigredinem, modo in nigrum inclinet: uerùm Dioscorides solet parum nigrum subnigrum appellare, ideo arbitror, qua pro thapsia utuntur pharmacopolæ Ferrariæ, ueram thapsiam non esse, quia ruffa est, nec gustum eius habet. Nos ueram thapsiam in Apennini alpibus uidimus, ubi uulgò dicitur Craffegnana, quæ pars ab Illustriss. Alphonso duce Ferrariæ, & nostro inclyto patrono possidetur, est enim similis ferulæ in specie, fõlia fœniculo similia habet, umbellas in singulis germinibus in summo habens anetho similes, in quibus luteus flos est, semen modice latum habebat, ferulæ semini simile, ueruntamen minus. Radix grandis, intus candida, fõris nigra, crassiore cortice uestita, & acris. Tamen & eam uidimus in officina Vincentij Celati compatris charissimi, Laurentij Augusti pharmacopolæ solertissimi opera. Thapsia dicitur, quoniam in Thapso insula una ex Sporadibus potissimum prouenit. Illam per Hispanorum nauigatio- Thapsia.

nem ad Sporadas insulas habere poteris. Interim in his montibus collige, & tria ex ipsa serua, liquorem, qui per abscisionem corticis emanat, succum ex expressa radice, quæ in picato fictili crasso in sole siccato, & ipsam radicem. Errant qui ex foliis succum seruant, quoniam, ut inquit Dioscorides, nullius momenti est. SEN. Cyperus sequitur. BRA. Quo loco herbæ nascantur, plurimum refert, imò & quo bruta, lapides, æra, & homines: quippe qui montibus nascuntur, rudes sunt, absque moribus, non facile patientes à qualibet leui causa: è contrario qui in amplis urbibus ortum ducunt, morigerati, uafri, & facile patientes sunt: ita qui humido cœlo, albi & molles, nigri qui sicco, & præduri. In cypero idem euenire sentimus, qui si in orientalioribus partibus nascatur, odoratior euadit, & efficacior. In hæc prorupi, quoniam Ferrariæ cyperi ingens copia habetur, in conuallibus præsertim, tamen intenso odore caret: ob hoc uero cyperum esse non dubitamus, quia omnes cyperi notas habet, quas illi attribuunt autores, quippe illi porri folia insunt, longiora tantum, graciliora q; caulis cubitalis, & aliquando maior, anguloſus, in cuius summo cacumine minuta folia se proferunt, inter quæ semen est. Radices oblongas oliuis similes habet, & rotundas aliquando, nigras q;, & cum amaritudine aliqua odoratas: nascitur cultis, & aquosis locis. Si eam radicem, quã nostri pharmacopolæ pro cypero sumunt, considerabis, omnes prædictas conditiones illi ad unguem quadrare percipies, & quamuis amaritudo illa non persentiatur, est ob nimiam locorum humiditatem, tamen in subamarum quodammodo in

Cyperus.

do inclinat. Cornelius Celsus libro 3. capite 21. iuncum quadratum, Plinius uero libro 21. capite 18. iuncum triangularem appellat: sed in processu simpliciter angularem iuncum nuncupauit. Reuera in nostro solo, ut plurimum, triangularis est, quadrangularis raro, quamuis nõnunquam quadrangularem uiderim, & Thomas Lucensis pharmacopola egregius in officina habuerit. Dioscorides propterea cautius, nec triangularem, nec quadrangularem, sed angulosum appellauit. Consueuimus autem res angulosas, in quocunque numero sint anguli, quadrangulares uocare. Triangularium iuncorum, & odoratorum ingens copia in Ferrariensi agro habetur, locis aquosis, tam cultis, quàm nõ cultis. Verum tria hæc nomina apud autores plerunque inueniuntur, cyperus, cypirus, & cyperis. Cyperus est iuncus, de quo nunc sermo factus est. Cyperus pro gladiolo in Theophrasto interpretatur Theodorus, quamuis cyperus, & non cypirus legatur, quod librariorum gratia factum arbitror, qui i, in e, transmutarunt. Cyperis autem genitiuo cyperidis, & fœminini generis, prædicti anguloſi iunci radix est. In Ferrariensi agro colligere nihil impediet, tamen in Cilicia & Syria efficacior prouenit. At ab Alexandria Aegypti, Cilicia & Syria non multum distant, ideo curandum, ut ex illis locis afferatur, imò recto cursu Veneti singulis annis in Syriam nauigãt. Radices solum ab autoribus probantur, quamuis nec caulem prætermitterem. Interim Ferrariensi cyperide utaris. SEN. In postrema parte capitis de cypero apud Dioscoridem habetur, in India alteram radicem nasci anguloſi iunci, uel cyperi,

quæ zinziberis similitudinem habet, nam commanducata amarescit, & luteum croci colorem reddit. Libenter hãc radicem noscerem. BRA. Suspicatus sum, & adhuc à Curcuma. suspicione non dimoueor, radicem illam, quam uos Curcumam appellatis, hanc esse, de qua Dioscorides in cypero, nam similis zinziberi est: imò ipsam inter zinziberis radices Veneti pharmacopolæ inueniunt, quæ si mandatur, amaritudinem quandam, licet paruam, præ se fert, & croci colorem reddit. Vnum tantum deest, quòd hæc radix statim applicata non depilat, sed in multis depilatorijs recentes ea utuntur. Tamen uideto inter recentes oppugnantiam: nam Serapio curcumam chelidonium esse putauit, imò ita esse certus sum, scilicet quòd hoc uocabulum curcuma, apud Serapionem idem sit, quod apud Dioscoridem chelidonium: uel potius fuit interpres Serapionis, qui ubi Serapio sua lingua kaurach dicit, interpres curcuma exponit. At kaurach descriptione considerata, id est, curcuma, secundum interpretem, idem est cũ chelidonio Dioscoridis, ut tibi uidere licebit. Errat autẽ Pandectarius qui curcumam chelidoniũ esse putauit, & duplici errore peccat. Primo, quia non magis chelidonium minus, quàm maius, apud Serapionem curcuma est: præterea eam radicem, quam uos pro curcuma uenditis, curcumam esse arbitratur, quæ in zinzibere inuenitur, constat non esse chelidonium minus: unde nõ assero Serapionem errare, qui chelidonium curcumam appellat. Sed fateor, eam radicem, quam Venetijs & Ferriæ curcumam dicunt, Serapionis curcumam non esse: nam ipsa potius est Indicus cyperus, si quid sit. Errat &

Pande

Pandectarius qui aperta fronte dicit Plinium his uerbis uti: Minor chelidonia est Memith. At multiplici errore deprehenditur. Primo, quia memith succus est, nõ herba: præterea Plinius loco à Pandectario citato, 25. libro, capite octauo, in medio ferè, nihil huius memith meminit, imò nec usquam alio in loco. Verum tamen est, Serapionem chelidonium minus secũdum aliquos memithem appellare, ita eius interprete exponente. Nam caput de memithe distinctum facit à chelidonio minori, & apud ipsum idem ferè uidetur apud istos memithi, quod apud Dioscoridem is succus, quem othonnam uocat: quamuis Serapionis memithe apud Dioscoridem Glaucium sit, & non othonna: de quo suo loco disseretur. Vnum est, Serapionem & ipsum de Indo cypero loqui, eodem modo quo Dioscorides, alioqui alteram curcumam non inuenio apud Serapionẽ. Decepti uero sunt in chelidonij radice, quoniã & ipsa crocea existit: unde nisi cyperus Indus ea radix sit, quam curcumã nuncupatis, nusquam apud Serapionem, aut Dioscoridẽ quid sit, inueni: quia Serapionis curcuma chelidoniũ minus est. Ob id etiam chelidonium minus curcumam esse multi putarunt, quia depilat, sed decepti. Certus enim sis, quam nos curcumam dicimus chelidonium non esse, ut eius figura & proprietates ostendunt: quamuis hoc uocabulum curcuma, apud Serapionis interpretem chelidonium significet. Galli cyperum Sonchet uocant, Hispani raiz de iunca, Lusitani auclada.

Memith.

Othonna.

SEN. Esulæ radix succedit. BRA. In hac herba tot ambiguitates sunt, ut Arabes inter se dissidentes uideantur, & bis de eadem re absque ratione loqui. Hæc ab

Esula.

Excellentißimo Leoniceno in epistola ad Menochium diffusè pertractata sunt: nos concisè expediemus, ne ea repetere uideamur, quæ à tanto uiro dicuntur. SEN. Audiui esulæ radicem turbit esse: imò apud Dioscoridem in capite pityusæ legi, quia Dioscoridis pityusa, apud Arabes, præsertim Serapionem, esula est, quæ radicem habet, quam appellant Turbet, albam, crassam, & madidam succo. BRA. Plura sunt quæ hoc loco ambiguitatem faciunt: Esula in primis apud Arabes, & Latinos diuersa, & deinde Turbit. Si esulæ Serapionis, & pityusæ Dioscoridis picturæ considerentur, idem penitus esse deprehendetur. Sed quam Mesue alsebram uocat, & à recentibus esula interpretatur, non est Serapionis, aut Dioscoridis esula, quoniam ambo radicem candidam habere fatentur, sed Mesue suam alsebram rubram radicem habere, ut cassia scribit. Auicēna in capite Sebram, idem cū Mesue sentit, ad rubedinem tendere. Leoniceno autem uidetur, Auicennam bis de eadem re loqui: semel in capite de sebram, & deinde in Mezeheregi. Sed re uera duo diuersa sunt: quoniam Mesue duplex sebram, magnum & paruū describit. Ita Auicenna de paruo, in cap. de Sebrā, de magno in Mezeheregi: arbitrorq; sebram paruum apud Mesuem, & sebram absolutè apud Auicennam, idem esse cum tithymalo paralios apud Dioscoridem, qui radices in summo rubentes habet, quales sebram insunt. Maior autem Mesue sebram, idem est cum Auicennæ mezeheregi, & utrunque idem est cum tithymalo platyphyllos Dioscoridis, qui tusus in aqua pisces necat. Et ego quandoque suspicatus sum hunc tithymalum id

semen

semen párere, quod nucem uomicam nuncupamus. At Auicenna non dicit pisces necare, sed potius inebriare. Quod uero suspicatur Leonicenus istud Mezeheregi Dioscoridis pityusam esse, ego non suspicor, quamuis multos modos soluere oportuisset quos alijs relinquere statuimus ne in re hac tam incerta tempus conteratur. Certus tamen sum Serapionem bis de pityusa Dioscoridis tractasse. Primus locus est post septẽ tithymali Dioscoridis species: nam ipse alteram addit, quam pthiam appellat, nomen corruptũ est, legi debet pityusam: quippe eodem loco scribitur, quo à Dioscoride, scilicet post tithymali species, & eadem effigie atque eisdem proprietatibus. Secundus locus est, quum de esula tractat, quam febram uocauit, tunc pityusæ Dioscoridis meminit: quippe eadem cum ipso dicit, fortè ob lac statim post lactitinia pertractauit: deinde uoluit iterum per se loqui. Verum non arbitror hanc esse causam, quia sub alio nomine de ea tractat. Quam ob rem Serapionem deceptum esse certus sum, nisi & ipse maiorem febram & minorẽ prosequatur. SEN. Hæc nihil ad rem, de Serapione aut alijs Arabibus in hac re parum curo: id tantum noscere cupio quid sit hec radix, quam nunc esulam uocamus, id est, an apud antiquos reperiatur, quicquid Arabes de ipsa loquantur. BRA. Radicem illam quam uos Pharmacopolæ esulæ loco utimini, ostendit mihi (sed tunc mentem non adhibebam) Genuæ quidã pharmacopola, hic eruit, & radices ostendit, quæ eandem omnino similitudinem habebant cum nostra uocata esula: quippe in superficie subrubræ erant, & fõlia stricta, oblonga q; habebat, circa

maritima ortum ducebat. Quam ob rem uestram esulam apud Mesuem, minorem sebram esse arbitror: apud Auicennam absolutè sebram: apud Dioscoridem, illam tithymali speciem, quæ paralios quasi maritima nuncupatur, eo quòd in locis maritimis ut plurimum nascatur. Apud Serapionem nostra esula est tertia tithymali species, quã ipse corrupto uocabulo peralios pro paralios, sua autem lingua minghat uocat: quam uero ipse sebram nuncupauit, & eius interpres esula interpretatur, non est uestra esula, nec etiam tithymalus paralios, sed est Dioscoridis pityusa, quam tamẽ post species tithymali iterũ tractat. Res ita cõfusa est apud hos Arabes, ut difficile sit omnia ad unguẽ perscrutari. Nempe Arabicam linguam callere opus esset, si quis uellet omnia hæc probè distinguere. Scio autem plures species herbarum lac ferentium me uidisse, quàm à Dioscoride pertractentur. Quũ uerò de radice pityusæ dubitabas, quæ à Dioscoride turbet dicitur, nunquid uerum turbit sit, Respondeo Excellentißimum Leonicenum eam particulam in Dioscoride ἤ μ καλοῦσι τύρπετ, id est, quam appellant turpet, non esse à Dioscoride positam arbitrari, quia nomen barbarum est, sed potius tanquam glossema fuisse additum ab aliquo ita putante: nam plures Græci id credidere, & inter alios Actuarius, qui quum Arabum medicinas numerat, inquit turbit à Barbaris uocitatum esse radicem plantæ, quæ à Græcis pityusa uocatur: fortè Actuarius per Barbaros, alios quàm Serapionem intelligit: nam constat Serapionis turbit, non esse pityusam Dioscoridis, ut mox ostendemus. Marcellus etiam cum Leoniceno illam particu-

lam adiun

lam adiunctam esse suspicatur: Hermolaus nihil meminit, nec id caput cõmentatur. Ego autem in omnibus Græcis exemplaribus (quæ ad manus meas peruenere) eam particulam inueni. Sed fortè ab uno exemplari ducta & transcripta, in quo ita legebatur. Idq; uanum est dictu, à Dioscoride scriptum non esse, quia nomen Barbarum, acsi Dioscorides Barbara nomina fileat. Constat tamen posteriores Græcos pityusæ radicem, Barbarorum turbit esse putasse. Quod si in Serapione intellexerint, aberrant: si in aliquo altero, quem non uiderim, fortè uerum est, tamen hic non est rei nodus: sed quid sit ea radix, quam uulgò turbit appellamus, discernere oportet: post- Turbit.
ea nunquid turbit ab Arabibus descriptum, aliquo in loco à Dioscoride pertractetur. SEN. Hoc est quod peto, nam de hac re Excellentissimum Leonicenum differentem legi, sed ambiguè, & timidè proponentem. Tu mihi in hoc places, qui simpliciter, quid sentis aperis. BRA. Nunc duæ radices Ferrariam comportantur, altera subrubra, uel subnigra, aut cineritia, altera alba, quæ ex monte Gargano Apuliæ feruntur, & maritimis potissimum locis. Radix illa subrubra quandoque, aliàs cineritia, qua utimur, gummosa, est Mesue turbit: ideo potissimum in officinis turbit Mesue habetis, quod intus album, extra subrubrum, aut subnigrum, aut cineritium existit. Vidi ego plantam, quæ folia ferulæ non habebat, ut illi Mesue attribuit, sed myrti, maiora tamen. Ideo Mesue codicem corruptum esse arbitror, & myrti, non ferulæ legi debere. Est autem apud Dioscoridem myrsinite, id est, secun- Myrsinite.
da species tithymali, qui fœmina est, quoniam & ipse fo-

lia myrti, maiora tamen habet: quamuis in nostro antiquo Mesue in margine loco ferulæ scriptũ sit, aliàs fœniculi. Quicquid tamen sit, pro constanti habeo Mesue turbit secundam speciem tithymali apud Dioscoridem & Serapionem esse. Serapio autẽ de turbit alio modo pertractat: quippe inquit caricamon (legi debet caliumaris, quia ita à Romanis appellatur) est planta, quæ nascitur in littoribus maris, in locis scilicet quos mare cooperit quando crescit, quando uero est quietum, non tangit ea. Non enim nascitur intra aquam maris, nec est multum longe ab ea, & nisi quando mare turbatur, & crescit, nõ tangit ea, & habet fõlia similia plãtæ quæ dicitur arasatis (codex corruptus est: legi debet isatidis, ut Dioscorides inquit) nisi quia sunt großiora, & dicunt quidam quòd flos eius mutat colorem ter in die, quia mane est albus, & in meridie declinat ad colorem purpureum, in uesperis uero fit rubeus: radix uero eius est odorifera, alba, quæ quando masticatur, calefacit linguam, & reliqua. Tu modo Dioscoridem in capite tripolij legas eadem cum Serapione dicentem. Nempe inquit: Tripolium nascitur in maritimis ubi allidit unda, iterumq; retro cõmeat, neque in mari, neque in sicco planè: fõlia isatis habet arentia, longioraq;. Caulem palmo altum, in mucroneq; diuidentem se, huius in flore colorem tradunt mutari ter die, candidum mane, purpureum meridie, sanguineum sole occidente aspici, radice alba, odorata, calidi gustus. Ex his uides, quod Serapio turbit appellat, Dioscoridem tripolium nuncupasse. Videtur tamen Mesue in uiribus cum Serapione, & tripolio Dioscoridis conuenire:

quod ta

quod tamen uniuersim non est, sed in aliquibus propterea contingere potest ut radix illa Mesue, easdem uires habeat, quas Serapio suo turbit attribuit: imò si secundã speciem tithymali Dioscoridis legamus, quæ est Mesue turbit, statim plures uires habere deprehendetur, quæ in idem ferè uergunt, ideo non mirum si Mesue turbit plures uires habeat, quæ Serapionis turbit insunt. Hoc tamẽ Serapionis turbit, quod est Dioscoridis tripolium, nec in usu est, nec à nostris pharmacopolis cognoscitur. Ea uero radix alba, crassa, quæ ex monte Gargano ad nos affertur, est turbit Dioscoridis, id est pityusæ radix, est enim alba, crassa, & succo madida, & ex herba habente fõlia minuta exacuta similia piceæ sumitur. Multi uero putarunt esse turbit Serapionis propter candorem, decepti tamen, quia turbit Serapionis odoratum est, sed hæc radix est inodorata, præter id quod herbæ fõlia Dioscoridis pityusam esse ostendunt. SEN. In summa colli ge quicquid de turbit præcitatum constat. BRA. Lubentissime agam: Mesue turbit, est secunda species tithymali apud Dioscoridem & Serapionem: Auicennæ & Serapionis turbit, Dioscoridis tripolium est. Dioscoridis turbit (nisi textus mendosus, aut superfluus sit in capite pityusæ) pityusa est, de qua bis Serapio, & in ultima specie tithymali post septem Dioscoridis, & in capite de febram: unde uides quantum res oculatè noscatur, & quomodo quæq; herba hoc modo facile cognosci possit. Nam uocabulum Turbit ad hæc tria æquiuocum est, ad Mesue scilicet, Dioscoridis, Serapionis, & Auicennæ simul turbit. Denique quod Pandectarius duo capita fece-

rit, unum tripolij, aliud turbit, etiam ſecundum Serapionem: & Simon Genuenſis, an tripolium trifolium eſſet dubitauerit, & de errore Plinij in tripolio & polio, & quomodo Plinij cauſa Theodorus errauerit, qui in Theophraſto ubi dicit polium, tripolium uerterit, plura dicta ſunt ab excellentiſsimo præceptore Nicolao Leoniceno, ideo opus non eſt abſque aliqua utilitate hæc iterum repetere, quæ tu in illius uiri epiſtolis facile intueri poteris. Quam ob rem ad alia potius tranſire opportunum erit, ſi in primis te animaduertero à Germanis plurimis eſulam VVolfsmilch appellari, quod uocabulum lac lupi ſignificat: fortè quia ineptum lac, aut exedit, ut animalium lupus uoraciſsimum eſt. SEN. Pyrethron ſequitur. BRA. Herba apud nos in hortis frequentiſsima eſt, quam ruſtici drago appellant: Dracontea Latinè dici poteſt. Hanc grauiſsimi uiri pyrethrum eſſe arbitrati ſunt, ſed ita decepti ut rari ſint grauiores errores: quippe & folio, & ſapore, & uſu differunt. A Romanis pyrethrum herba ſaliuaris appellatur, quoniam ſaliuam excitet: & quum multa ſint naturæ calidæ & attrahentis, magis etiam quàm pyrethron, nihil tamen æquè bonum reperitur ad ſaliuam excitandam, ut pyrethron. Quam peculiarem proprietatem Latini conſiderãtes, ſaliuarem herbam nuncuparunt: ob caliditatis feruorem à Græcis pyrethron dicitur. Hæc herba in Apennini alpibus frequens habetur: folia paſtinacæ ſylueſtris, uel fœniculi habet, ut autores referũt, ſed mihi etiã apio cõparari poſſe uidentur, feruet quidem quod ex his montibus affertur, & magis ſi aridum, quàm uiride: tamen quod ex Græcia

Pyrethron.

Herba ſaliuaris

magis

magis feruet,& craßiores ſunt Græcæ radices noſtris. A Gallis pie daliſandre, à Germanis pertron nuncupatur.

SEN. Zedoaria occurrit. BRA. Et nomen, & res ipſa barbara eſſe oſtendunt: nuſquam enim apud Græcos zedoariam inueni, nec quid eſſet illa radix, quam zedoariã dicimus, quæ Alexãdria Aegypti Venetias portatur: ſcimus autem recentes,& Arabes in ipſa cõfuſißimos eſſe: nam Serapio de zurumbet tractans, zedoariã intelligit. Auicenna autem primo de zedoaria eodem modo quo Serapio de zurumbet ſcribit, poſtea aliud caput de zurũbet facit, tanquam de re à zedoaria diſtincta: & Simon Genuenſis ſe uidiſſe fatetur,& zurumbet radicem habet ſimilem cypero, ſed radix zedoariæ eſt ſimilis ariſtolochiæ rotundæ. Tertio Auicẽna caput de zeduar, à prædictis duobus diſtinctum facit. Simon uero per zeduar, zeduariam exponit: tamen Auicenna ueluti diſtincta ſcribit,& Dioſcoridem in zeduar adducit. Nos locum inuenire nequiuimus, imò Auicenna rem offuſcat: propterea Auicennam, Dioſcoridẽ nunquã uidiſſe arbitramur, præſertim in hoc loco, ſed potius Paulum Aeginetam, quem adeò imitatur, ut nõnunquam integrũ caput & integra remedia ſumat. Nonnulli uero etiã ſunt, qui Auicẽnæ zarnabum & zeduariã idem eſſe putarint, à quibus diſſentimus: nam zarnabũ (ſi recte coniector) id eſt, quod apud Paulum 7. lib.& Aẽtium Arnabo nuncupatur, quod in odoramentorum cenſu eſt, cuius rei gratia unguẽtis ſubinde inſeritur. Ab unguentarijs tertij calefacientium & areſcentium ordinis, caßiæ, carpeſioq; ſimile: quã ob rem in eius penuria Poſidonius cinnamomũ in ipſius locum

Zedoaria.

Zurumbet.

Arnabo.

ſubſtituendum eſſe cenſuit. Auicenna & ipſe ſuum zanarbum, quaſi arnabum, inter odorata numerat, & pro cinnamomo poni fatetur: quamuis Paulus cinnamomum pro ipſo poni fateatur. Ad rem noſtrã redeuntes, Serapio etiam aliud caput facit de zurumbet, ſed unũ eſt, quod in his rebus errare facit, Arabicorum nominum inſcitia, & præſertim orthographiæ, quoniã una dictio aſpiratè ſcribitur, altera nõ: quum autẽ ea lingua careamus, recte iudicare nõ poſſumus. Vnde Arabes meritò ægreferre poſſent Latinos eorum idioma omiſiſſe, quũ tamen ſummi in ipſo ſcripſerint uiri, qui ſi ita cõmodè, & fideliter interpretati eſſent, ut Græci autores, multa præcipua nobis oſtenderent, & in pluribus eos laudaremus, in quibus cõtemnimus. Putare enim oportet zurumbet, de quo iſti diuerſis locis tractant, uario modo ſcribi, quum res alia ſit. Nam zurumbet primo loco ſcriptũ à Serapione, ſcilicet capite 172. ab eo diuerſum eſt, quod cap. 270. ſcriptum reperitur. Primum enim radix eſt uocata zedoaria, ut eius interpres exponit, & etiã Auicẽnæ interpres. Aliud uero res altera eſt, & nos ſuſpicamur eſſe arnabo Græcorum: nam Serapio eo cap. 271. de zurumbet tractans Galenum adducit, in translatione Arabica ſecundũ Tarich: uerùm nihil eſt apud Galenũ, quod huic zurũbet correſpõdeat. Puto illũ Tarich deceptũ eſſe, & uoluiſſe adducere Paulum, nõ Galenum: nam Paulus in arnabo eadẽ præciſe dicit, quæ à Serapione adducũtur ſecundũ Galenũ in tranſlatione Tarich: imò & ipſe Serapio dicit Paulum eadẽ cum Galeno ſcripſiſſe, adeo ut nec una litera differãt: propterea arbitror illũ Tarich pro Paulo Galenum adduxiſſe,

xisse, uel in Galeno suo addidisse hoc, quod à Paulo, nõ à Galeno scriptum reperitur. Quod autẽ idem sit præcise cum arnabo Pauli, zurumbet ducentesimi septuagesimi primi capitis Serapionis, manifestum est, autorẽ autori comparando. Inquit enim Serapio: Zurũbet est ex speciebus odoriferis, & propter hoc admiscetur cõfectionibus aromaticis, & est calidum & siccũ prope tertium gradum, & est in uirtute sua simile cassiæ ligneæ et cubebis. Si modo Paulum in arnabo legeris, eadẽ ferè dicentẽ inuenies. Arnabo in odoramentorũ censu est, cuius rei gratia unguentis subinde inseritur ab unguentarijs: tertij calefacentium & arescentiũ ordinis, cassiæ, carpesioq; simile. Hinc uides zurumbet istud Serapionis idem esse cũ arnabo Pauli, & Serapionis zurumbet idem cũ zarnabum Auicennæ, si Auicennã legas, & cõpares ipsum Serapioni, in autoritate Isaach Eben Abraham, & in autoritate Meseah, & Mesarugie: quod etiã à Serapione dicitur: & dixit Consodonius, si nõ habes cinnamomũ, pone pro eo zurumbet. A Paulo per oppositũ refertur, arbitror Serapionis interpretẽ in causa fuisse erroris. Ita enim Paulus inquit: Quam ob rem in eius penuria Posidonius (nõ Consodonius, ut in Serapione legitur) cinnamomum in ipsius locum constituendum esse censuit. Non autem dicit quod arnabo pro cinnamomo ponatur, sed è contrario. Vnumq; animaduersione dignum est: Paulus arnabo carpesio comparat, & cassiæ: Serapio cassiæ ligneæ, & cubebis. Hinc elicere oportet, cassiam ligneam Serapionis esse Græcorum cassiam: & Serapionis cubebas, esse antiquorum carpesium. Tamen proprium caput facit Se-

rapio de cubebis, quæ idem facit cũ myrto syluestri Dioscoridis: unde errores arbitror ex interpretibus accidere, qui Latina nomina Arabicis accommodare nesciuerint. Nam si per cubebas hic intelligat myrtum syluestrem, errat, quia carpesium est. Si uero carpesiũ intellexit, cur deinde syluestrem myrtum cubebas nuncupauit? Nõ possum non addiscere Arabicam linguam, ut tot dissidia in nostra arte conciliem. Quod uero zedoaria & zurumbet diuersa sint, illud testimonium esse potest: quia Mesue in descriptione electuarij de gemmis, zeduariam primo sub uno pondere, postea zurumbet sub altero ponit, ut inde ad libellam deprehendatur, zedoariam quæ zurumbet dicitur, & zurumbet diuersa esse. Nonnulli recentes, radicem eam, quæ à nostris pharmacopolis Ben album appellatur, antiquorum zedoariam esse existimarunt, qui summe errant. Nam zedoaria, ut Arabes referunt, radicem rotundam habet, ben album longuã. Quid autem sit radix hæc apud antiquos, quam uos zedoariam nuncupatis, nondum mihi constat, sed breui inuenturos speramus, & iam coniecturas habemus. Galli zedoariã

Eryngium. cretonart, Germani zVVitten appellant. SEN. Eryngij radix sequitur. BRA. Nullus ferè est apud nos huius radicis in re medica usus: pharmacopolæ eas zucharo cõdiunt, & ad uirile membrum erigẽdum, & hyeme, ut uẽtriculus calescat, utuntur. Notissima herba est, quæ in maritimis Illustrissimi Ducis nostri locis ubertim nascitur: quamuis Dioscorides in asperis & cãpestribus prodire censeat, nec Dioscorides alterius speciei meminit, quàm radicem extra nigram, intus candidã habentis. Extat tamen &

men & eryngium radicem extra albam habens, quã omnes Italiæ pharmacopolæ zucharo uel melle cõdiunt. Vulgò rinzo dicitur, quasi eryngium: & conditum ex ipsis, rinzata, quasi eryngiata, id est, ex eryngio factũ nuncupatur. Dioscorides unam tantum speciem nouisse uidetur. Plinius lib. 22. cap. 9. & 8. & albam radicem extra habentem nouit, quam centum capita uocat: quod uocabulum Hispanum est, ut inquit Dioscorides, sed ipse absolutè suo eryngio applicat, Plinius uero tantum albo: imò & satiuam facit Plinius, & quæ sponte nascatur in asperis & saxosis, & in littoribus maris, in quo loco nos semper eam uidimus: unde centum capita eryngium est, præsertim album, tamen id nomen in nigro Dioscorides scribit. SEN. Loquuntur ne de eryngio Arabes? BRA. Loquuntur quidem, sed confusè. Nam Serapio cap. 89. de secacul tractat, quod recentes aliqui eryngium esse putãt, quamuis ab alijs polygonatum, id est, fraxinella à nobis dicta existimetur, sed hæc aliàs. Postea capite 96. de astarico (ut eius nominibus utar) quod dicit esse centum capita, & iringi, id est, eryngium, tractat, quo in loco duo simul confundit Serapio: unum est asteraticum, alterum eryngium: appellatq; asteraticum centum capita, quod nusquam ab antiquis factum apparet. Corruptũ uero nomen est apud Serapionẽ, quod ipse legit astaricon, Ateriscon legi oportet, nam ita à Dioscoride etiã nuncupatur: & quod dicit Serapio ab aliquibus bionion dici, buboniũ legere conuenit, ita Dioscoride appellante. Ibi Serapione considerato certe deprehẽditur astaricum suũ, uel centũ capita, esse asteraticũ Dioscoridis: postea de Iringo eodẽ

capite tractat, quod centum capita album uocat. Ex te ipso considera, quoniã simul eryngium & astericũ miscet, fortè uitio interpretis hæc sequuntur, qui uocabulum hoc centum capita, asteratico, & eryngio attribuerit. Quicquid tamen sit, Dioscoridem adducit Serapio in cẽtum capita radicem albam habẽte, de qua tamen nusquã à Dioscoride scriptum reperitur, & illi proprietates attribuit, quas suo centum capita nigro apponit. Dissidentes uidentur Germani in eryngio. Sunt qui herbam, quam wallen disteln appellant, eryngium arbitrantur, ac si dixerint carduum aggerarium: alij aduersantur, quoniam inodora sit eius radix, eryngij uero odorata, propterea alterã herbã esse existimarũt ab ipsis Eberwurtz dictam: alij schwverten appellãt. Quicquid sit, hoc dissidium ipsis relinquatur. Sat est apud nos circa maritima Illustriß. Ducis nostri utranq; speciẽ frequentẽ inueniri, quas simplici nomine rinzi, quasi eryngiũ uocamus. Sed unum est, pro quo ualde doleo, à nobis Arabicam linguã ignorari, imò coget nos quandoq; addiscere, & breui, modo præceptorẽ enãciſci poßim. Nam Serapio de eryngio tractans, sub nomine astaricon proponit: tamen aliud nomen pro eryngio in capite nardi scribit, nam Dioscoridẽ adducit, qui nardum montanã eryngio cõparat, ipse uero non eryngio, sed karsahane, uel secundum alium textum darsahane: unde opus est per hoc uocabulũ karsahane, eryngium intelligat, alioqui Dioscoridem nõ imitaretur. Sed quod magis est, Auicenna cõparat montanam nardũ fõlijs croci hortulani, arbitror interpretum male fidorũ uitio hæc omnia contingere, qui uocabulũ pro uocabulo

confu

confuderint, & capita capitibus immiſcuerint, ut apud Serapionem de aſteratico, & eryngio dictũ eſt: fortè eſt unum nomen Arabicum centum capita ſignificans, quod aſteraticum, & eryngium complectitur. Hæc aliàs diſcutienda relinquamus, ut deniq; de eryngio expeditum ſit. SEN. Hermodactyli ad lineam uenere. BRA. Plures in pentaphyllo errarunt, hermodactylon eſſe arbitrantes, id eſt, mercurij digitum, quoniã hoc nomine Dioſcorides etiam pentaphyllon appellet. Verùm pentaphylli radix ita à noſtris hermodactylis differt, ut nox à die. SEN. Quid ergo ſunt hermodactyli noſtri apud antiquos? BRA. Arabes, præſertim Serapio, ſub hoc nomine hermodactylus, duo cõplectitur, Dioſcoridis Colchicon, & ephemeron: ut ex eo apparet, hæc deſcribente, quamuis nomen corruperit: & ubi achimeron legitur, ephemerũ ſcribendum ſit: nec mirum, quoniã & apud antiquos eodem nomine ſignificatur: quippe apud ipſos per hoc uocabulum ephemeron, inuenio, tam Colchicũ interficientem, quàm ephemeron non interficientẽ ſignificari. Hoc conſtat, ſi quis Paulum Aeginetam de Ephemero loquẽtem legat, ubi dicit: Ephemerum, non quod letale eſt & noxium, ſed quod iris ſylueſtris appellatur: ut oſtendat per ephemeron etiam id quod letale eſt, intelligi. Adde in alexipharmacis Nicandrum de ephemero loqui, quem in Colcho infeſtum cenſet, ut ferè hanc differentiam innuat, ephemeron aliud Colchicum, id eſt, ex Colcho eſſe, aliud alterius generis. Hoc præterea Paulus Aegineta libro quinto, capite 48. clarius oſtendit, in quo libro de uenenis agit, dicẽs: Si quis ephemeron, quod

Hermodactylus.

Ephemerum.

Colchicum aliqui, aut ſyluestrem bulbum appellant (Romani nanq; bulbum ſyluestrem nominant.) His uerbis manifeste deprehenditur, per ephemerum etiam Colchicum intelligi. Imò & Dioſcorides idem teſtatur, qui in capite Colchici, ephemerum etiam nuncupat, acſi innuat duplex ephemeron inueniri, Colchicum, de quo prius tractat, & quod peculiariter ephemerum nũcupatur. Vnde & ſi ephemeron Colchicum ſignificet, tamen præcipuo nomine id ephemeron eſt, quod ueneno caret, quanquam hoc nomen ephemeron à uenenoſo deductum ſit. Verum per excellẽtiam loci in quo naſcitur, & ob facinora Medeæ ex Colcho, nomen ephemeron ad non uenenoſum relictum eſt, & uenenoſo ea excellentia tributa eſt, ut Colchicum dicatur. Dictum uero eſt ephemerum, quoniam una die interficiat. Eiuſdem rei Galenus teſtis eſt, qui de ephemero loquens inquit, ſe non de Colchico, quod uenenũ eſt, ſed de eo, quod Iris agreſtis dicitur. Vnde ephemeron idem ſignificat, quod apud Arabes ſurugem, & apud recentes hermodactylus. At ſub ephemero Colchicum comprehenditur, quod uenenum eſt, ita peculiariter appellatum, ut Plinius libro 28. capite decimo, ipſum uocat, & in id quod peculiari nomine ephemeron dicitur, de quo idem Plinius libro 25. cap. undecimo. Ex his uides, non eſſe damnandos Arabes, qui cum Græcis idem ſentiunt, licet ſub uarijs nominibus, nec etiã rem eſſe incertam, ut nonnulli arbitrantur. Serui eo antiquitus utebantur, quod Colchicum dicitur, tanquam refugium in deſperatione. SEN. Id quo utimur, quid eſt? NRA. Colchicum eſt, ſi Dioſcoridis notas cõſiderabimus.

SEN.

SEN. Est ergo uenenum. BRA. Venenum penitus, propterea soluit usque ad sanguinem, quandoque natura non ferente. SEN. Quare eo utimur? BRA. Ego nunquam utor, ne quempiam uolens interficiam, quum præsentaneum uenenum esse noscam: opus esset nos ephemeron accipere, eo autem caremus, ideo usu uenit, ut ephemeri loco colchicum sumeretur. Certus sum in quersetis me uidisse, & sexcenties ephemeron excauasse, quum essem Comaeli apud illustrissimum & excellentissimum Patronum meũ HERCVLEM ESTENSEM, & Satyrionis radices quærerẽ, herbæ occurrebant, quæ lilij fõlia, teneriora tamẽ, & flores cãdidos, amarosq; habebãt. Vno autem moueor, ut præter ephemeron & colchicũ, aliud esse hermodactylum putem, quoniam Paulus Aegineta libro septimo de hermodactylo scribit, quod dicit peculiariter & priuatim articulorum doloribus ualere, tamen de colchico & ephemero diuersa capita fecerat: ideo arbitror, & ita est, alium hermodactylum esse præter numeratos, quod articulorum morbos sanat, quoniam nec in ephemero aut colchico Dioscorides, Plinius, Galenus, Paulus, Aëtius quicquam de articulorum morbis loquuntur, nisi uelimus Paulum per hermodactylum colchicum intelligere, quum de colchico tanquam de re simplici loquutus non est, sed ut res uenenosa est, libro quinto, & tunc cum Arabibus conueniet, præsertim Mesue qui rotundũ perfectiorẽ esse censuit, quod ad ea ad quæ ualet intelligendum est, utputa ad articulos. Si uero altera res sit Pauli hermodactylus, mirum est quur non pinxerit, quum à nullo altero (quem uiderim) pictus sit. Et quãuis

Serapio Galenum adducat, apud ipsum nũquam inueni: arbitror à Paulo accepisse, ut multa alia, in quibus tamẽ Galenum adducit. At si res altera à colchico sit, Arabes huius hermodactyli uires cum ephemero confuderunt: nos quandoque Colchicum gustare tentauimus, castaneæ saporem habet, sed paulò post strictura quandam circa asperam arteriam persensi, acsi manu stringeretur, mox uaccinum lac bibentes, nihil incommodi sensimus: fortè apud nos ita uenenosum non est, ut in Colcho, nam ex Gargano Apuliæ monte ad nos confertur: non sine noxa soluit: folia ellcboro similia habet. A Gallis hermodantes, à Germanis zeitlos nuncupatur: quãquam & alij alijs nominibus utantur. SEN. Dictamni radices offeruntur. BRA. Herbam quandam in Apennino prope Bononiam, aut in Veronensibus montibus pharmacopolæ eruunt, quam dictamnum uocant, quæ nec ipsa est, nec etiam pseudodictamnus, quia ambo pulegij folia habent, quadam lana parum obducta, sed in pseudodictamno rami breuiores sunt. Nascitur uero dictamnus solũ in Creta, imò in asperis tantum, & montuosis Cretæ locis: alibi degenerat & pseudodictamnus efficitur, imò & in locis Cretæ non asperis habetur, sed in pseudodictamnum & ibi degenerauit. Cognoscitur & gustu, quia gustu acris est. Vidi Murani Venetiarum plantam in ædibus pharmacopolæ Campanæ, quem fata impia nobis sustulere immeritò, ut qui iuuandis mortalibus, plurima, nulli parcens impensæ procurabat, & noua semper molieba-

Dictamnus.

tur. Mirorq; de Hermolao, qui dicat Patauij dictamnum uidisse, ueram tamen non credidisse, quia in Creta solum

nascatur

nascatur. Tamen hæc, quam uidi, erat uera dictamnus, è Creta Venetias allata, quæ nondum degenerasse potuerat, ob breue spatium. Quam uero nostri pharmacopolæ uendunt, nec dictamnus est, nec pseudodictamnus, quia eorum indicijs caret, nec tertia dictamni species huic nostro accommodari potest. Quid uero sit hæc nostra herba, ignoramus, tamen pulchra est & pulcherrimum florem, & odoratum fert. Verùm ut Dioscorides de origano, pulegio, & dictamno successiuè pertractat, quæ sunt ferè eiusdem uirtutis herbæ, ita Serapio uno capite de fandenagi eas comprehendit, de dictamno tanquã de specie pulegij pertractans: quod perperàm exponens Pandectarius, fecit, ut multi Serapionem eo capite confusum existimarent, quum tamen non sit. Dictamnum habere mihi ita facile uidetur, ut lactucam, quum singulis annis Venetorum naues, & Illustrißimi ducis nostri ad Cretæ littora appellent. Folia, & radices habere conueniet, nec flores, nec semina facit: imò procurabimus, ut nota planta habeatur. Sed de Virgilio fortè mirandum, qui duodecimo Aeneidos flores habere in hunc modum cecinit:

Tum Venus indigno nati concussa dolore
Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis, & flore comantem
Purpureo, non illa feris incognita capris
Gramina, quum tergo uolucres hæsere sagittæ.

Putandum est summum poëtam non ueram dictamnum intellexisse, sed tertiam illam speciem, quæ à Theophrasto nono de plantarum historia, solo nomine dictamnus nuncupatur, quam Dioscorides florẽ, agresti origano similem ha

milem habere dicit, nigrum, & folia suauissimum odorem spirare: quod nigrum scribit, in purpureum inclinantem accipias: quippe nullus flos niger penitus inuenitur. Eandem tertiam speciem à Statio intelligi arbitror, quum flores habere & ipse fateatur. SEN. Ergo uera dictamno caremus. BRA. Caremus. SEN. Ideo satyrionis radices quæramus. BRA. Non est opus in edocendo satyrione multum immorari: quippe notissimæ sunt utræque satyrionis species, & in Bononiensibus, ac Mutinensibus montibus ubertim, & crassa radice nascũtur. Bulbus ferè uidetur, qui & in Ferrariensi solo apricis locis nascatur: estq; unus tantũ bulbus. Hi enim decipiũtur, qui orchim, uel orchim serapiadẽ, id est testiculũ, uel testiculũ serapiadẽ pro satyrione accipiunt: nam Orchis duos bulbos habet, maiorem, & minorem, qui testiculi uidentur, unde nomen sortiti sunt: tamen uel orchis radicem, aut satyrionis acceperis, ad Venerem irritandam conueniunt. At satyrionis radix efficacior, utpote cui etiam nomen à Satyriasi, uel à satyris animantibus procacibus inditum sit. Mira naturæ diuersitas in coloribus florum harum herbarum: nunquam uidi naturam magis colludentem, quàm in istis, magis uarij sunt, quàm irides: quandoq; uarietates spectans Comacli in sabulosis, tot erant, ut uix expedire possem contẽplans quin prandium amitterem, & ferè in meridiem perducerer. Theophrastus cuiusdam herbæ meminit ex India, cuius contactu homines ad septuagesimum coitum durare fatetur, quæ ex horum genere fortè est. Meminit & Hermolaus in Corollario radicis cuiusdam herbæ, quæ nunc Bucheidem nominatur ad

Satyrion.

Orchis.

Bucheidem.

tur ad illum usum. Quid uero Bucheidē sit, non exponit, nos sedulò perquirētes inuenimus esse genus habēs orchis similitudinem in radice, cum humana palma: propterea ab herbarijs palma CHRISTI nuncupatur, à qua palma modo quinq;, modo quatuor, modo sex radices prodeūt, ut digitos ferè imitari uideatur. De hoc autē orchi palmā imitāte nusquā Græci, aut Plinius, fōlia habet satyrionis similia, præsertim primæ speciei: tamen non adeò crassa sunt, & pūctis quibusdā ueluti stigmatibus decorantur. De ipsa, Auicenna secundo canone pertractat, capite ducēteſimooctauo, sub hoc nomine Digiti citrini. Nos plerunque excauauimus in sabulosis, circa maritima. Sed mirum est de Serapione, qui id attribuat Italis mulieribus, quod Dioscorides Thessalicis, & demum omnes Serapionem imitari uideantur, quum tamen Italæ mulieres huius radicis uires ignorent, quamuis frequentißimam habeāt. In prima enim orchis specie, inquit, in Thessalia ad incitandam Venerem mulieres ex lacte caprino radice illa uti: hoc autem Italis mulieribus Serapio, & eius assectæ attribuunt. A Gallis saterion, à Germanis uario modo Orchim cū satyrione cōfundētibus: quippe hæc nomina habēt, quibus orchis species significāt, stēdelvvurtz, ragvvurtz, Kreutz blumen: tamē satyrioni magis conuenit stendelvvurtz, quàm aliquod alterū. SEN. Vitis albæ radices prodeunt. BRA. Vtinam & in hoc loco prodirent, ne quærere cogeremur: hic enim efficaciores sunt quàm Ferrariæ, quanquam Ferrariæ non desit. Græci ampeloleucem & bryoniam, Latini albam uitem appellāt: nō quia uitis sit, sed quod similitudinem cum uite habet, Vitis alba.

A Latinis etiam psilothrum nuncupatur, quia ex ipsius acinis pelles confici possint, & depilari: uel etiam quia depilatoria unguenta ingreditur, imò ipsa per se sola, & sapone (ægrè autem) depilat. In nostris sepibus & senticetis ita crescit, ut nonnunquam alicuius foueæ spinas uniuersas tegat, & arbores scandet, & sepes tanquam strangula uestis exornet. Duæ sunt huius uitis species, alba, quam nunc colligis, & nigra, quæ & ipsa priuatim ad
Vitis nigra. multa ualet. Nigra in Ferrariensi agro frequens non est, quum alba nullo non in loco sit. Et nostrum uulgus bryoniam appellat: quamuis frequentius hoc nomine zucha saluatica utatur, ob similitudinem, quam cum cucurbita habet, rependi. Alij uiticellam, ob similitudinem quam cum uite habet, uel ob nomen dixerunt: ex ipsa asparagos, fŏlia, radicem, & fructum seruato. Nec uitem nigrā omitterem, quæ propriè bryonia est, & uua taminia. Differunt hæ uites, quoniam alba radicem albam, fructū racemosum, rubentem, & fŏlia similia uitibus habet: nigra uero hederæ fŏlijs proprie similacis, fructu racemoso in principio uiridi, postea nigro, radice foris nigra, intus buxei coloris insignitur. In officina tua, & hanc nigram habere nihil impediet, tamen ne albam deseras. SEN. Nunc albam seruabo: de nigra aliàs loquemur. Id autem scire uoluerim, quid de hac uite Arabes sentiant. BRA. Quum Galenus uitem nigram albæ uires habere, ineffaciores tamen, fateatur, ea carere nihil erit incommodi. De Arabibus modo quid sentiam enucleabimus. Serapio has duas uites optime distinxit, & edocuit, nisi à Barbaro interprete expositus esset. Auicenna quoq; de sesira,

id est

id est, uite alba prius, postea de fesiresim, id est, uite nigra pertractat, & egregie, nisi essent plures corruptiones in codice: nam principio calidam in tertio dicit, postea tēperatè calefacere censet, quod apte calefacere legendum arbitror. Mesue etiam (si fidum interpretē habuisset) rem optime pertractasset. SEN. Propter quid Manardus eum reprehendit? BRA. Quoniam ita sibi instituit, ne quis in Mesue decipiatur, qui uno capite de alba & nigra uite pertractat, ideo nō mirū si modo albā, modo nigrā edoceat, præsertim quum eisdē uiribus insigniantur, quæ tamē in nigra hebetiores sunt. SEN. Elleborori albi, & nigri radices sequuntur. BRA. Veratrum albū hoc, & illud nigrū dicitur, quoniā radices illis coloribus insignitæ sunt: qui radice tantū differre arbitrātur, aberrāt, quoniā et fōlijs etiā differūt, ut picturæ ostēdūt, et ipsæmet herbæ. Ferrariæ in pluribus hortis utrunque ueratrum habetur, non tamen ita efficax sicut alibi, tamen uehementissime etiā soluit Ferrariense, ut experiētia rerum magistra edocuit. Herbæ sunt apud multos poëtas decantatæ, & quæ in prouerbiū apud antiquos iuerint, quoniā fatuis, & insanis medentur. Nostri pharmacopolæ utrunq; genus, ex Mutinensibus montibus, Bononiensibus, & nonnunquā Veronensibus petunt. Olim ueratrū albū in usu erat frequentissimum apud Hippocratem, & Galenum: quia molestè educit, relictum est, & nigro solum utimur. Nunc iterum album in usum uenit, correctū enim mire educit. Ego drachmam albi sumēs, nunquā minus molestam euacuationem habui: & quibusdā insanis non correctū exhibui, & mirè profecit. Ex albo radices,

Elleborus.

Veratrū albū.

Veratrũ nigrũ, ex nigro radices, & semina seruato. Nigrum peculiariter in Anticyra, album in Cyrenaica, & Sicilia apud Aetnam montem nascitur, arida loca amat: tamen nec quod apud nos nascitur Italum spernerem. SEN. Messue dicit album ueratrum corporibus nostri tẽporis esse molestum, imò eis esse uti uenenũ: Manardus eum reprehendit, quoniam Pauli tempore elleborismo per album utebantur, & hoc etiam tempore: bonum non puto uenenosum. BRA. Nos autem aliter sentimus, & bonũ, & malum esse uenenosum, quoniam Dioscorides uenenum esse testatur, quia strangulare dicit. Fortè de malo intelligere monebit. Nos autem & de bono loqui probamus: quippe primum locum Cyrenaico elargitur. Addit postea, quod in Galatia & Cappadocia est, candidius, pulue rulentum, & maiore strangulandi ui est. Ac si dicat, omne album ueratrum strangulat, sed Galatum, & Cappadocum præcipue: nec Plinius hoc inficiatur. Imò sexto libro Dioscorides, capite uigesimotertio, de eo tanquam de ueneno tractat. Nec putes album dici quia candorem habeat, sed quia quodãmodo in album inclinat, & illud iunceũ habet (de quo Dioscorides) album. Albo elleboro uti cœpimus, qui mitior redditus arte, atra bile laborantes, & scabie Gallica affectos mirè sanat, ut quotidiana experientia demonstrat, sed optime corrigendus est. SEN. Quibus medijs? BRA. Ferrariæ te docebo. Germanis nies VVurtz dicitur, id est, radix sternutationis.

Agaricus, SEN. Interim Agaricum quæramus. BRA. Cur Agaricum inter radices numerasti? SEN. Quoniam & Dioscorides numerat. BRA. Non dicit radicem esse, sed ita

sed ita ferri. Nam & Galenus radicem autumat, quæ in ilice sit: Plinius uero melius sentit, longum esse, cãdidum, odoratum, nocte relucẽtem, ideo noctu colligitur. Dioscorides incertus uidetur, quippe qui modo secũdum aliquos radicem, secundum alios fungũ in arboribus fateatur, sed uerè fungum esse docet Plinius, in glandiferis arboribus præsertim innascentem. Ilignam syluam habet Illustriß. Dux noster ALPHONSVS prope Comaclum: sæpius illac spatians circa ilicum radices ueluti fungos inueni, pro agarico accepi, sed uti nõ audebam, quoniã nigrescebant & subruffi erant: tandem uno albo inuento, eo usus sum, & pituitosam materiam educere uidi. Quam ob rẽ & in Italia nascitur, & apud nos, & in Gallia frequenter per syluas equitantes, circa quercũ radices uidimus. Verum ex Sarmatia per Illyrium Venetias affertur, etiã ex Galatia. & Cilicia Alexandriam, & Alexandria Venetias. Nostri pharmacopolæ unum bonitatis indicium, esse friabile censent: Dioscorides negat, utpote qui Galatum, & ex Cilicia infirmum dicat, quia friabile. In mare, & fœmina assignandis Mesue, & Dioscorides conueniunt. Quippe Dioscorides masculum in seipsum conuolutum, rotundumq;, & undiq; concretum fatetur: fœmina rectas habet intus, pectinum modo, uenas, & diuisiones, masculumq; non laudatum, fœminam bonitate antecedere. Eodem modo Mesue fœminam masculo præfert. SEN. Vnde sortitũ est hoc nomen agaricus? BRA. Quid hoc ad rem? emes tu Venetijs hunc fungum, tamen, ne huius nominis rationem subterfugere uidear, Ptolemæus Agarum urbem, & amnem in Sarmatia scribit. In Sar-

matia uero optimus agaricus nascitur, eo præsertim loco, qui Agarus appellatur: ideo Agaricus à loco nomen sumpsit. Prius zizibere præparare solebãt, nũc etiã absq; noxa eius puluis cum saccharo sumitur. Medicina familiæ ab antiquis dicebatur, uel quia omnibus membris ualeat, uel ita salubris est, ut cuicunque ex familia, non seruata ætate, sine delectu dari possit. Ventriculum offendere, constat, & caput optime iuuare. A Gallis agaric, ab Hispanis nostro nomine agarico, à Germanis danschvvun nuncupatur. SEN. Asodili radices sequũtur.

Asphodelus. BRA. Asphodeli proferre oportet. SEN. Nomina non curo, modo rem ipsam nouerim. BRA. Imò, ne quibusq; rusticis, & male feriatis uiris similes simus, nomina curare debemus: præsertim quum in promptu sint nostro hoc tempore idiomata, & candidiores literæ floruerint, & perseuerent. A Latinis hastula regia dicitur. Antiquitus hac radice uescebantur. Romani etiam Albucum nominant. Radices illi assignat Dioscorides plures, oblongas, teretes, glandibus similes: mihi uidetur radicem unã habere, à qua plures prodeunt, quarum quælibet pæoniæ radicem imitari uidetur. Sunt enim longæ, & rotũdæ: sed si tractentur, molles. Iam cœpit passim haberi in hortis Ferrariæ, adeò ut nullus sit, qui asphodelum ignoret. Ex Bononiensibus montibus, & Veronensibus Ferrariam portatur. Quandoque digitales radiculas, uel bulbos, qui ex crassiore radice prodeunt, sexagenarium numerum excedere uidimus. Plinius fatetur, quandoque Autumno colligi asphodelum, à cuius radice octuaginta adnati bulbuli in aceruum uisi sunt. Ex hoc in his montibus se-

mina,

mina,& radices habeto. Nec id te lateat,quamuis albucus appellatur. Plinius tamen eius caulem Albucũ,ipsum uero totum Hastulam regiam dici mauult. Fuere tamen qui duo genera facerent, per albucum candidum intelligentes scapum paulò ampliorem habens, purum, & leuem: asphodelus uero, aut hastula regia acinosum caulem habet: nec defuere qui in marem & fœminam partirentur. Vnum animaduersione dignum est, in Gallia me uidisse pro asphodelo alteram herbam uendi, quæ bulbos quidem habet, sed breuis est herba, quum asphodelus inter bulbosas herbas maximus sit, propterea id nomen hastula regia sortitus est. Imò & hunc errorẽ quidam pharmacopola noster fecit, sed admonitus, uerum asphodelum habere curauit: eius enim bulbosæ herbæ radices copiose in Ferrariensi agro habẽtur, loco qui Sammartina nuncupatur. Gallia frondiles, Hispani gamones, aut gamonites uocant. SEN. Tormentillæ radices sequuntur. BRA. Nisi hæc herba pẽtaphyllon sit, nusquã apud antiquos uel iota unum inuenire potui, ut plurimum in Italia septem fõlia habet, tamen & quandoque quinq;,ut duo parua fõliola, pro fõlijs computanda non sint. Nostri pharmacopolæ in Bononiensibus montibus eam inueniunt, sed iam cœpit in hortis Ferrariæ passim plantari: herba cubitalis est, florem purpureum habens, paruum, cespitem quodãmodo facit, à quo cauliculi emanant, supra quos fõlia in septẽ partes diuisa, aut quinq;, uisuntur. Nonnulli apud Dioscoridem saxifragam esse censuerunt, decepti tamen, quoniam nec eius uires habet, nec illi pictura conuenit. Pandectarius bistortam uocat,

Albucus.

Hastula regia.

Tormentilla.

quum bistorta altera radix sit, nisi ita in suo natali solo uocetur. Rubeam præterea ex colore quem radix habet, nuncupat, cui Genuensis assentire uidetur, et re uera (præsertim in summa parte) radix eo colore insignitur. Veneti pharmacopolæ nõnulli ex hac herba trochiscos theriacos pro uiperarum carne faciũt: quod & Hermolaus in pentaphyllo fatetur, rationem addens, quoniã uiperæ modo (ut ipsi putant) nunquam uisuntur, qui quantum aberrent, tu ipse iudex esto. In his montibus radices solũ colliges: nisi pentaphyllon sit, herba noua erit, id est, antiquis incognita. Nõnulli apud Germanos tormẽtill, alij RotVVurtz, BlutVVurtz alij nuncupant. SEN. Ad saSaxifraga. xifragæ radices ueniamus. BRA. In hac etiam herba uariæ ambages sunt, quoniã multæ sunt herbæ, quas nostrũ uulgus saxifragas nuncupat: fuere qui uocatã pimpinellã pro saxifraga sumerent, alij herbam alteram pimpinellæ similẽ, alij similẽ tritico, alij nostro uocato garyophyllo, alij tormentillam accipiunt, alij herbam tormentillæ similem dicunt, alij quam uocamus euphragiam sumũt, alij Cretano marino similem, alij cretanum ipsum, alij à nobis uocatam sancti Petri herbam. Verum nullam harum saxifragam esse ex hoc apparet, quia Dioscorides epithymo similem esse dicit: sed harum nulla cum epithymo similitudinem habet, nec surculosa est aliqua prædictarum, ut saxifraga pingitur. Quam uero uos pharmacopolæ in officinis habetis, quæ est radix subrubra, cuius herbæ folia pimpinellæ assimilantur, non modo hæc non esse illam ostendunt, sed nec sapor, qui omnino adstringens est, si mandatur. Nos saxifragam Dioscoridis nunquam

quam uidimus, quòd meminerimus: empetron uero frequenter in Liguriæ montibus, mare uersus. Dioscorides duo capita facit: Vnum, de saxifraga, quam tamen empetron appellari dicit. Aliud, de empetro, quod etiam phacois uocat: sed alias uires empetro, alias saxifragæ tribuit. Vnde Marcellus caput de saxifrago superfluũ esse suspicatur, tum quia Dioscorides non incœpisset suũ caput à Latino nomine, tum quia empetron ipsam uocat, tum quia à Paulo, qui breuibus omnia pertractat, quæ à Dioscoride scribuntur, de saxifragâ sermo nõ fit, sed tantum de empetro. Quicquid sit, quũ diuersãm figurã, & diuersas uires saxifragæ & empetro tribuat, diuersas herbas esse arbitror, nec caput superfluum esse. Nõ moueor autem quòd Latino nomine incipiat, quia ita appellari audiuit. Et si Paulus tamen omiserit, nõ mirum, quia pauciora scribit, quàm Dioscorides fecerit: imò & nõnulla, de quibus nunquam Dioscorides tractat, ut de arnabo suprà dictum est. At quũ saxifraga ab effectu appelletur, quia saxa frangit, intra quæ nascitur, & eodẽ modo empetron, propterea herbã in mõtibus quærerem, quæ dum oritur, saxa scinderet, & per scissuras exiret, & epithymi figuram haberet. Hermolaus in suo Dioscoride herbæ figuram deesse tradit: Marcellus in antiquißimo suo reperiri inquit, ἐπιθύμῳ ἐμφερῆς, id est, epithymo similis: quum tamen epithymus herbæ figurã non habeat. Quicquid sit, si huius cõmunis saxifragæ radices, & herbam colligere placeat, facito: sin minus, eam relinquere poteris, utpote antiquis & recentibus ignota. Nam Simon Genuensis inter recentes quosdam refert unam her-

bam accipientes, alios alteram pro saxifraga. Idem etiam Pandectarius, & nostri recentes in hortis uarias herbas ostendunt, ac seminant, quas omnes saxifragas nuncupãt, & pro frangendo lapide impendunt. Aliàs determinate omnes recentiorum species assignare statuimus, & quid sint, ostendere. Nũc satis habeas, illam radicem, quam in Bononiensibus montibus, & Veronensibus colligitis, non esse Dioscoridis saxifragam, aut empetron didicisse, imò & recentes in ea dubitant. SEN. Quum hic nostræ saxifragæ radices præsto sint, colligere non desinam, ne quandoque ab aliquo imperito medico expeteretur, ego autem carerem. BRA. A Germanis stein brech appellatur, quod nomen saxifragis impositum est: nam & alia quædam peculiaria nomina habent speciebus saxifragæ recentiorum, ut gryenkraut, quia Ischiadicis potissimum medeatur, & meerhyrfz & schlutren, quorum differentiam ipsis relinquere statuimus. SEN. Ideo ad spodium ex cannis secundum Auicennam descendamus. BRA. Nõ ab re secundum Auicennæ sententiam addidisti, nam ipse tali spodio utitur, quum uerum spodium fortè non habuerit: nos uerum spodium habemus, ideo ex cannis, & fictitium despicere oportet. Non defuere tamen recentes qui non solum Auicennam reprehendunt, uerùm ex nulla altera re spodium fieri posse censent, quàm in fornacibus mineralibus. Hi autem maxime decipiuntur, quoniam Dioscorides quinto libro, & Galenus ubi de spodio, & Plinius multa, quæ pro spodio poni possunt, & quibus modis cinis fiat, qui antispodium uocatur, edocent: fit enim ex oleastro, ut quinto libro, & ubi de oleastro tra

Spodium.

Antispodium.

stro tractat Dioscorides monet. Sumitur autem oleastri, aut oleæ coliculus, fit ex malis cotoneis exossatis, ex gallis, ex linteorum lacinijs, ex candidis moris immaturis, ex lentisco, ex terebintho, ex floribus labruscæ, ex folijs tenerioribus rubi, ex coma buxi, ex pseudocypero, id est, fal so quadrato iuncum cum suis floribus, ex germine fici in sole siccati, ex glutino taurino, quod nos collam garauellam uocamus, ex lana aspera succida pice aut melle madida. Deficiente spodio, omnibus his uti possumus loco eius: & ideo antispodia, ac si dictum sit, pro spodio, nuncupantur. Et ideo Auicenna reprehendi non debet, si cannarum radices adustas, & ante ipsum Serapio, spodium dixerint. Nempe certum est de minerali spodio, id est, fornacibus inuento nõ loqui, sed de antispodio, id est, de eo, quo, loco spodij uti possumus. Constat autẽ & ipsum radicum cannarũ cinerẽ pro antispodio poni posse. Quod autem Auicenna, & Serapio Dioscoridis antispodiũ nouerint, caput de tutia apud ipsos leges, nam eo de ucro antiquorum spodio loqui, à Caminis accepto percipies: quam ob rem malus interpres in causa fuit, qui commodè uocabula non reddidit. Et ideo hi autores non erant ita temerè explodendi, ut quidam recentes explodunt, sed potius corrigendi, ut in eo lemmate quo spodio scriptum est, de antispodio legatur. Fuit error interpretis, spodium, pro antispodio interpretantis, ubi postea de tutia in inscriptione posuit. De pompholyge, & spodio, legendum erat. Est autem spodium apud Dioscoridem, Plinium, Galenum, Paulum, Serapionem, & Auicennam, & cæteros omnes fidos autores tale: quoties æs

purificare contendunt, in fornaces imponentes, fumus eleuatur, subtilior, & leuior, qui fornacis culmini inhæret: hic pompholyx dicitur: à nostris recẽtibus, & Arabibus Tutia nũcupatur. Vnde pompholyx est æris, & cadmiæ fauilla, uel bulla (ut nomen ipsum indicat:) spodiũ uero est pars fumi ponderosa, & nigrior, quæ fauillas simul mixtas habet, & quandoq; carbones: hoc est uerum spodium, quo in officinis uti deberemus: tamen quũ opus sit spodio uti, pompholygem semper, id est, tutiam accipito. Nam hoc edocet Galenus, qui nunquam spodio usus est, quia pompholygẽ habebat: ideo & nos spodiũ dimittamus, quia pompholygem habemus. Si pompholyge careremus, spodio uti oporteret: quod si haberi non posset, ex ære spodium, aut ex argento, uel auro (nam & spodium argenti & auri fit, quod Plinius lauritim appellat, & oculis aptius est) ex plumbo accipi iubet Plinius: si ex nullo metallo haberi posset, ex rebus præcitatis fieri oporteret, & hoc antispodium esset. Nec illud Auicẽnæ ex cannarum radicibus despicerem, aut ex animalium ossibus, ut quidam ex elephantum dentibus, alij ex collo parant. Quum ergo spodio indigemus, pompholyge utamur. Si pompholyx, id est, tutia desit, spodium sumatur. Deficiente spodio, in primis aureo, argenteo, æreo, denique plumbeo antispodio utamur: quod uel ex rebus à Dioscoride dictis, uel ex cannarum radicibus fiat. Verùm pompholyge carere non possumus, quum in Italia, et in propinquissima Germaniæ parte plures metallorum fodinæ non desint, ubi & uili pretio emitur. Multi uero spodiũ & pompholygem cõfundunt, quum

Tutia.
Pompholyx.

manifẽ

manifestißimis indicijs deprehendantur. At ex radicibus ad metalla transiuiſſe uidemur. SEN. Non equidem transiuimus, quia de ſpodio cannarum, quod radix eſt, loquebamur. Tu uero ad ampliorem doctrinam de ſpodio ex metallis tractasti, præſertim quia immeritò Auicenna in antiſpodio ſuo ex cannarum radicibus, uel adustarum cõfrictione, aut data opera igne taxabatur: uerùm hæc aliàs, ut ad rem noſtram reuertamur. BRA. Nonnulli Germani tutiam uel ſpodium Nix uocant, alij Nil, quod & Latinum nomen eſt. Ideo cauillari ſolent æquiuoco argumento dicentes: ſi nil ualet oculis, non ſanabuntur: ſed Nil ualet oculis, igitur ſanabuntur. Vides æquiuocationem eſſe in uerbo, Nil: cauſa autem apparentiæ in paralogiſmo identitas nominis eſt. SEN. Hæc Dialecticis omittantur, & ad Biſtortæ radicem ueniamus. BRA. Imò ſophiſtarum munus eſt, hæc tractare. Ad tuam biſtortam accedentes, plures herbarij hanc herbam, quam uos ob radicem biſtortam dicitis, apud Dioſcoridem Catanance eſſe cenſuere, præſertim ſecũdam ſpeciem: quod & Hermolaus teſtatur. At eam non eſſe facile deprehendi poteſt, quoniam Dioſcoridis Catanance radicem paruam ceu oliuam habet, & fõlia oleæ figura & colore: ueſtra autem biſtorta non habet radicem ut oliua, ſed multo maiorem, & nigram, & geniculatam: nec fõlia biſtortæ, oleæ fõlia figura & colore imitantur, ſed potius figuram lapathi acuti habent, adeò ut quandoque ſpeciem lapathi eſſe ſuſpicatus ſim: tamẽ in nulla quatuor ſpecierum reperitur: equidem fõlia acuti lapathi habet, quæ ex uno latere quodammodo cœru-

Nix.
Nil.
Biſtorta.
Catanance.

lea sunt, ex altero herbacea. Radicem habet extra nigram, intus rubram, uel in quendam ruborem tendētem. Radicem adstringentem esse constat, propterea ab his recentibus in menstruorum abundantia accipitur. In his montibus eam collige. Herbarij nostri ex Bononiensibus montibus petunt, & radicem solam seruant. SEN. Habet'ne aliud nomen, quàm Bistorta, uel Bitorta? ERA. A radice bistorta dicitur. Aliqui minorem lappam appellant, alij Bardanam minorem: sed nomina sunt potius ad placitum, quàm aliqua ratione imposita. Illos tamen deceptos esse constat, qui bistortæ radicem, been rubrum esse putarunt: quippe rubrum been, & fōlijs, & uiribus, & radice aliud est à uocata bistorta. Nihil denique de his loqui oportet, qui bistortam tormentillam faciunt: adeò fatuè & absque sensu loquuntur, quum bistorta rumicis fōlia habeat, tormentilla in septem partes distincta. SEN. Nihil habes apud antiquos certi de bistorta? ERA. Quandoque britanicam Dioscoridis, bistortam esse suspicatus sum, quia fōlium habet Rumici syluestri
Britanica. simile: postea alia non respondebant, quippe britanica fōlium habet nigrius, pilosiusue rumice, & radicem breuem & tenuem. At bistorta rumicis quidem fōlium habet, sed nec nigrum, nec pilosum, imò ualde leuigatum, & radicem magnam, rationeq; herbæ crassam, continet.
Astragalus. Illi præterea decipiuntur, qui bistortam Astragalum esse arbitrantur: quoniam etsi astragalus radicem rotundam habeat, raphani modo prælongam, nigris alijs agnascentibus præduris & implicatis ut cornua, gustu spissante: tamen bistortæ radix alia forma uisitur, nec habet ramos, &

mos, & folia ciceris bistorta, ut Astragalus. Propterea hanc bistortam antiquis incognitam censeo, quam & Galli bistorte uocant: à Germanis uero pro serpentaria sumitur magno errore, ut qui frigidum pro calido ponant. Imò & bistortam herbam nonnulli in Germania drachenvvurtz, & nottervvurtz (nomina à serpentibus ducta) appellant: quanquam non desint, & qui bistortam schlippen uocent. SEN. Carlinæ radices sequuntur. BRA. In Bononiensibus montibus chamæleonta duplicẽ inueni, albũ, & nigrum. Idem in Mutinensibus plerunque me uidisse accidit: sed præter hos duos, quidam papus aderat, tanquam cardui echinus, latus, purpureus in summo, aculeatus undique, qui sine foliis è radice supra caulem exibat: hunc illi herbarij Carlinam uocabant, & locorum accolæ. Tunc carlinam chamæleonem album non esse suspicatus sum: nempe antea continuo carlinam & chamæleonem idem esse putaueram, & nomen corruptum esse, & carlina, quasi chamæleon diceretur: unde herba noua carlina erit, de qua nusquam antiqui, nescio an folia duabus uel tribus carlinis, quas uideram, abrepta essent. Id tamen scio, uos pro carlina chamæleontis albi radices sumere. Vbique nascuntur chamæleon albus & niger, & omnibus notissimæ sunt herbæ. Vnde carlina à chamæleonte altera erit: finguntq; herbarij, quia in medio tanquam sagittæ uulnus habere uidetur, Angelum de cœlo missum id fecisse sagitta tangens, ut Carolo magno eam ostenderet, qua eius exercitum à pestilenti morbo liberaret: hæc puerilia sunt, tamen quosque rem tibi oculata fide ostendam, pro carli- Carlina.

na, huius chamæleontis radices & in his montibus po=
Chamæleon. tius quàm alibi colliges. Chamæleon dicitur ex ſimilitu=
dine, quam cum chamæleonte animali in ſerpendo, & in
mutatione colorum, penes uarios terræ affectus habet.
A Germanis uiediſtel, & mariẽdiſtel chamæleones appel
lantur. Sed quæ ita à Germanis dicuntur, potius cardui
ſpecies ſunt, quàm chamæleones, ideo pro chamæleone
Sigillum ſanctę carduũ ſumũt. SEN. Sigilli ſanctæ Mariæ radices ſequun
Mariæ. tur. BRA. Nunquã legi Glorioſam uirginẽ ſigillũ ha=
buiſſe, aut literas miſiſſe, minus imaginari poſſum, ſigil=
lum radices habere. SEN. Eſt herba quæ ita nuncupa=
tur. BRA. Non habet aliud nomen? quomodo appel=
labatur antequã Virgo Maria in lucem prodiret? SEN.
Id ignoro, tamen alijs etiam nominibus appellatur, ut à
Genicularis. geniculo radicis, genicularis, & fraxinella. BRA. Opti
mũ eſt plura nomina nouiſſe: iam intelligere cœpi, quid
per ſigillum ſanctæ Mariæ uelis. Ea herba eſt, qua mulie
res ſibi faciem extergunt, & fucant, etiam ſigillum Salo=
monis dicitur. SEN. Ea inquam, ſed & radix ad rem
ueneream, ſaccharo conditur. BRA. Hæc apud Dioſco
Polygonatum. ridem & antiquos Polygonatum eſt, quæ candidam radi
cem habet, pluribus geniculis plenam, cuius ſaporem Ga
lenus, & Paulus explicare neſciuerunt. Recentes nõnulli
craſsiſsimo errore detinentur, putantes apud Serapionem
ſecacul polygonatum eſſe, quum ſecacul, non eryngium
(ut interpres dicit) ſed altera radix ſit: recte ab aliqui=
bus genicularis dicitur, nomen Græcum polygonatum
ſcilicet exprimentes: à polygonio mare & fœmina diſ=
fert, quod nos uulgò corigiolam uocamus. A Gallis, ſeau

de noſtre

de nostre Dame: à Germanis ex colore, VVeisuortz, id est, radix alba nuncupatur. Ventriculum roborat melle condita, sed saccharo gustu perfectior, & suauior creditur. SEN. Cynoglossæ radices prodeunt. BRAS. Quam pharmacopolarum turba caninam linguam putauit, è solo eleuatam, canina lingua non est, quia per terram sternitur canina lingua, & plantaginẽ in foliis imitatur, sed ob scabritiem, caninæ linguæ assimilatur. Ferrariæ habetur, in sabulosis locis abundat: ibi eam colligerẽ, utpote efficaciorem, herbamq; & radices seruarem. Ab Hispanis lengua de perro, à Germanis hundtszung nuncupatur: quamuis Germani herbam à terra eleuatam, surculosamq; pro cynoglossa sumant: alteram tamen ab ea, quam nostri herbarij sumunt: nostrũ uulgus eam nullo nomine insigniuit, imò iacet despecta, & sine ratione calcata. Amœnissimum locum habet illustrissimus princeps noster, & alterum tempe, Pado circundatum, quem Beluedere appellat: ibi cynoglossa pulchrior, quàm alibi uiderim, mire uiret. SEN. Duronoci sequuntur. BRA. Doronicum à Græco nomen est: tamẽ apud Græcos nunquam doronicum repperi (nisi tu barbarè duronigo, uel durungo proferre malueris, ne à Græco desumas) minus à Latinis pertractatur. Arabes soli nobis hæc dora, id est, dona tribuere, quibus in uarijs simplicibus debemus. Serapio de his pertractat: sunt enim radices paruæ, dulces, in formam (ut inquiunt) calami aromatici, quæ plures medicinarum compositiones ingrediuntur, ut electuarium de aromatibus. Aliàs quot sint apud antiquos explicare conabimur: nondum compertũ nobis est,

Canina lingua.

Doronicum.

Been ad hoc usque tempus doronicum. SEN. Been albi, & rubri radices occurrunt. BRA. Recentes inter ben, simplici e scriptum, & been duplici e, differentiam faciunt: primum est fructus quidam, secundum, radix. Reuera hæc nomina barbara sunt, ben, been, uel behem, suo modo tractent illi, & scribant: nam ut in rebus recentes, ita in orthographia cõfusi sunt. Quicquid tamen sit apud Arabes Ben uel Been, granum est angulosum, magnũ ut auellana: à Dioscoride quarto libro, balanum myrepsicem, à Latinis glandem unguentariam appellatum. Plinius uno nomine Myrobalanus uocat. Apud nobiles mulieres Ferrarienses notissima est hæc glans, qua oleum inodorum, id est, omni odore carens exprimunt, tamen ad omnes suscipiendos aptum. Autores m folio dissident: nam Plinius heliotropij fõlium habere censet. Theophrastus quarto de plantarum historia, myrti, Dioscorides myricæ, Theophrastus etiam fructum cappari, Dioscorides auellanæ comparat: nec mirum, quia res eadem mihi sub una forma, illi sub altera præsentatur, præsertim si non multum differant formæ. Hoc been, id est, myrobalanum in tua officina habeas, non solum ad odores, sed ad rem medicã. Venetijs emito: ex Aethiopia, Aegypto, Arabia, & Iudæa Alexandriam fertur, postea Venetias: sed istud been potius inter semina numerandum erat. Quicquid autem sit, non pauci recentes decipiuntur, qui pro been, baccas cici, id est, herbæ uulgò dictæ myrasole, accipiunt, & ex eis oleum parant, quod pro oleo de been uendunt. Quum tamen à Dioscoride primo libro oleum cicinum, & ab Arabibus oleum de cherua dictum sit, quod ab oleo balanino

Ben.

Glans unguentaria.

lanino, id est (ut more ipsorum loquar) oleo de been separat. Imò si nunquam de his Dioscorides tractasset, constat aliud esse Myrobalanum, aliud cicum. At ad rem nostram redeuntes, uos duas radices in officinis seruatis, quarum altera ben album, altera ben rubrum appellatis. Ben album in Bononiensibus & Veronensibus montibus frequens est: foliũ habet magnitudine foliorum oleæ, sed in acutum tendit: radix ferè per terram serpit, è qua multi ramuli hincinde crescunt, ut in glycyrrhiza fit, florẽ ueluti stellam albã habet. Been uero rubrum circa maritima nascitur: ad nos ex monte Gargano, id est, sancti Angeli defertur, ut conijctari possum apud Arabes nõ Ben, sed Behem proferendũ est, de quibus Serapio capite 223. Quid uero sint, non possumus uel ex Serapione, aut Auicenna colligere, qui eorum colorem tantum edocent. Ideo an sint istæ radices quæ ad nos afferuntur, incerti sumus. Græci (quod sciuerim) hæc nunquam scripsere. At quia hominum animis ita receptum est ideo & tu Behem album hic collige, rubrum ex alijs locis habebis. SEN. Corallina sequitur. BRA. Inter radices corallinam numeras? SEN. Radix non est, sed quia terræ inhæret, propterea in radicum loco ipsam disposui, dubitabam an inter herbas numerarem, uerùm nihil cum herba commune habere uidebatur, nec cum radice: de his autem nihil ad nos, modo ipsius copiam in officinã portem. BRA. Hic non habetur, sed circa mare, in lapidibus & ostrearum testis: græcè βρύον θαλάσσιον, Latinè muscus marinus dicitur: de eo Dioscorides libro quarto pertractat. Pandectarius & Genuensis lichenem herbam cum musco ma-

Ben album.

Ben rubrum.

Corallina.

Muscus marinus.

rino cõfundere uidentur, sed grauius Pandectarius, quàm Genuẽsis, quippe qui omnia absque ordine simul misceat, quæ bryon nũcupãtur, & præsertim in hoc marino bryo & lichene: sed de his uiris nihil ad nos, qui muscum falsò, & usnem comparẽt, & Dioscoridem peßime adducunt, ut apud ipsos caput de Aijnech legito. Vnde breuibus, quam Corallinam uocamus, & in frequenti usu pro puerorum uermibus est, à Dioscoride, Galeno & alijs muscus marinus nuncupatur: sed hanc uim ignorarunt antiquiores, quòd uermes interficiat, quam posteriores ita esse comprobarunt, & nunc tota Græcia eo pro uermibus utitur. Imò sunt qui per plateas & uicos attritam corallinam uendant, ita ferè clamantes, χολιτοβότωνορ, χολιτοβότωνορ, ac si dixerint, uermes interficiens, uermes interficiens: quamuis suo uulgari idiomate uerba in i potius finiant, dicentes χολιτοβότωνι. Mulieres pro uermibus puerorum uili pretio emunt: herba est omnino, & herba à Dioscoride dicitur. Vno tantum perturbor, Plinium eadem ferè de muscо marino scripsisse quæ Dioscorides, uno dempto, quia Plinius lactucæ fõlium habere dicit, sed crispius. Constat autem nostram uocatam corallinam lactucæ fõlio carere, imò similis est muscо, imò muscus: unde Hermolaus qui Dioscoridem per Plinium interpretatur, lactucæ fõlium habere dicit, quoniam & Plinius capite octauo libri uigesimiseptimi, ita scriptum reliquerat. Marcellus uero Capillata herba interpretatur: nam codex Dioscoridis Græcus τριχῶδες legit, quasi in modum tricharum, & capillorum. Hermolaus autem interpretatur, ac si scripserit

τριδ'α

τριδακῶδες, id est, in morem lactucæ, non autem τριχῶδες: uterq; uerum dicere potest. Plinius folia quædã serpentia latiora considerans, quæ formam lactucæ habent, & ferè muscum concomitantur. Dioscorides capillamenta illa, quæ propriè muscus sunt, ut de una re Plinius, de altera Dioscorides loquatur, sed eodem loco nascantur. Nobiscum Marcellus est, aut nos potius cũ Marcello. Nec moueor, quòd eisdem uiribus Plinij bryon, & Dioscoridis insigniantur: quoniam nõ ab re est, duas herbas eodem præcisè loco natas, easdem uires habere: hæ autem circa mare, inter lapides atq; saxa nascuntur. SEN. Est'ne aliquis ex antiquioribus, qui ad puerorum uermes corallinam ualere scribat? BRA. Nullus (quem sciuerim) sed non est opus, omnia ab antiquis scribi, & nos ab eisdem omnia petere: nuper inuentum est hoc, & ita esse nemo non scit: imò corallina soluit, ut experientia oculata fide demonstrat, quam tamen inter constringẽtes res antiquiores enumerant. SEN. Nonnulli tamen reperiuntur, qui solum antiquos sectari uolunt, nullis alijs credentes. BRA. Hi eorum ingenia abiecta, uilia, & absq; iudicio existimant, quæ noua quædam inuenire non possint. Id nescientes, facillimum esse inuẽtis addere, & duce experientia multa inuenire: nam & antiqui homines fuere, & in multis plurimi errarunt, nos multa in dies uia regia inuenimus, & experientia, quæ fortè ab alijs inuenta fuere, sed à nullo scripta, quẽ nouerim: nihil enim est, quod non efficiat humanus animus, modo uelit. SEN. Vnde sumptum est hoc nomen corallina? BRA. Quia ut corallus in aqua nascitur, & ubi coralli nascuntur,

etiam inuenitur, propterea non pauci decepti sunt, corallorum folia esse putantes: & hi peius sentiunt, qui
Corallium. corallinam & corallium idem fecere: quanquam & corallium puerorum uermes necet, & eorum comitialem morbum, quem Brutam uocamus, tollat. SEN. Zenestræ radices occurrunt, tamen non sunt in magno usu. BRA.
Genista. Non Zenestram, sed Genistam proferre debes. A Dioscoride σπαρτίον, & Galeno σπαρτὸν appellatur: flores, radicem, atq; herbam seruato. Mesue inquit genistam siliquas facere in modum lengibi: interpres pro lengibi, orobum uertit, quum fasellum significet. Ideo interpres dedit ansam Manardo reprehendendi Mesuem, non ipse Mesue, qui siliquas genistæ fasello comparat, quãuis non
Imperatoria. sit ingens differentia ab orobi siliquis. SEN. Imperatoriæ radix, & endiuiæ sequuntur, sed endiuiam in Ferrariensi agro habere studebimus. BRA. Cur in tua officina Imperatoriam habere studes? ingreditur ne compositiones aliquas? SEN. Non equidem, sed ethologis, & pseudomedicis nonnullis eam uendo. BRA. Quam herbam Imperatoriam putas? quippe Leoniceno uisum est, Ligurum Imperatoriam, uerum ligusticum esse, tamen multæ herbæ uarijs in locis Imperatoriæ dicuntur. SEN. De illa nunc loquor, quam ita Ferrariæ appellamus, tria folia habente, quorum medium in tres partes distinctum est: quæ è lateribus sunt, in duas, ut medium folium coronam ferè imitari uideatur. BRA. Herbam noui, sed nusquam apud antiquos (quod sciuerim) eam reperi: contra quartanas ualere certum est, & ad eruendos partus, ac faciles reddendos experta. Cerebrum expurgat,

& ab

& ab superflua humiditate liberat. SEN. Quam qualitatem habere putas? BRA. Experimento, & uia regia Galeni, calidam & siccam esse deprehenditur. In montibus Bononiensibus copiose prouenit. Reliqua prosequaris. SEN. In calce radicum sumus. Cortices sequuntur, quos prosequi incipiemus, si dulci quiete, & gratis obsonijs uētriculum & membra donauerimus. BRA. Vt lubet agatur.

DE CORTICIBVS, QVORUM IN FERRARIENSIBUS PHARMACOPOLARUM OFFICINIS USUS EST.

BRASAVOLVS.

EIA expediamus, Cortices numera, quos Herbarius in hunc sacculum colligens seruabit. HER. Operi accinctus sum. SEN. Granatorum cortices alijs corticibus ianuam recludunt. HER. Diebus elapsis sacculum horum corticum collegi. BRA. Verum est, ubi de floribus sermo incidit, Malicorium ab antiquis dici ostendimus. SEN. Citri cortex sequitur. BRA. Et hunc corticem in fructibus tractauimus, quem nunc saccharo condientes uentriculo roborando paramus, & ars in summo est, ut nihil addi possit. SEN. Ergo ad Sambuci cortices accedamus. BRA. Et de sambuco in herbis expeditum reliquimus. SEN. Cinnamomi cortex consequitur. BRA. Cinnamomum nostri pharmacopolæ non habent, sed loco eius cassia Syringe utuntur. A Dio- Cinnamomi cortex.

ſcoride Moſylicum, ex Moſylo Aethiopiæ promõtorio, in quo eſt harum rerum emporium, collaudatur. Id etiã probat Dioſcorides, quod nigrum colorem habeat, & quod quum uino diluitur, in cineritium colorem tranſit, quod habet uirgulta tenuia cum leuore, quod habet nodos per totum continuos, & quod odoratiſsimum eſt. Quod autem animaduerſione dignũ eſt quum inquit colorem nigrum habere, & quod quum uino diluitur, in cineritium colorẽ tranſit, nam hoc modo interpretatus eſt Marcellus. Hermolaus aliter exponit, ſcilicet aritudine cineris fuluum. Serapio autem Dioſcoridem hoc loco refert, ac ſi dicat cineritium colorem habere cum rubore. Re uera à Serapione diſſentire non poſſum, quũ hæc ſint Dioſcoridis uerba, τῇ χρόᾳ μέλαν τεφρίζον ὡς ἐπὶ οἰνώδεϛ, id eſt, colore nigrum: uerùm quia nigrũ exquiſitè non eſt, addit, tanquàm cineritium in uino, ac ſi dicat cineritium in rubro, ut Serapio refert, & Galenus optimũ Cinnamomũ cineritium eſſe in theriaca ad Piſonem fatetur. Ibi enim Cinnamomi notas edocens, inquit τεφρώδεϛ τῇ χρόᾳ, id eſt, cineritium colore. In libro etiam de Antidotis, ubi probatiſsimũ Cinnamomũ deſcribit, talem colorem habere inquit, tanquàm ſi lacti phæum & parũ cyanei miſceatur. Si autem hæc tria ſimul iuncta ſint, album, phæum, id eſt, fuſcum, & cyaneus, fit ille color cineritius cum uino, id eſt, cineritius cũ rubore, ut ego in pluribus rebus, & coloribus ipſis dum hæc ſcriberemus, experti ſumus: erat autem talis rubor, ut potius in ſubcineritium inclinaret. Quam ob rem Serapioni potius inhæreo, quàm Marcello ſibi ſuam interpretationem fingẽti,

& Her

& Hermolao. Ad rem nostrã redeuntes, cinnamomo caremus, præsertim perfecto, quod Mosylicũ dicitur, & à Galeno in libro de Antidotis, odorem qui dici nõ potest, habere iudicatur, & gustum calefacientẽ, sed non ita ualide ut mordicet, & tristitiã faciat. Colorem habet, qualem suprà diximus. Additq; in libro de Theriaca ad Pisonem, id probatissimũ esse, quod uirgulta gracilia habet, & frequẽtes nodos, odorẽ longe optimũ, suauissimumq;, & gustu acre nobis apparet, mordax admodum: postea addit, Διαμασσώμενον φυγαιζέρ δοκεῖ: id est, Mansum, rutæ similitudinem præ se ferre uidetur. Qui Galeni locus ostendit Manardum celeberrimũ immeritò Marcellum taxare, qui in probatis codicibus se inuenisse, rutæ odorẽ spirare, fatetur: nam & hoc Galenus proculdubio censet: Nec refert q, grauis sit rutæ odor, & à Galeno cinnamomũ odoratissimũ prius dicatur: quia simul consentit aliquid odoratissimũ esse, & quodammodo in rutæ odorem spirare, quod in Dioscoridem intelligendũ esse, Serapionis testimoniũ probat, inquiẽs, & melius eo etiã est, quod cum odore optimo suo trahit odorem rutæ, & cordumeni. Ad rem igitur, qui uolunt uocatam canellam esse cinnamomũ, decipiuntur, cum ob alia multa, tum ob hoc præcipue, quia canella nõ habet frequẽtes nodos, & canella est tanquã cutis, ut Plinius & Theophrastus testãtur, cinnamomũ tanquã cortex: quãuis Dioscorides in hoc illis aduersetur, etiam canella corallorum colorẽ habet, nõ autem cinnamomũ, sed prædictum. Tamen quum sex species cinnamomi inueniantur, ut Galenus locis citatis, Dioscorides, Theophrastus, & Plinius censent: imò

Cinnamomum mosylicum.

Canella.

inter optimum & peßimum genus ſit maxima diſtantia & differẽtia, nõ dubito nos aliquã ſpeciem habere, & uidimus album cinnamomũ, & nigrum, id eſt, quod in hos colores inclinabat, & quod eſt ſimile caßiæ rubenti, ſed moſylico caremus, quod inerrabilẽ odorẽ habet: & ſi accidat nos optimo cinnamomo uti debere, duplũ caßiæ accipere poſſumus, id eſt, duplũ probatißimæ canellæ: nec argumẽtum Quinti, quod Galenus in libro de Antidotis refert, alicuius momẽti eſt, ſi deberemus bibere cyathum uini cretici, & deſit, nos debere duos cyathos loræ bibere: & ſi deſit panis ex ſimilagine, duplũ furfuracei edere debeamus. Argumentũ hoc ad rem nihil facit, nam quod de cinnamomo, & caßia dicitur, idem eſt ac ſi ad ferendum pondus uiro forti indigeremus: at ipſo forti uiro caremus, duos debiliores accipiamus. Canella autem quæ pro cinnamomo ſumi debet, ea eſt, quæ Gizir uel Gizi nuncupatur. Difficile autẽ eſt & optimũ cinnamomũ & optimam canellã noſſe, niſi ſæpius experti ſimus, ut Galenus teſtatur, nam pſeudocinnamomũ, & pſeudocanella habentur: tamẽ ſi quis expertus eſt (ut Galenus in libro de Antidotis tradit) facillimum eſt ad cognoſcendũ optimũ cinnamomũ: quanto magis bonũ eſt, tanto diutius durat: & hi ſummè delirant, qui cinnamomũ ſenio nõ affici cõtendunt: imò, ut præcitato loco inquit Galenus, nõ ſeruat ad trigeſimum annũ ſynceras ſuas uires. SEN. Si noſtra canella cinnamomũ nõ ſit, quid igitur eſſe iudicas? BRA. Conſtat apud antiquos, quod canellã appellamus, caßiã eſſe, & caßiam ſyringa. Caßiam uero nũc à nobis ita appellatam, quæ ab Arabibus fiſtula uocatur, aliares eſt, de

qua

qua (ut in fructibus prædiximus) antiqui nunquã tracta runt. Vt autem ad rei summã accedamus, tria sunt apud Ferrarienses & Venetos pharmacopolas, quæ cortices sunt. Vnum, cassiam ligneam ad differentiã cassiæ quæ sol uit, appellant: aliud, canellã: tertium, scauezonum dicũt. Scauezoni sunt canellæ frusta & meptiores partes, & in horum genere quãdoq; cinnamomi frusta inueni, odorata ualde, colorẽ mixtũ ex albo, lacteo, fusco, & cyaneo, & nodos frequẽtes habẽtia: quã appellatis cassiã ligneã, est pseudocassia Dioscoridis, quæ & si cũ cassia similitudinem habeat, gustu tamen deprehẽditur, nec odorata est aliquo modo. Quam uero canellam dicitis, est uera cassia Dioscoridis, nõ cinnamomũ: tamen quia inter cassias, id est, nostras canellas, aliqua frusta inueniuntur, quæ cãnas longas, angustas, crassas, & fistulis plenas habent, gustu erodentes, & adstringentes cũ aliquo feruore, odoratas, & odorem uini referentes. Hæc est prima species à Dioscoride descripta, quæ à barbaris dicitur Lada. Et in fasciculis nostræ cassiæ aliqua nigrescens inuenitur, quam Dioscorides ζίγις appellari dicit: quamuis Galenus in libro de Antidotis duas syllabas habere fateatur, quarum prima est γ & ι, secũda est ex ζ, & ι, ut ςίζι dicatur. Propterea Hermolaus à Manardo reprehẽditur, qui dixerit à Galeno γίζις appellari, quũ Galenus etiam literas numerans, γίζι scriptum reliquerit. Non uidit autem Galenum alijs in locis uario modo proferentem, nam in Theriaca ad Pisonem probatißimam cassiam laudans, ab incolis inquit ζιγγίβεις appellari: propterea in his Barbaris nominibus nemo reprehẽdendus est. Id autem addam,

inter fasciculos cassiæ nos frequenter cinnamomum uidisse, & non ut Hermolaus dicit, quod cassia ad nos ueniat, sed xylocinnamomo inueniri. Multa genera & cassiæ & cinnamomi ab autoribus ponuntur. Tu met Dioscoridem, Theophrastum, Plinium, & Galenum præsertim in libro de Antidotis legere poteris, ubi horum species exactè tractantur: mihi nunc satis fuit, nostram canellam speciem cassiæ esse, demonstrasse, & quam dicũt cassiam ligneam, esse pseudocassiam, & cinnamomum quandoq; inter frusta cassiæ Scauezonos appellata, inueniri. SEN. Tecum sentiam, quousq; meliora discere potero. BRA. Nunquam meliora disces, nisi hoc uerũ esse confirmes, quempiam per Venetorum nauigationes Alexandriam mittens, qui in Felicem Arabiam equitet. Is poterit uerum cinnamomum, aut ueram cassiam afferre: quanquam hic idem Alexandria, dextrorsum iter petens in Aethiopiam ad Mossylicum promontorium accedere possit. Hæc de cinnamomo, & cassia lignea, cassia syringa, & canella dicta, quam eodem nomine Galli & Hispani uocant canella, Germani uero zimmet: non desunt tamen qui rindem addant, id est, corticem. SEN. Mandragoræ cortices sequuntur. BRA. In mandragora plura sunt, quæ cortices nũcupari possunt, & in fructu, & in radice, & in foliorum costis. Quem corticem accipitis uos? an radicis corticem, quem Dioscorides filo suspendi, & seruari dicit? SEN. Illum inquam. BRASA. Et solum cortex apud uos in usu est? SENEX. In somniferis quandoque fructibus utimur. BRASA. Tamen ex mandragora plura à Dioscoride seruare iubemur,

Mandragora.

quæ

quæ singulatim explicare tentabimus. In primis autem duo Mandragoræ genera ab autoribus poni scito, præsertim Dioscoride: secundum genus Morion dicitur. Hermolaus id pomum esse putat, quod uulgo desdegnoso nuncupamus, in fictili supra fenestras nascens. Argumentum habet, si quis ex hoc pomo comederit, insanus fit, ex hoc inquam quod morion dicitur. Nostra autem hæc poma Ferrariæ supra fenestras frequentia Melanzana (à Neapolitanis præsertim, à quibus in summo honore habetur, & in magno usu est, & etiam Venetis) appellãtur, quasi mâla insana, hæc autem potius coniectura est nullius momenti, quàm argumentum. Nam illustrissimas Isabellam & Iuliam Taraconenses per totam æstatem eiusmodi poma melanzana comedentes uidimus, & singulis annis, in pultarijs decocta, & quandoque frixa, ex oleo, sale, pipere, & quandoque aceto: tamen nunquam insanæ uisæ sunt, sed in dies sapientiores euasere. Nec ego ab illis abstinui, imò & ipsæ illustrissimæ sorores ad me cocta miserunt, quum Ferrariæ habitarent. Expulso enim patre Federico rege Neapolitano, exules per Gallias cum patre, matre, & duobus fratribus iuere. Alterum fratrem apud Hispaniarum regem habebant, qui captiuus custodiebatur, patre uita functo. Mater illustrissima & sanctissima in Italiam uenit, & Ferrariam petijt Millesimo quingentesimoseptimo, ubi usque ad Millesimum quingentesimum trigesimumtertium annum, infelicissimam uitam, sed sanctissimam, duxit, quippe omnia incommoda, omnia sinistra, omnes infelicitates, & calamitates illi accidere, quas humanus animus ferre potest: quo anno Morion.

infeliciſſimam illam uitam, cum uera & ſempiterna commutauit illuſtriſſima Iſabella Bautia (hoc enim nomine uocabatur.) Poſt matris obitum duæ pudiciſſimæ ſorores, Milleſimo quingenteſimo trigeſimo quarto Ferraria diſcedentes, maximo omnium dolore & ploratu, Valentiam petiere Hiſpaniæ Taraconenſis urbem, ubi frater olim captiuus, nunc Prorex effectus moratur. Interim dum mater uitali aura fruebatur, duo fratres obierant: unus in Gallia, alter Ferrariæ Cæſar illuſtriſſimus. Sed his omiſſis, ad Mandragoram ueniamus: quippe ſecundam mandragoræ ſpeciem à Dioſcoride poſitam melanzanum eſſe inficiamur, uel (ut nos dicimus) deſdegnoſum pomum. Primam uero ſpeciem lata fŏlia habentem, in his montibus colligere poteris. Eam etiam in Bononienſibus montibus frequentē uidimus, ſed ex monte Gargano ad nos potiſſimum affertur. Ex ipſa ſequentes partes ſerua, ex mare præſertim, non ex fœmina, quia in marem & fœminam partitur Dioſcorides, & fœmina multo minora fŏlia habet, & pomum in duplo minus, quam mas. Primo igitur ex cortice uirentis radicis ſuccum ſerua, radices tunde, poſtea prelo exprime, & inſolatus ſit quum denſatus concreuerit, in uitreatum uas, aut picatum ſerua. A Dioſcoride poma colorem uitelli oui habere dicuntur, à Theophraſto, & Plinio nigra. Re uera nec certe nigra dici poſſunt, nec lutea, tamē in luteum potius colorem inclinare uidentur: præterea radicis corticem filiculo ſuſpenſum ſerua. SEN. Hoc eſt quod ſeruamus. BRA. Imò radices in uino ad tertias coque, & pro graueiſſmis doloribus, & membris ſecandis ſerua: nec fŏlia deſpi

despicito, quæ sale seruantur: etiam uinum ex cortice radicũ sine coctura fit. Si uini dulcis cadũ acceperis, & corticis pondo tria coniecceris, pro his qui secari & uri debent, poma & ipsa cõserua, & liquorem ex radice incisa manantem. SEN. Omnia seruabo: sed quid est, quod Dioscorides caule carere tradit? BRA. Theophrastus & Plinius, hic libro uigesimoquinto, capite undecimo, ille sexto de plantarum historia, caulem habere censent. Dioscorides aduersatur, caulẽ habere. Sed res ipsa iudex sit, breuem habet caulem, ideo non mirum si absque caule à Dioscoride pingatur: illi uero caulem habere uoluerunt, quia breuissimum saltem habet. Sed hæc aliàs. Nunc id tantum addam, impostores circunforaneos inueniri, qui radices humana effigie insignitas ferant, quas mandragoras esse testantur. Sunt autem fictitiæ, & manu factæ radices ex cannarum radicibus, humana effigie sculptis, postea plantatis: nascuntur radiculæ paruæ, quæ representant capillos, herbam, pectinis pilos, & ex terra eum colorem acquirunt, ut radix esse uideatur: fabulantur uero adeò alte clamare hos homunculos, ut obturatis auribus erui oporteat, quod faciunt hac radice, canis caudæ adalligata, & plura alia fabulamenta, ut numos extorqueant à miseris ignaris, fingunt. Si uero Columellam in horto adducas, mandragoram semihominem uocantem, uel deceptus est hic autor, uulgi opinionem sequutus, uel (quod magis probo) ita scripsit, quia eius radix in duas fibras ueluti in duo crura diuiditur. Hispani, ut nos, Germani alraun mãdragoram uocant. SEN. Cortices medij castanearum sequuntur. BRA. Per medium corti- Castanea.

cem, intelligis'ne illum qui inter echinum & subtile hymen castaneæ carnem tegens cernitur, qui immediate echinum sequitur? SEN. Non: sed hymen intimum, id est, pelliculam illam intimam, quæ castaneæ carni inhæret. BRA. Nihil ferè aliud ex castanea Dioscorides laudat, quàm pelliculam illam: eam enim magis adstringere censet, quàm alia superiora coria, quum tamen & ipsa constrictiua sint. His autem & castaneæ carnem exhibent, qui ephemeron, id est, hermodactylum colchicum biberint, quod uenenum est. SEN. Cortex ille uarias compositiones ingreditur, eam præsertim, quæ in frequenti usu est, unguentum de comitissa nuncupatum.

Iouis glans. BRA. A Græcis balanus, & Iouis glans nuncupatur. In Sardinia optimæ nascuntur, sed & apud nos in Regien si, & Mutinẽsi agro sapidissimæ, uerum minores. A Ger

Raphanus. manis castaneæ, kesten appellantur. SEN. Raphani cortices sequuntur. BRA. Ne in æquiuoco uersemur, tres radices nosco, quæ raphani nomine insigniuntur. Vna, quæ uulgò raphanus proprie dicitur, acerrimum saporem habens, adeò ut caput tentet, & lachrymas incitet. Altera, radix est, quam in quotidiano usu habemus, seminatúrq; et colitur: hãc raphanello appellamus, qui inter olera à cultoribus numeratur, & ab alijs Italiæ gentibus, præsertim Romanis, armorazo nuncupatur.

Raphanellus syluestris. Est & tertia radix, quæ sine cultu nascitur, quam syluestrem raphanellum dicimus. Tu cuius radicis corticem quæris? SEN. Illius acutioris, absoluto uocabulo nostra lingua raphano appellati. Nescio tamen cur potius cortices, quàm totam radicem habere studeamus. BRA.

Quoniam

Quoniam meditullium sub cortice existens, minori caliditati afficitur, quàm cortex: præterea facile putresceret, cortex uero facilius exiccatur. Nos raphanellum nostrũ, apud Dioscoridem raphanum, & à Latinis radiculam appellari iudicamus: quamuis & sub raphani genere noster uocatus raphanus contineri possit, qui tamen à multis creditur esse lepidion: hi uero non obseruant lepidion à Dioscoride herbulam dici, noster autem raphanus magna herba est. Adde Plinium, nostri raphani fõlia, lauri fõlijs similia facere, & mollia esse cẽsere, quæ postea gladioli retusi fõrmã accipiũt: uerũ raphanus noster ampla fõlia habet, lapathi acuti fõlijs similia, & multo latiora. Noster igitur raphanus in raphani genere poni uidetur, nõ autẽ in lepidio, quia idẽ uidetur Dioscoridis lepidion, & seitaragi Serapionis, præsertim si seitaragi herbã intelligamus. In his montibus tui raphani radices collige: aliàs hæc omnia ad sensum ostendemus. Hispani rabanos, Germani rettich, raphanum uocant. SEN. Capparorum cortices sequuntur. BRA. Te etiam in his radices quærere arbitror. SEN. Radices inquam. BRA. De his sermo fiet, si in primis tibi ostendam Pandectarium in raphano summopere errare, utpote qui à Galeno scandicem uocari censeat, quum scandix alia herba penitus sit, inter olera ineptissima, quæ quidem apud Plautum damnatur: nam quendã exprobrat, utpote scandicis uenditorem: & matri Euripidis exprobratum est, quòd neq; legitimum olus, id est, scandicem uendiderit. Ad cappares redeuntes, notissimi sunt, & nunc frequentes, & optimi Ferrariæ nascuntur, in asperis & gracilibus solis, & in

Scandix.

Capparis.

ruderibus: imò nisi impediantur, adeò uagè incedunt, ut proximum solum impleant & arescere faciant. Semen ipsum, folia, & radicum cortices seruare oportebit. Plinius Arabicum pestilentem esse tradit, in quam sententiam uenit etiam Galenus. Aphricus, Apulus, & Marmaricus quondam infesti fuere, nunc probati euaserũt. Imò nos ex Apulia præcipuè habemus, quamuis in multis locis nunc Ferrariæ uireant. Antiquitus etiam caulis, & fructus sale seruabantur, sed nunc & aceto. Mirum est de eo, quòd omnes medici pro comperto suscipiunt, ad uentriculum roborandum ualere, & ægris appetentiam facere credentes. Tamen Dioscorides certissimis uerbis, ita scriptũ reliquit, Aluum turbare, siticulosum esse, & stomacho noxium, tamen minus noxium esse stomacho coctum, quàm crudum: omnes tamen pro uentriculo tribuunt, ut magis uigeat, sed non miror: quia & coriandrum pro roborando capite exhibent, cui tamen, ut Dioscorides fatetur, obstat, nisi capitis uitium sit ratione uentriculi. De capparibus fortè id credunt: quoniam à Paulo Aegineta libro primo, capite 74. appetentiam facere dicitur, & in principio cœnæ edi ex oleo & aceto, uel ex oxymelite, quemadmodum & nos utimur. Verùm & si ita conditus appetentiam affert, non tamẽ ob hoc uentriculo conuenit: quia id est pro eo tempore ratione condimenti. Alioqui Dioscoridi opponeretur Paulus, quem tamen imitari summè studet. Tu Ferrariæ radicum cortices habere poteris, in uiridario præsertim Ioannis Brasauoli patrui, qui cura Hieronymi Brasauoli affinis strenuissimi, ibi uirent: sed quum efficaciores uires in montibus habe

Capparis Arabicus.

bus habere putem, propterea hic collige, & serua. Hispani cappares, alcaparas nuncupant. SEN. Thuris corti- Thus.
ces occurrunt. BRA. Thus cortice caret, sed cortex qui à Dioscoride thus dicitur, est arboris thus gignentis cortex. Habetis'ne uos alium thuris corticem distinctum? SEN. Non habemus, sed quum opus est eo uti, inter grana thuris inuenimus. BRA. Tamẽ si thus optimũ esset, in eo corticem habere nõ possetis. SEN. At omnia grana probatissima non sunt, nec omnia alba, aut rotunda sunt: nigra etiam inueniuntur plena cortice. BRA. Tamen quemq; pharmacopolam (pro uiribus) probatissimum habere conari oporteret. SEN. Nos in unguentis hoc nigro utimur. BRA. O execrabilis error: id facitis ac si unguẽta ad humanam uitam nihil faciant, quũ ex ignauiori unguento (nunc unguenti nomine abutor, ut recentiores faciunt, ad emplastra ampliantes) nunquam ad cicatricem uulnera perueniant, & causa putredinis sint. Vnde opus est exquisita simplicia medicamenta, unguẽta etiam ingredi. Ex thure quatuor in officina tua seruato, thus ipsum, quod est arboris lachryma, ad quinque ferè capita altæ, fõlio piri, secundum aliquos, secundum alios lauri, secundum alios salicis, secundum alios terebinthi. Theophrastus tamen, ac Plinius illis consentiunt, qui lauri fõlia habere inquiunt, nos incerti sumus propter incertos autores. Miror tamen rem hanc adeò incertam esse, sed certiores futuros breui speramus. A Græcis Libanus dicitur, in Libanus.
Arabia nascitur, tanquam lachryma ex cortice suæ arboris emanat, ut apud nos in prunis & mâlis armeniacis

gummi

gummi fit, grungo appellatum. Mas in thure, rotunda lachryma, & quæ alba sit, dicitur, quod cæteris præfertur: alij colores, ut ruffus, & niger, ineptiores sunt. Rotunda grana arte faciunt auari mercatores, ea in primis quadrantes, postea per uas fictile ducentes, quo ad in rotundum tendant. Idem peßimi homines thus resina pini, & gummi arte quadam simul miscētes adulterant. Adulterium igne deprehenditur: nempe thus accenditur, & confestim ardet: gummi uero non accenditur, id est, flammam non emittit: resina in fumum euanescit. Ideo adulteratum, fumum potius quàm flammam emittit. Ex India etiam affertur, sed peius quàm Arabum. Curabo, ut saltem arboris folia, ramusculus ue afferatur, quũ illustrißimi principis nostri nauis Alexandriæ littora appellet: facile enim est ex Arabia, uel India Alexandriam ferri. Venetijs hæc emes. Verùm opus est arboris corticẽ habeas, non thuris, ut quidam ignari putarunt, quia thus cortice caret: est autẽ cortex ad uarias ægritudines, ad quas priuatim ualet, necessarius. Nec thuris manna uel pollinem omittas. Est autem manna, mica parua (ut inquit Plinius) ex concussu elisa, sicut in tritico id subtile quod ferè uolat, pollinem appellamus: ita hic, quod ualde subtile est, per confractum uel per motum, pollinem dicunt, uel manna. Tamen quum easdem uires habeat cum thure, imò & ineptiores, an pollinem haberes, non curarem. Nonnulli uero in thuris manna decepti sunt, eam esse mannam quæ soluit, & quæ è cœlo descendit, arbitrantes. Non est autem opus thuris fuliginem omittere, quia ad multa priuatim in re medica ualet, arte autem para-

Thuris manna.

Thuris pollen.

Thuris Fuligo.

tur, ut

tur, ut apud Dioscoridem & Plinium, quum domi eris, uidere nihil impediet. Nos uulgò thus incenso, ab accendendo dicimus. Galli ancens, Hispani Encentio, Germani weirach appellant. SEN. Macis sequitur, qui inter cortices numerari debet. BRA. Aut Dioscorides de mace nusquam loquutus est, aut quid sit macis ignorare uidetur. Primo enim libro de Macere pertractat, inquiēs ita appellari à Romanis corticem qui à barbaris affertur, crassus, colore subruffo, qui uehementissime in gustu adstringit, quia à barbaris afferri dicit. Marcellus caput de Macere Dioscoridi adiunctum esse putauit: & quia rem concisè tractat, & extra aromata ponit. Nobis autē proprium Dioscoridis caput esse uidetur, quoniam à nullo Dioscoridis codice abest, & Paulus Aegineta, qui Dioscoridem concisè refert, de macere tractat. Dioscorides autem corticem esse censet: cuius uero arboris, nec ipse, aut Galenus, aut Paulus ostendunt. Plinius 8. capite libri duodecimi, corticem esse inquit magnæ radicis, nomine suæ arboris appellatæ, quæ ex India uehitur: & quamuis ipse Machir appellet, & Dioscorides, Galenus, & Paulus Macer, re tamen cōsiderata, quo ad colorem, saporē, & uires, idem esse constabit. Apud Plinium quid sit, incompertum est, ut ipse refert: Græci corticem quidem esse testantur, sed cuius sit, prætermisere. Serapio quū de Mace tractat, Dioscoridem, & Galenum in Macere adducit, ideo quod Macis uocamus, & Serapio Gisbese, idē sunt cum Dioscoridis macere. Est autem macer uel macis, uel macir, uel machir, superior nucis myristicæ cortex, ut etiam Serapio ex sententia Isaac dicit, & Auicenna ipse Macis. Macer.

testatur: quod si non sentirent, ab illis sponte dissentiremus, quia re uera macis est superior nucis myristicæ cortex: quippe corticem habet, ueluti tenellum iuglādis putamen, quo nux myristica tegitur. Supra hunc corticem cortex alter uisitur, qui totam nucem nō tegit, sed ueluti cancellus per nucem discurrit, quamuis in aliquibus, sed raris, tegat, qui est subruffus, & hoc macis appellatur. Vnde sine dubio macis est supremus cortex nucis myristicæ: nec istud peritioribus relinquimus ut Marcellus facit, sed ita certum esse affirmamus, quia sexcenties oculis uidimus, & nuces myristicas domi cum cortice habemus. Nōnulla tamē sunt, quæ me mouēt ut existimē aliud per macerem intellexisse Dioscoridem, quàm sit hic noster macis: primo, quia de myristica nuce nusquam loquutus est: fortè dices ignorasse, quod nucis myristicæ cortex esset, de eo autem tanquam de re ignota scripserit, quam etiam & Galenus, & Plinius, & Paulus, & omnium recentißimus Aëtius ignorarunt. Imò Plinius ipse quid sit, ignorare fatetur, uel de altera re loquitur, quia inquit, corticem esse radicis arboris eiusdem nominis. Adde Dioscoridem dicere esse corticem crassum. Constat autem macim subtilem corticem esse. Præterea Dioscorides uehementer in gustu adstringere inquit, quod Galenus gustu multum acerbo fatetur, hoc in nostro mace nō percipitur. Præterea Galenus siccum in tertio, & in caliditate & frigiditate suum macerem æqualem facit. Cōstat autem nostrum macim in gustu caliditatem quandā præ se ferre. Vnde cum Auicenna sentio, qui calidum & siccū in secundo macim facit: quamuis Aucrrois quinto Colliget, in

get, in primo siccum ponat, sed arbitror, in Auerroi errorem esse, & in tertio legi debet: nam eo loco Galenum imitari uidetur, imò & ipse quid sit non exponit. Quam ob rem ex his incertus sum, an cortex quem Dioscorides, & Galenus macer appellant, noster macis sit: si enim esset, Græci quid esset sine dubio ignorassent, & præterea Auicennæ potius assentirer in secundo calidũ & siccũ ponenti, quàm Galeno. Nam amicus Socrates, amicus Plato, sed magis amica ueritas: non enim stipticitatem illam persentio, quam siccitas in tertio gradu exigit, & quam Dioscorides excellentem in gustu tradit. Etiã manifeste persentitur caliditas, & operationes id ostendũt, quæ caliditas primum gradum excedit: hoc deprehenditur, si quis res calidas uno gradu, in ægritudine frigida applicuerit, & macim, manifeste concipiet macis intensius calefacere, quàm simplex aliud uno gradu calidum: experietur præterea, non tantum exiccare, ut ea quæ tertio gradu sicca sunt. Quam ob rem, aut altera res est Græcorum macer, uel si idem sit cum nostro mace, quod esset, ignorarunt. Et quamuis Auicenna & Serapio macim nucis moschatæ corticem dicant, timidè quodammodo, & ex aliorum sententia loquuntur, quàm ita aperta fronte sentire uideantur. Vnde nos macim nostrũ, extremum nucis myristicæ corticem esse docemus, & qui dubitat, rei ignarus est, & calidum ac siccum in secundo ordine iudicamus. Macim in his montibus non habebis, sed Venetijs emere oportet: ex India Alexandriam fertur, postea Venetias. Lusitanorum nauigatio in insulis nuper repertis nucum myristicarũ syluas inuenit, ex quibus

ingentißimam macis copiam, præter nuces aſportarunt, è longinquo autem odorem ſpirare ſentiebant. Hiſpani noſtro nomine utuntur. Tu reliqua proſequaris. SEN. *De corticibus, quibus utimur, ſatis dictum eſt. Prædicti ſolum in uſu habentur. Opportunum erit quieſcere, & in hac uirẽti herba prandere, poſtea meridiabimur, dum radij ſolis inclinantes intentißimum calorem fregerint: ueſpertina hora opus cœptum proſequemur.* BRA. *Non ab re ſentis, quippe in illa umbra apud illius riuuli murmur, meridiei æſtum fugiemus. Interim Herbarie mappam ſterne.* SE. *Iam cõmeatus deficit, qui tamẽ pro hoc prandio ſatis erit. Interim deus aliquis prouidebit.*

DE LIGNIS, QVORVM *apud Pharmacopolas uſus eſt.*

SENEX.

NESCIO an hoc potius ſit ueſperaſcere, quàm meridiari, quippe ſol inclinare iam cœpit. BRA. *Veſperaſcere dici oporteret, ſi hoc uerbum Veſperi, dormire ſignificaret. Quæ igitur in tua ſcheda ſunt proſequaris.* SEN. *Ligna ſequuntur, inter quæ primum locum Aloës lignũ occupat.* BRA. *Quidã ignari, aloën huius arboris liquorem eſſe putarũt, quum aloës herbæ potius liquor ſit, quàm arboris, ut ſuo loco oſtendemus. De hoc ligno nuſquam à Galeno (quod ſciuerim) ſcribitur. A Dioſcoride, & Paulo, Agallochon lignum*

Aloes lignum.

Agallochon.

lignum appellatur. Serapio Galenum adducit de hoc ligno loquentem, locum non indicans, nos nunquam inuenire licuit. Nunc optima suffumigia & odoratissima ex illo fiunt, simul cum gummi à nostris belzamum appellato. Fiunt & coronæ, id est, indices ad numerandas Deo mulierum preculas, quos indices torno parant, perforant, & lineæ inserunt sexaginta, centum, uel centũ quinquaginta. Ramenta uendunt etiam caro pretio pro suffumigijs parandis, sed alia secum miscentes, & in puluerem reddentes pastillos in longum & acutum conformant, quibus igne approximato sine flamma in cinerem uertitur, solùm per cubicula odoratum fumum spargens: hoc autem facit, quoad in cinerem uersum sit: odoratissima qualia nunquã persenserim, illustrissimus Dux ALPHONSVS parat. Duo à Pandectario mirè fatua scribuntur: unum, neminem unquam uidisse huius arboris ortum, & quod per flumina paradisi terrestris, quum aliqui rami franguntur, defertur. De terrestri paradiso idẽ sentit Serapio ex sententia Chend fetebeni. Quod quantum à uero dissentiat, Lusitanorum nauigatio ostendit: nam plures harum arborum syluas ingressi sunt Lusitani, & ingentes truncos in Hispaniam portarunt. Gentes illarum partium etiam hoc lignum in honore habẽt: ideo non mirum si ad nos copia non ueniat. In insula quæ Sumatra nunc dicitur, ubertim crescit, quam plures optimi autores Taprobanam existimãt. Verùm ultra Aequinoctialem Sumatra à Lusitanis inuenta est. Ptolemæus autem sub Aequinoctiali Taprobanam ponit: quicquid sit, unum genus est huius ligni cæteris odoratius, quod Taprobana.

illi suo nomine Calampat uocant: cuius si festucam per quartam horæ partem manu clauseris, mirum odorẽ persenties. Ad nos non affertur hoc genus, sed ad regnum Cathai, ad regnum Cini, ad regnum Macini, ad Sarnau, & Granay portantur, regna ab antiquis Cosmographis non descripta. Ibi ditißimi Reges sunt, & qui plurimum odore gaudeant, cõgeries horum lignorum in Dei honorem urentes. Fortè hæc insula Sumatra ea est, quam Serapio ex sententia Aboanisã Simua uocat, in qua probatißimum Agallochum nascitur, quàm alio in loco. Certus autem sum quod ad nos defertur, ex probatißimo genere non esse, quoniam & si per horam manu clauseris, eximius ille odor non persentitur. Vnde hæc est ratio exquisitißimum agallochum ex insula Sumatra uel Taprobana probandi, ut referunt qui per Lusitanorum nauigationes illuc accesserunt, manu claudere ut redoleat. Nos autem aliter probamus, supra ignem ponẽtes. Optimum, lachrymam facit, & bonum odorem spirat, diuq; perdurat antequam comburatur. Aliud uanum à Pandectario scribitur, sepeliri sub terra, ut odoratius fiat, quod à Serapione accepit ita ex sententia Chedsetebeni dicente, sed per annum condi tradit. Cuius oppositum Lusitani oculata fide demonstrant: hi recentes Chamæleæ radicibus adulterari fatentur, quod fieri nõ posse certus eris, si crassiora ligna emeris. Imò facillimè deprehenduntur ramenta, an ex agallocho sint, prædicto modo: nec Lusitani dicunt ebullíri, postea uendi, ut de reubarbaro etiam multi fabulantur. Græci posteriores, ut Aëtius, lignũ aloës appellarunt. Nã hic uir speciatim de xylo aloës tractat. Veneti

unum

unum tantum genus cognoſcunt, quod Alexãdria Aegyti habent, illuc ex Arabia allatum: quod enim ex India affertur, ad Venetos nõ tranſit, præſertim ex Sumatra inſula: quamuis ex India per mare rubrũ, & per deſertam Arabiam mercatores Alexandriam tendere ſoleant. Luſitani tres ſpecies cognoſcunt, quas etiã tractant: fortè eæ ſunt de quibus Serapio. Tu Venetijs id emes quod haberi poteſt, quoniam in Italia non oritur. Ab Hiſpanis ligno aleos uocatur. SEN. *Xylobalſamum ſecũdo loco ſcriptũ eſt. At quia de eo in fructibus tractauimus, ideo qui tertio loco ſequuntur ſandalos proponã.* BRA. *Tria ligna in officinis habetis, quæ ſandali nomen habent. Album* Sandalus. *quoddam, id eſt, cõmunem ligni colorẽ habens: albũ uero ad alia comparatũ dicitur. Rubrũ & luteũ, hoc recentes citrinum dicunt, cæteris odoratius, imò ſolum inter alia odoratum.* SEN. *Ita certe habemus.* BRA. *Decepti ſunt plures, ſandalos rubros aſpalathũ putantes, quippe ſandalus arbor eſt, Aſpalathus arbuſcula: ſandalus nõ eſt ama* Aſpalathus. *rus, ſed amareſcit aſpalathus, ſandalus ruber nõ eſt odoratus, ſed eſt odoratus aſpalathus. Quam ob rem qui rubros ſandalos aſpalathum putarũt, longe decepti ſunt, cũ propter dicta, tum propter alia multa. In his ſandalis Arabibus debemus, hi enim ſandalos nobis oſtenderunt: Dioſcoridem enim, Galenũ, Plinium, Theophraſtum de his nunquam ſcripſiſſe conſtat. Venetijs hæc tria genera ſandalorũ emes, albos, rubros, & luteos. Cæteris præſtant lutei, mox rubri, deniq; albi. In India potißimum naſcuntur. Luſitani nautæ, harum arborum ſyluas inuenere. Maxima copia in agro Calechut, quod eſt totius Indiæ*

emporium, proucnit. In terra etiam Cubæ uiget, & uarijs alijs locis, de quibus nusquam antiqui pertractarũt, sed nuper diebus nostris à Lusitanis inuenta sunt. Ad rem igitur, antiquiores de sandalis nusquam recordationem fecere, sed Arabum inuentum est. Constat autem frigidæ & siccæ naturæ hanc arborem esse. Decipiuntur, qui uerzinum rubrum sandalum esse arbitrantur: nam diuersæ sunt arborum species, quarum copiam Lusitanorum triremes & celoces in Hispaniam portarunt. Apud Tarnasarim Indiæ urbem uerzinum nascitur: de hoc apud antiquos non habeo quid certi dicam, sed de sandalis quidã libellus falsò Galeno inscriptus circunfertur: qui de secretis Galeni inscribitur, ubi in eo de icteritia sermo fit, sandalorum meminit: tamen non dicit sandalum, sed mahazari. Recentiores sandalos citrinos interpretati sunt: his autem nulla exhibenda fides, nam ab Arabe collectus ille liber, Galeno inscriptus est. Hispani sandales, Germani sandel sandalos uocant. SEN. Tamarix accedit. BRA. Ferrariæ pro his quibus lien tumet, dolia & pateræ fieri cœperunt ex myrice, ut his uasis uinum seruetur, quod hi qui male affecti sunt liene, bibere possint: de ipso in herbis satis dictum est, ubi ostendimus, ab antiquis myricem appellari. SENEX. Guaiacum ergo sequitur. BRASA. De hoc ligno plures frustra conati sunt apud antiquos aliquid inuenire. Constat enim Dioscoridem, Theophrastũ, Plinium, Galenum, Paulũ, Aëtium hoc lignũ ignorasse, sed non mirum, quoniã Ptolemæus, Pomponius, & cæteri Cosmographi eas partes ignorarũt, in quibus nascitur. Nemo enim præter Lusitanos, in

Verzinum.

Tamarix.

Guaiacum.

nos, in nouis nauigationibus illuc acceßit. Equidē in inſulis nuper repertis potißimū oritur, in ea quæ Corterati appellatur, & Hiſpaniola, quæ ab Aequinoctiali parum diſtat, & in alijs plurimis, ubi naſcitur, ſimilem morbum habent, ut is eſt, qui Gallica ſcabies uocatur, pro recuperanda ſanitate fructu ueſcūtur: & quibus fructus deſunt, ligni decocto utuntur: quod Hiſpani uidentes, lignum in Hiſpaniam portarunt, quod deinde per totam Italiam diuulgatū eſt: fructus citò putreſcūt, ideo ferri nō poſſunt. De hoc aliàs diffusè ſcriptum reliquimus, in conſilio (ut dicunt) quod pro reuerendißimo & doctißimo Laurentio Cardinali Campegio fecimus, omnium Cardinalium ſplendidißimo lumine, Magnifico Rodulfo Campegio ductore ſtrenuißimo, & uiro nunquam ſatis laudato, procurante. Vt autem noſcas (ſi accideret) quid empturus ſis, nunc breuibus expediemus. Tria huius ligni genera nouimus. Vnum, quod ubique nunc per totam Italiam uagatur, meditullium ferè nigricans habens, & circuncirca albicans, quod odore, pondere, & pinguedine probatur, & quum in micas redigitur, præ pinguedine in globum ſibi iunguntur. Eſt aliud ligni genus, quod ſimiliter pharmacopolæ lignum ſanctum appellant, quoniam & primum lignum ſanctum, uel palum ſanctū dicebatur, quod meditullium paruum, lucidum, & magis album eſt quàm prius: tamen in colorem luteum tendit. Multiq; decepti ſunt, hoc eſſe ramos guaiaci putantes, quum tamen arbor ſit ſecundum ſe à guaiaco diſtincta, ut præcitato conſilio docuimus. Quandoque annis ſuperioribus magna copia in Italia fuit. Nunc quinq; aut ſex anni ſunt, quod ipſum

Lignū ſanctum

Italia non uidit: tamen nobiles multi Genuam misere, ubi prius copiosissimè habebatur, ut emerent. Tertium genus cõtigit me uidere Venetijs, in pharmacopolæ campanæ officina, quod in ruborem tendebat, deinceps nunquam uidere potui. Tu Genuæ, non Venetijs, primũ genus emas, & secundum, si inuenire dabitur. De tertio nullum experimentum habeo, tamen si aliquo Italiæ loco haberi contingat, ne à tua officina abesse sinas. Quandoque hebeni speciem esse suspicabamur, sed postea autores considerãtes, à suspicione liberati sumus. Tu ergo alia ligna prosequaris. SEN. Iam extrema manus lignis imposita est, nisi ea numeremus, quibus etiam pyxides fiunt. BRA. Nec istud ab re esset, scire quo loculo unumquodque exquisitius seruaretur. SEN. At quia non modo umbræ maximæ cadunt, sed ferè ob solis occasum, sub Orizontẽ inclinantis, euanescunt, ut una sola terræ umbra præualeat, expediẽtius erit ab incœpto opere quiescere. BRA. Imò nihil æquè commodum, quàm eos cibo & potu saturos fieri, qui iugi labore occupantur. Id tugurium petamus, quod ex monte pendere uidetur. SEN. Eamus. HER. Quis adeo audax hoc præcipitium inhabitat, à quo despiciendo tremunt membra, & crura uacillant? RVSTICVS. Ego: sed tutius est hoc præcipiti saxo inhabitare, quàm prope montis pedem, quo ingentia saxa plerunq; deuoluuntur, domus & turres obruentia. SEN. Mi frater, cœna indigemus, & quiete: si nos hospites benigne receperis, ut dignũ est, liberè persoluemus. RVST. Nihil æquè gratum mihi est, quàm bonis placere. Domus hæc uestra est: non deerunt molles castaneæ, non mitia

poma

poma, non caseus, & assam capreoli partem habebitis. Vino caremus, nisi ex syluestribus prunis: nec panis adeò albus est, ut uos deceret. SEN. Opiparam cœnam nacti sumus. Lymphas manibus demus. Tu hic discumbe. BRA. Potius è regione ostij sedebo, ut spiranti aura fruar. SEN. Vinum hoc ex syluestribus prunis non displicet. BRA. Nec mihi, nisi stipticitatem quandam persentirem. SEN. Postcaquam cœnati sumus, ne statim à cibo dormiamus, spatiari parũper cõueniet. HER. Satis hodie spatiatus sum. Impleant uapores, quãtum lubet, caput, hac etiam nocte resoluentur. BRA. Dormiat ipse: nos interim perambulemus. SEN. Dic mi Antoni Musa, Hieronymum Brasauolum auum tuum uirum integerrimum noui, qui tres natos generarat, Franciscum patrem tuum, Ludouicum, & Procuriũ: extãt'ne patruorũ aliquæ proles? BRA. Ludouicus cœlebs obijt, quũ adhuc infans essem. Procurius & ipse cœlebs, quum M.D.XXII. in Hispaniam ad Adrianũ pontificẽ nuper electum ab illustrissimo Duce nostro mitteretur, in Macra flumine, prope Lunæ desertam urbem suffocatus. Solus Franciscus sobolem peperit, nec raram: cuius ego solus superstes sum. SEN. Doctissimus fuit & excellentissimus medicus pater tuus, & inter alios, comes facundissimus. Noui etiam Ptolemæum fratrem tuum, qui in summũ uirum euasurus erat, si fata permisissent. BRA. Puer adhuc eram quum M. D. V. uita functus est: sed ex altera matre ortũ duxit. SEN. Scio. Tu ex Margareta Brixiensi, muliere digna decantari, quæ uidua à tenellis annis usque in uirilem ætatem maximo studio & labore

uos duxit. BRA. Ex ea autem præter me, Hieronymus, & Ioannes Baptista prodiere. SEN. Ioannem Baptistam ignoro. BRA. Non mirum, quia trium annorum puer in cœlum euolauerit. SEN. Hieronymus iam uir excellentiß. euaserat, & nunc inter optimos Ferrarienses medicos cõputaretur. BRA. Multis laboribus me leuasset, nisi uitam cum morte M. D. XXVIII. commutasset. Sed nullus contra impia fata potest. Eo anno per totam Italiam pestilens morbus euagatus est. SEN. Tu quot annorum es? BRA. Nunc trigesimumquartum annum impleui. Nam in lucem prodij Millesimo quingentesimo anno à CHRISTI ortu, decimasexta Ianuarij luce, hora sexta noctis cum dimidia, ante diui Antonij festum diem. SEN. Quum infans esses, te frequenter inter ulnas portabam: nam mihi summa familiaritas erat cum excellentißimo patre tuo. Dic autem, Duxistíne adhuc uxorem? BRA. Sextus iam agitur annus, quum statim è Gallia reuersus sum, Cassandram præstantißimi Hieronymi de Robertis filiam duxi, quæ multos natos mihi peperit: Renatus unus, Hercules alter appellatur, & puella Margareta. Hi nunc extant, alij in cœlum euolarunt: nuncq; ut iterum pariat, expectamus. SEN.

Hora dormiendi instat: nam stellæ frequentes
sunt, & undiq; cœlum occuparunt. BRA.
In frondeum torum & hac nocte dor
mire opus erit, sed nihil mihi
iucundius, ut antiquorũ
philosophorũ toros
contempler.

DE LIQVIDIS SVCCIS & liquoribus, quorum in pharmacopolarum officinis usus est.

HERBARIVS.

HORA IAM est de somno surgere, ut cœptum laborem perficiamus: heus surgite. SEN. Quoniam heri tempestiuius accubuisti, ab re nõ fuit, & hoc mane tempestiuius surgere. Te præpara ad liquidos succos & liquores parandos: succo bletæ in primis, & uiolarum indigemus. BRA. De bleta in herbis: de uiolis, in floribus dissertum est. SEN. Disseruisti quidem, sed etiam succo absinthij indigemus, fœniculi, solatri, semperuiuæ, ebuli, irios, chelidoniæ, rutæ, eupatorij, corticum mediorum sambuci, hos Galli escorce du millieur du sureau uocant, quos in herbis expressimus. BRA. Parasti certe, ideo non est opus iterum repetere. SEN. Balsamus, succus granatorum, succus cotoneorum sequuntur. Cotoneum uero, coing à Gallis, membrilles ab Hispanis, quitten à Germanis nuncupatur. BRA. De his etiam in fructibus, & de granatis in floribus sermonem habuimus, quando balaustia colligere iubebas: arbitrorq; te per balsamum liquorem ipsum, id est, opobalsamum intelligere. SEN. Ita quidem est: sed rosarum succus ac oleum sequuntur. SEN. De oleo in fructibus, de rosarum succo in floribus dictum est: tamẽ oleum ex im-

maturis oliuis,& maturis habere oportet: ex maturis autem primæ expreßionis oleum, & ex integris oliuis, & aliarum expreßionũ. A Gallis huille, ab Hiſpanis azeite, à Germanis oel oleum appellatur. SEN. Vinum etiam in officinis habere oportet. BRA. Imò in cellis uinarijs potius. De uino ſeorſum uno libello Illuſtriſſimo ALPHONSO Duci Ferrariæ dicato, ubertim ſcripſimus: ubi ſapidiora apud antiquos uina, & quot ſpecies haberent,& quibus ætatibus bibẽda, & quomodo,& quãdo degenerãt,et de optimis noſtri tẽporis uinis,deq; medicatis diſſeruimus: hũc libellũ Ferrariæ habebis,ex quo quæ uina in officina habere oporteat, diſces: nunc enim tẽpus nõ eſt uina colligere, præſertim quũ in tua officina Creticũ habeas,et purũ Creticũ,nõ adulteratũ,quod Malua ſiam à loco, in quo naſcitur, appellant: alij Monombaſiam dicunt. A Gallis uin, ab Hiſpanis, ut nos, à Germanis, VVein nuncupatur. SEN. Nec aceto carere debemus. BRA. De aceto etiam ſeorſum ſcripſimus in libello illuſtri Iulio Taſſono Duci ſtrenuiſſimo inſcripto, ubi de uarijs aceti generibus & eius qualitatibus diſſeruimus, & quibus modis fiat, & quomodo breui acerrimũ euadat. A Gallis uin aigre, ab Hiſpanis uin agre, à Germanis eßig dicitur. Tu in officina ex roſis roſatum acetum præpara, & ex Cretico uino puro ad epithemata, & plura alia habeto. SEN. Agreſte ſequitur. BRA. Vinum Omphacium uocatur: ſuccus eſt uuæ immaturæ, quæ & ipſa uua Omphacia nuncupatur. Ex uua Thaſia & Aminæa Dioſcorides quinto libro fieri docet. Tu ex hac noſtra præpara, & præſertim in agro Ferrarienſi: nam ui-

Vinum.

Acetum.

Vinum Omphacium.

nam uinum hoc frigidæ naturæ est. Quo autem modo fiat, in principio ferè quinti libri Dioscorides docet. A Gallis uerius, ab Hispanis agrazo, à Germanis agrest uo catur. SEN. Eo modo præparabo, quum Ferrariæ erimus. Mel sequitur. BRA. Mellis genera ex locis distin Mel.
cta fecere autores. Potißimum & pretioſißimum Atticum: postea Siculum, præsertim quod Hybla urbe Siciliæ Hyblæũ appellatur, ex thymi abundantia. In Creta apud Carinam montem huius generis nascitur, quod muscæ nõ attingunt: ideo pro medicamentis eligunt. Non desunt tamen, qui Siculum cæteris præferant, ut Varro, quia mellificium ex thymi floribus potißimum fiat. In Sicilia uero maxima thymi copia habetur: nos autẽ hyblæo melle non indigemus, quoniam Ferrariæ satis laudatũ sit. Mel uero Sardoum, & Ponticum abijcienda, utpote nocua. Probatur mel, quod dulciſßimum, odoratum, & gustu cõpungente, subrutilum, nec succo liquidũ, sed ponderosum, tactu prætenuia fila mittens, atq; ualidum, & quum trahatur, neq; abrũpẽtibus se, neq; resiliẽtibus guttis, sed digitum uersus quasi reciprocantibus, hoc est purißimum mel, & eligendum. Nos duo genera Ferrariæ habemus, subrutilum & album. Sunt qui album probent: ego subrutilum, utpote magis cõcoctum, quàm album. Pro melle ne alium locum quæras, quàm patriam nostram, ubi apes & florum copia (quanquam non adeò exquisitorum) & aquarum exuberantia habetur. Hispani & Galli eodem modo appellant miel. Germani uero honigk. SEN. In meo hoc Indice Scillæ succus cõsequitur. BRA. Notißi Scylla.
mæ sunt Scyllæ, quæ & à Varrone Squillæ nuncupantur,

quem omnes recẽtes medici sequuti sunt. Alba & nigra, id est, rubra in nigrũ uergens, reperitur: prima masculus, secunda fœmina dicitur: non solum succus seruandus, sed & ipsa Scilla, quæ tanquam cepa est, & cortices filo infixi, & interstincti fœniculo, & oleum scilliticum. Vinũ & acetum fieri debent. Vos scillitico aceto utimini: uino minime. SEN. Quandoq; etiam oleum paraui, & scillam in pastillos redegi. BRA. Imò ad trochiscos scilliticos, qui Theriacem ingrediuntur, scilla indigemus, quæ pasta circũdata in clibano decoquetur. Hæc de scilla. Tu alia prosequaris. SEN. Non sunt alij liquidi succi, quibus in officinis utimur, & hora adhuc operi conuenit: ideo condensatos succos, & concretos liquores ante prandium colligere poterimus. BRA. Vt lubet.

DE SVCCIS PRAEDENSIS, & concretis liquoribus, quorum in officinis usus est.

SENEX.

Manna.

INTER prædensos succos, Liquiritiæ expressum choream ducit. BRA. De ipso in radicibis egimus. SEN. Ita constat. Manna sequitur. BRA. Mannam rorem condensatum nemo dubitare audeat: hoc autem adeò constat, ut nõnunquam in Ferrariensi agro descenderit, sed rarò fit, tamen in statis quibusdã locis frequentius accidit: quemadmodum superio

superioribus annis Ferrariæ, in horto excellentissimi medici Sigismundi Nigrisoli cecidisse deprehensum est. Ipse uir doctissimus copia collecta expertus est, atq; probauit. Est autem statutus locus in Oenotria, in quem singulis æstatibus descendit, & ab omnibus passim colligitur. Neapolitani reges occlusere locum, ne quis sine uectigali colligeret. Dum locus occlusus fuit, non descendit, eo recluso, & uectigali remoto, iterum descendere cœpit. Sed & iterum clauso loco, & tertio recluso, & clauso cessauit: ut necessarium fuerit, reges quibusq; permittere, ut colligere possint. Hoc mihi retulit Illustrissima & sanctissima Isabella Neapolis regina, Illustriss. Federici regis Neapolitani dignissima uxor, quæ M. D. XXXIII. Ferrariæ obijt, dum illam in grauescenti ætate, & febre acutissima laborãtem curaremus: quã inter CHRISTI martyres collocatam putamus. Sunt autẽ tria mannæ genera, in Calabro solo collecta. Vnum, supra fõlia, quod perfectissimum est, & ita uulgò apud Calabros appellatum manna de fõlio: quippe rustici fõlia aptãt, & ueluti tegete extendunt: plantantq; latiorum fõliorum arbores, ut aptius colligatur, & parum supra aliam rem cadat. Alterum genus primo deterius est, quod in lignum colligitur, & supra arborum caudices: hoc mannam ligni uel trunci uocant. Tertium genus in terram cadit, cæteris deterius, quod manna terræ dicitur. Eadem igitur res supra diuersa cadens, uaria nomina & uariũ genus (si hæc differentia generis dici possit) sortitur. An uero hæc eadem mãna sit, qua Hebræi quadraginta annis in deserto nutriti sint, suspicamur: quia coriandrorũ grana habuisse

Mannæ tria genera.

fertur. Quum autem supra naturam id sit, quod singulis diebus plueret manna, & in sufficienti copia ut nutrirentur tot hominum millia, & si quispiam magis quam pro uno die, aut duobus diebus festis colligeret, putrescebat, propterea alteram rem fuisse Hebræorum mannam suspicamur, quanquam dici posset, deum rebus naturæ semper miracula facere, uel quanto magis naturæ propria fieri possunt. Ideo illa Hebræorum fuerit uera manna in granula concreta, ut Calabra uidetur, sed miraculum in quantitate fuerit, & in eo quod singulis diebus pluebat, & ob mandatum putrescebat, quum in maiori copia, quàm esset mensura data, seruaretur. Ex partibus etiam orientalibus ad nos defertur, & præsertim ex monte Libano. Venetijs magna copia habetur. Tamen ego semper Calabram mannam cæteris præfero, etsi nonnullos aduersari sciuerim. An uero Dioscorides de manna loquutus sit, multi dubitarunt. Hermolaus sub elæomeli comprehendit: nam etsi primo dubitet, an elæomeli æromeli sit, infert tamen se in hoc esse perpensissimum, ut idem sint, quod nos sentire non possumus, quia elæomeli ex arboribus sponte manat, ueluti oleum, ideo & elæomel dicitur. Manna uero è cœlo, id est, aëre descendit, non ab arboribus. Nos tamen elæomel nunquam uidimus. At non esse mannam scimus, nec iudicare possumus quis nam melius loquatur, Dioscorides, an Plinius, qui secus de elæomele sentit. Tamen quum Plinius de re ferè incerta loqui uideatur, Dioscorides de sibi certissima: ideo potius Dioscoridi, quàm Plinio credere suaderem: adderemq; de manna nusquam à Dioscoride

ride tractatum, id est, de manna, quæ ros est: nam mannam thuris primo libro describit. Oribasius etiam, Galenus, & Paulus de sola manna thuris loquuntur: ideo nusquam manna apud hos autores reperitur. Propterea Auerrois recte censet, mannam unum ex his esse, quæ à Galeno scripta non sunt: quamuis unus sit Galeni locus, ut infrà edocebimus, in quo mannam designare uideatur. De Serapione autem miror, qui Hibix sententiam de manna ita dicentem scribit: Adstringit uentrem, & est siccæ naturæ manna. Vnde arbitror de manna thuris Hibix esse loquutum, Serapionem uero mannam thuris simul cum manna roris confudisse. Nam ex eiusdem sententia addit, mannam compositiones medicinarum magnas ingredi. Constat autem ad reprimendam intensam medicamentorum uim, & mannam thuris, & Gummi (ut ipsemet fatetur) in magnas compositiones misceri. Ideo certus sum Hibix de manna thuris loqui. At quia aliquis putare posset eo capite Serapionem de manna thuris loqui, de manna roris tractasse ostendo. Quippe inquit secundum arbores, super quas cadit, diuersas uires habere. Vnde si cadat supra tamariscum, ad tussim ualet. Quæ de manna roris loqui demonstrant. Quippe manna thuris quum puluis sit ex concussu thuris factus, supra arbores aliquas non cadit. Aliud est, de quo miror Arabes duo capita facere. Alterum, de manna: alterum, de tereniabim, describentes tereniabim rorem esse de cœlo cadentem qui supra lapides, & supra terram coagulatur, & granuloso melli similis efficitur: unde tereniabim

est nostra manna granulosa, quæ ex Oenotria affertur. Verùm ex orientalibus partibus, & meridionalibus alterum genus mannæ portatur, sicut mel liquidum, præter aliud albicans granulosum, hæc est mãna Arabum: quare tereniabim & manna rores sunt, sed tereniabim est in granula condensatus, manna apud ipsos tanquam liquor melle densior. Nicolaus Nicolucius à Mauro quodam huius liquidæ mannæ pyxidem emit, quæ miros effectus faciebat. Quod autem Hibix de manna thuris suprà loquutus sit, quum eam adstringere dixit, ex hoc etiam ostenditur, quia Serapionem in capite de tereniabim adducit, ubi tereniabim uentrem emollire fatetur, & bilim educere. Non defuere tamen, qui Arabum tereniabim, Dioscoridis saccharum esse existimarint: hoc uero absurdũ est, quoniam Serapio, ubi de saccharo pertractat, id præcise scribit, quod à Dioscoride de suo saccharo prius dictum erat. Adde, supra cannas saccharum colligi, sed tereniabim supra omnes arbores. Quare Serapionis tereniabim, id est, manna nostra, alia res est ab antiquorum saccharo, & idem cum melle, de quo Auicenna, quod supra lapides & arbores sine apum auxilio condensatur. Mesue uisus est tria illa genera, quæ separatim in arbore, fõlijs, & terra colliguntur, agnouisse. At Galeni sentẽtiam affert, nusquam apud Galenum de manna (nisi uno loco) & quomodo cum alijs rebus misceatur, inuenire licuit. Arbitror hos Arabes alios libros habuisse, quàm ad nostras manus peruenerint, Galeno falsò inscriptos, in quibus multa reperirentur, quæ adducũt, ab ipsis tamen nunquam scripta inueniuntur. Non possum id credere

dere, Arabes adeò temerarios esse, ut rem adducãt, quam uel in fonte non uiderint, aut ab aliquo adductam nõ cõperissent. Constat autem, eos in pluribus Græcos adducere, de quibus nusquam loquuti sunt. Quare apud Dioscoridem manna non reperitur, quoniam saccharum non est: quippe saccharum in arundinibus concrescit modo salis, manna uero supra omnes arbores descendit. Est autẽ Galeni locus, quo mannam adumbrare uidetur, quum de melle, tertio de alimentorum facultatibus tractat, sed de ipsa tanquam de re incognita sermonem fecit, & rarò suis partibus facta. Inquit: Fit enim in plantarum fõlijs: neq; succus earum, neq; fructus, neq; pars ullo pacto dici potest, sed eiusdem cum rore generis est: non ita tamen assiduo, nec copiose prouenit. Memini aliquãdo in æstate, super arborum, herbarumq; fõlia, mellis quàmplurimum repertum fuisse, ut gaudio exultantes rustici cantarent, Iuppiter melle pluit. Sed his non contentus Galenus causam addidit, inquiens: Præcesserat autẽ nox, ut per æstatem, satis frigida (nam tum anni æstiuum tempus erat) pridieq; calida & sicca fuerat aëris constitutio. Quam ob rem peritis naturæ interpretibus halitus è terra, atq; aquis prodeuntes, solis calore exactè attenuati ac cocti, à frigore sequutæ noctis in unum coacti ac condensati fuisse uidebantur. Sed apud nos rarò id accidit: in monte autem Libano, quotannis persæpe, adeò ut expansis super terram uelleribus, mel à concussis arboribus decidens excipientes, ollas ac fictilia plena referant: uocantq; id roscidum mel, aut aëreum. Hactenus Galenus. Constat autem mannam illam, quam ex Calabria habemus, talem esse:

nec mirum si à Galeno ita prætereatur, ut nihil de eius uiribus scribat, quoniã apud ipsos nõ extabat, sicut apud nos rarò etiam fit. Ex eadem materia fit mel, nam apes rorem supra folia & flores colligentes, mel parant. Verùm & si singulis annis Ferrariæ mel fiat, tamen manna nõ cadat, ratio est, illius dispositionis aëris defectus: propterea non ab re ab Arabibus cõstellationes quibus fiat, id est, aëris dispositiones, quæ per astrorum motus fiunt, edocentur. Idem sentit Plinius lib. x i. capite duodecimo, ex aëre, & maxime syderum exortu fieri, præsertimq; in ipso Sirio splendente. Itaq; prima aurora folia arborum melle roscida inueniuntur, ac si qui matutino sub diuo fuere, unctas liquore uestes, capillumq; concretum sentiant. Siue ille est cœli sudor, siue quædam syderum saliua, siue purgantis se aëris succus, utinamq; esset & purus ac liquidus, & suæ naturæ qualis defluit primo. Vt ex his constet Plinium etiam hoc loco mannam tangere. Nam mel id sponte factum in arboribus manna est. Saccharum uero non esse mannam, non solum prædicta ostẽdunt, sed & ipse Plinius libro duodecimo, cap. 8. ubi inquit, ampliſsimum saccharum, nucis auellanæ magnitudine esse: est uero mel in arundinibus collectum, manna autem est potius liquida, & quæ concreuerit nucis auellanæ amplitudinem non habet, nec manna dentibus fragilis est, sed est ualde tenella. Voluit enim duritiem ostendere Plinius per id quod dentibus fragilis sit: nam manna digitis etiam frangi potest, non antiquorum saccharum. Constat igitur nos Arabibus debere, qui mannam exquisitè edocuerunt, & eius uires in duas species dissecantes,

cantes, in mannam & tereniabim. Manna liquida est ut mel, densatur autem: tereniabim est manna coagulata. Verùm hoc nomine manna in omnibus abutuntur, quod apud Hebræos, quid est hoc, significat: quanquam ipsi man, non manna proferant. Hæcq; de manna satis & super. SEN. Igitur Saccharum consequetur. BRA. Non minorem difficultatem moues, quàm quæ de manna pertractata est: quippe nostrum saccharum aliam rem esse ab antiquorum saccharo constat. Antiquorum enim saccharum, ut Dioscorides & Plinius testantur, genus mellis est supra cannas concreti. Nostrum uero saccharum ex expressione cannarum fit: hoc nõ modo re ipsa patet cõsideratis autoribus, sed Hermolaus clare sentit, antiquorum saccharũ, & hoc nostrũ diuersa esse, & ante Hermolaum Genuensis: ex eo etiã accipitur, quòd omnia antiquorum cõdimenta melle fiebant. Imò & nunc addo, Serapionem nostrũ saccharũ ignorasse: nam quũ de saccharo loquitur, Dioscoridem & Galenũ adducit, qui de saccharo, quod mel cannæ est, loquuntur: tamẽ de Taberzet mox loqui uidetur, ac si unà confundat. Vnde à Serapione de nostro saccharo nihil habetur. Auicenna autem penultimo capite secundi libri ipsum distincte pertractat. Quæ uero ab Auicenna dicantur, in epistola ad Franciscum Tottum Lucensem apud Leonicenum legere poteris: quia non arbitror nostrum saccharum sub antiquorum autorum mellibus comprehendi: tamen dici posset extra cannas ui solis exire, & postea in modum salis conglobari: hocq; nos saccharũ Candum appellamus: quamuis Venetijs saccharum Candum arte fiat.

Mãna apud Hebræos quid significet.

Saccharum.

Saccharum candum.

Quod uero ex canna resudet, Dioscoridis uerba insinuare uidentur, quibus inquit, inueniri in arundinibus concretione sua sali simile, ut hæc concretio per guttam, quæ ex canna exeat, fiat: tuncq; eiusdem materiæ erit cum nostro saccharo, sed non eodem modo factum. Cannæ sacchari plenæ sunt, non uacuæ & inanes, ut nostræ cannæ sunt: papyri formam habent. Quum essem puer, cannas sacchari libenter exugebam, quas in foro emebam, quodam Hispano mercatore portante: pro unica canna obolus unus expendebatur. Spero nostram patriam, præsertim Illustriß. Ducis nostri montem cannas quandoque producturum, ex quibus saccharum nostrum per ebullitionem liquatur. Antiqui suum saccharum salem Indum uocarunt, & mel arundineũ. De excellentißimo Leoniceno hic miror, qui salem Indum aliud esse à saccharo Taberzet probare uoluit, & Herculanum ac Gentilem reprehendit Auicennæ interpretes, qui in capite de Asperitate linguæ, sal Indum, id est, saccharum Candum exponunt. Verba autem Auicennæ in 4. canone, in capite de Asperitate linguæ febricitantium, talia sunt: Sal, qui asportatur ex India, est in colore salis, & dulcedine mellis. Leonicenus Auicennam reprehendit, quia inquit: Hoc remedium à Paulo accepit, ideo opus est more Pauli salem intelligere. At Paulus pro sale albo eum intellexit, qui pro condimento cibis admiscetur. Addit, saccharum candum non esse album, sed potius colore subluteum. Re uera Leoniceno multa debeo, quo semper præceptore sum usus, sed plura ueritati, quam semper incorruptam seruare studemus. Itaq; Paulum Aeginetam

Sal Indus.

conside

considerantes secundo libro, capite 54. ubi de scabritie linguæ pertractat, expresse idem sentit cum Auicenna, salem Indum, id est, saccharum illud sumi debere, non salem nostrum communem album. Cuius uerba sua lingua subscribere uisum est. Inquit ille, καὶ ἅλες ὁ ἰνδικὸς χροΐα μὲν ἠοὶ συσάσει ὅμοιος τῷ κοινῷ ἁλί, γεύσει δὲ μελιτώδης. Quem si ad uerbum referamus, hæc dicit: Et sal Indicus colore quidem, & concretione similis communi sali, sapore autem melleo. Vt ex his manifeste deprehendatur, salem Indum Dioscoridis saccharum esse, quod candum appellari potest, quamuis arte factum non sit, ut nostrum. Multi uero, præsertim Venetijs & Genuæ, ut superlucrentur, naturã imitantes, arte parant: ideo Herculanus & Gentilis per Indum salem, saccharũ cãdum interpretari uoluerunt, nec subluteũ est, sed quanto exquisitius, tanto magis albicat, præsertim natura cõstans. Tu Venetijs saccharum nostrũ emes, & ex eo plures species. Illud in primis eme quod rubrum uocatur, ex prima coctura factum, uel secũda imperfectum, uel quod in secunda coctura degenerauit: quo in enematibus utimur, quamuis perfectius uti deberemus. Etiã emas quod secunda coctura perfectum, & de Madera, uel saccharũ crassum nuncupatur, & etiam finum uocatum habeas, quod ex tertia, quarta, uel quinta coctura fit. Nec à saccharo cando abstineas: quod si naturale habere poteris supra cannas sponte concretum, conueniens erit: sin minus, Venetijs arte paratum emes. Suaderem uero ut Genuæ saccharũ ex madera emeres, quoniam uiliori pretio ibi uenditur. Nam facillime ex Hispania & Sicilia in Li-

guriam defertur. Cætera ſacchari genera, ut candum, finum, uiliori pretio Venetijs uenduntur. De ſaccharo autẽ cando, an ſiti conueniat, ſuo loco diſputare decreuimus: quia plura à Leoniceno contra recentiores dicta ſunt, quæ mihi ueritati quadrare non uidentur. SEN. Galenus ſaccharum non cognouit? BRA. Non, ſed tantum Dioſcoridis ſaccharum. SEN. Fiebat'ne Galeni tempore cannarum expreßio? BRA. Si fiebat, oſtendit ſe ignoraſſe, quia de ipſo nunquam loquutus eſt, uel de expreßione uel de ipſis cannis. Id tantum tractat quòd dicit Dioſcorides, in cannis concreſcere. SEN. Arbitrandum igitur Galeni tempore inuentum non eſſe. BRA. Hoc arbitrari non poſſum: imò certus ſum ante Galeni tẽpora cannas exprimi, & ſaccharũ fieri: ſed fortè Galenus ipſe ignorauit, quia non omnia poſſumus omnes, nec ualde frequens erat: quippe extant Marci Varronis Narbonenſis carmina, expreßionem harum cannarum in hunc modum dicentia:

Indica non magna nimis arbore creſcit arundo,
Illius & lentis premitur radicibus humor,
Dulcia cui nequeant ſucco contendere mella.

Conſtat autem Varronem ante Galeni tempora extitiſſe, quia uixit ante CHRISTI aduentum, quum Cæſar imperium occupauit. Galenus autem poſt CHRISTI incarnationem uixit, tempore Marci Antonij imperatoris, & tempore Adriani in cuius gratiam theriacam præparauit, ut ipſemet in primo libro de antidotis ſcribit, ubi de Cinnamomo uerba facit. SEN. Hoc non eſt paruum teſtimonium, ante Galenum illarum cannarum ſaltem radices

dices exprimi solere. BRA. Sed & Statius Papinius, qui tempore Neruæ imperatoris fuit, id est, ante Galeni tempora, licet parum, tamen in syluis harum cannarum meminit, dicens:

—Et quas præcoquit Ebusita cannas.

Vbi Hermolaus Hypasita legẽdum corrigit, à fluuio Hypasi, à quo etiam populi Indiæ uocantur. SEN. Nec istud paruum testimonium est. BRA. Alia etiam addam: Nam Strabo in India non solum ex cannis, sed ex radicibus exprimi docet, & Solinus de India pertractans ex radicibus quarundã cannarũ inquit succũ exprimi ad dulcedinẽ mellis. Vnde certũ est ex radicibus posse fieri nostrum saccharũ, & abundantius quàm ex ipsa herba, sed ad generationẽ reseruantur: nullus uero dubitat, Strabonem ante Galeni tẽpora fuisse, quia ante CHRISTI aduentum scripsit sub imperio Octauiani, & in ipso aduentu: Galenus uero post Octauiani tempora, & aduentum CHRISTI in lucem prodijt. Quam ob rem si hunc liquorem antiquiores Galeno nouerunt, miror cur illũ præterierit. Fortè hoc cannarũ expressum de natura sacchari credidit supra cannas concrescentis: quum uero de illo abunde tractasset, satis de dulci illo expresso dictum putauit. Aut Romanis totius orbis dominis, aliquid apertum esse potuit, quod Græcis etsi propinquioribus, ignotum erat. Opus autem est per lõgum tempus antequam à præcitatis uiris saccharum cognosceretur, cannas exprimi: quoniam antequam ex India Romæ hoc sciretur, fuit opus interponi tempus. Tamẽ de Plinio omniũ rerum sagáci inquisitore, & Dioscoride sedulo scripto-

re miror, qui hæc siluerit ante se ab alijs scripta, quum tamen Plinius Romæ esset, sed non omnia possumus omnes. Ab Hispanis azuquar, à Gallis succre, à Germanis zuchar nuncupatur. Tu reliqua prosequaris. SEN. Optarem ut omnia in cumulum redigeres quæ de his prædixisti, mannam etiam addens. BRA. Imò & à melle inciMel apum. piam: Mel apum, est nostrum mel: Mel roris, est manna,
Mel roris. quam habemus, quæ & mel syluestre dicitur à Suida: &
Plinius libro decimosexto, capite octauo, supra robora
Mel cannæ. etiam fieri tradit. Mel cannæ, est saccharum antiquorum nostro cando simile, quod in Aegypto, & India innascitur, & conglobatur supra cannas. Nos per expressionem cannarum, uocatum à nobis saccharum paramus, & per coctura in uarias species distribuimus. Mel cannæ ab Auicenna dicitur saccharum alhusar, & sal Indus dicitur
Acatia. ut suprà docuimus. SEN. Acatia sequitur. BRA. Nostram uocatam Acatiam, illam Dioscoridis non esse, manifeste patet: quamuis & nos ex spinosa quadam nostra arbore faciamus: habet Dioscoridis acatia siliquam semi nibus plenam, siliquæ exprimũtur, & qui exit succus acatia nuncupatur. Nos ex arbuscula, quæ prunus syluestris dicitur, uulgò brognolo, quasi pruneolum paramus, fructum ante maturitatem colligimus, & exprimimus, quod simul cum carne miscentes in placentarum orbes conformamus, & exiccantes pro Acatia utimur. Sunt inter se
Spina Aegyptia. dissidentes autores: quippe Oribasius & Aëtius idem cũ spina Aegyptia, Acatiam esse uolunt, alij negant. Dioscorides in Aegypto solũ nasci memorat: tamẽ & in alijs lo
Spina Syria. cis prouenit: Imò & Syriam quoque spinam dici constat. Alba

ſtat. Alba, nigra, & uiridis arbor reperitur in Aegypto, quæ huiuſmodi ſiliquas parit: nunquam uidi antiquorum Acatiam, ſed ex ſyluestribus prunis tantum factam, quæ tamen constringendi efficaciam habeat: nec deſpiciendus eſt hic noſter ſuccus: tamen quum Acatia indigerem, id potius ſumerẽ, quod à Dioſcoride pro Acatia ſumi poſſe docemur, & eius uirtutem habere. Id autẽ eſt Rhus obſoniorum, id eſt, ſumachium, quod frequens eſt apud nos: ideo quum Acatia indigeo, fõlijs Rhu obſoniorum utor, & noſtra uulgari Acatia, in his, in quibus opus ſit infrigidare, conſtringere, & repercutere. Tamen laudarem ut noſtram Acatiã ex prunis maturis, & immaturis ſeruares: minus adſtringit ex maturis, quando opus ſit uti: nec alibi pruna ſyluestria quærerẽ, quàm Ferrariæ, nam in foueis ferè ſpõte naſcũtur. A Germanis Schlehen nuncupatur Acatia. SEN. Ipoquiſtidos ſequitur: tamen in primis ſcire percupio nunquid Arabicum gummi, ex ſpina Acatiæ prodeat, ut inquit Serapio, qui tamen in alijs Dioſcoridi conſentit. ERA. De hac re ſuo loco diſſeremus, tu interim hypociſthis, nõ hypoquiſtidos dicito, pro recto genitiuo utẽs. SEN. Vt à cunis didicerã, profero, & plurium conſuetudinem ſequor. ERA. Vtinam ut pauciores, ſaperes, quia in his recentiorum errata cognoſceres, à Leoniceno pro parte detecta: Ciſthos apud Dioſcoridem frutex eſt, qui in ſaxis prouenit (hoc ut in pluribus intelligas) plures ramos habet, multa fõlia (quod ratione fruticis intelligere oportet) non multum altus, fõlia ſunt in orbem circinata, hirſutum eſt fõlium acerbo guſtu. In marem & fœminam diſtinguit: Mas florem punici ha-

Rhus obſoniorum.

Hypociſthis.

Ciſthos.

bet, fœmina albescit: sub hoc frutice nascitur hypocisthis. Est autem hypocisthis ueluti fungus ad pedem cisthi nascens, forma citini. Ideo aliqui citinum uocarunt: est autem ac si multi citini suprapositi sint. Ita enim in Lucensibus atque Senensibus montibus copiose habetur, in reliquo Apennino non ita frequens: frutex ille uulgò lingua canina appellatur, apud Senẽsium & Lucensium rusticos. Arabum interpretes hunc fruticem Barbam hircinam interpretati sunt. Exprimitur hypocisthis, & succus etiam hypocisthis appellatur: eandem uirtutem cum Acatia habet, tamen magis adstringit. Auicenna hoc ignorasse demonstrat, quoniam tria capita distincta facit. Primum de Barba hircina, quam cisthon esse apparet, his ad quæ ualet, cõsideratis, & etiam ex Serapione, qui eadem in Barba hircina dicit, quæ à Dioscoride in cistho. Aliud caput Auicẽna de hypocisthide facit, appellatq; ipse, uel malus interpres suo uocabulo hẽsistides, & per hoc succũ intelligit: postea aliud caput facit de Tarathit ab alijs distinctum, ac si Tarathit alia res sit, quum tamen uerè hypocisthidem esse in confesso habeatur, ut ex Serapione apparet, in eo capite quo de Barba hircina pertractat. Sed quod grauius est, cisthon cum cisso confundit, adeò ut cisthon hederam esse putet, & ex hedera Ladanum fieri. Deceptus autem est in nomine, quia cisson hedera significat. Ipse autem cisthon accepit ac si cisson dictum sit: fit equidem Ladanum ex altero cisthi genere in Cypro: quũ enim mane cisthos cœli rorẽ susceperit, oues & capræ illorum flores comedẽtes, & hirci, succum roris uillis barbarum & femore insidentem abstergunt

Ladanum.

stergunt, qui natura tenax, & lentus facile sequitur ad cõ tactum ut uiscum, detractus hic succus purgatur, & m offas conuolutus reponitur. Alter modus faciendi est, at= tractis funiculis ubi sunt syluæ, pingue quod his adhære= scit, depectitur, & in panes diuiditur, qui Ladanum ap= pellantur, quia & hic frutex, Ladon, uel Ledon nuncupa tur. Hypocisthidem in Lucensibus montibus & Senen= sibus potissimum habebis, Ladanum uero non sit in pro= pinquiori parte, quàm in Cypro. Venetijs pro Ladano, quendam succum uendunt, qui an sit Ladanũ ignoramus, tamen uidimus utplurimum non habere colorem subui= ridem, qualem illi Dioscorides tribuit, nec statim tactu mollescere. Ideo aut alteram rem, aut adulteratum esse putamus, quamuis & uerum Ladanum Venetijs etiam uiderimus. Disputatum est non solum de Auicenna, qui in cisso & cistho similitudine nominũ deceptus errauē= rit, sed de Plinio. Nicolaus Leonicenus in epistola ad An= gelum Politianũ disputat, in nomine Cisson & Cisthon deceptũ esse probans, ut Cisthon, id est, plantã ita appel= latã, acceperit, ac si cisson, id est, hedera dictũ sit: pro Pli nio in altera epistola Angelus Politianus certat. Tu inter hos summos uiros iudiciũ feras. SEN. Cui potius innite ris? BRA. Re uera nõ possum nõ assentire ueritati, quã Leonicenus integre detexit. Interim ne diu in hoc nego= tio uersemur, ad alia pedem conferas. SEN. Elaterium sequitur. BRA. Res est, quam potius latêre optarim, quàm sciri, nisi à summis & antiquissimis medicis inter remedia poneretur. In cucumerum genere, Anguinus cu= cumis numeratur, alij syluestrem cucumerem, alij erra=

Elaterium,

Cucumis angui nus

ticum uocant: hic exprimitur, cuius expreſſum ſiccatur, & in paſtillos autumno conformatur, qui paſtilli elaterium appellantur. Modus exprimendi à Dioſcoride 14. libro docetur. Theophraſtus autor eſt eius uim uſque ad ducentos annos perdurare, & melius eſſe quo uetuſtius. Vnde Plinius dixerit nullum eſſe medicamentum quod diutius perduret, lucernas uſq; ad quinquageſimũ annũ extinguit: probatur ſi priuſquam reſtinguat, ſurſum ſcintillet, & deorſum cogat. A trimatu ſuæ expreſsionis uires habere incipit, ſecundum Plinium, ita ut eo uti poſsimus: Dioſcorides à bimatu, uultq; ad decennium eſſe optimũ. Maxima doſis unus obolus, minima ſemiobolus apud Dioſcoridem. Pueris dantur duo Chalci, id eſt, quatuor grana, nocet enim maior menſura. Vbique naſcitur, & etiam in noſtro Ferrariẽſi ſolo mirifice ſoluit. Vulgò aſininum cucumerẽ uocamus, ut Arabes faciunt. In his montibus colligerem, & Elaterium pararem. En quomodo pulchri ſint in his ruderibus, & in illis ſabuloſis cucumeres, uerùm & ſuccum foliorum & radicum habere ſtudeas, imò & folia ſeorſum ac radices ſeruarem, & radicis corticem, qui ad multa ualet, ſi Dioſcoridem legas, & omnes aliæ partes. Caue dum cucumeres accipis, ne in oculos permingant. SEN. Hoc meo magno incommodo iãdiu didici, quũ eſſem puer huius generis cucumerẽ, rei ignarus, euellere tẽtaui. Ille ſuccus, quẽ emittit, oculos meos attigit, per tres aut quatuor horas, præ oculorum dolore, in maximo diſcrimine fui: tamen contulit poſtea, quoniam à caligine quadam liber euaſi. BRA. Ita caſu plura medicamenta inuenta ſunt. Videtur ferè uindictam

ſumere

sumere, quum euellitur. Est autem probatissimum elaterium (ut Dioscorides inquit) quod candido colore humescit, & leuitatem habet ac leuorem. Viride pessimũ est, adulteratur amylo. SEN. Plerunq; cucumerem expressi, nunquam albus succus exiuit, uel per exiccationem factus est. BRA. Hoc sæpe cõsiderans, ex radicibus fieri oportere dubitaui, quas si expresseris, albus continuò emanabit liquor, uel in album tendens. SEN. Cera occurrit. Cera.

BRA. De Cera in melle dici oportebat: ut autẽ nostro commodo satis est, animaduertas, ex apibus duo illa haberi: mel primo, postea cera, quæ fauis occluditur, per expressionem educitur. Plinius exprimendi ordinẽ indicat. Duo ex cera seruare oportet: ceram ipsam, quam colore fuluo sumito, subpinguem, odoratam, modicè referentem halitum mellis, & puram. Aliud, quod in officina habere debes, est propolis: propolim uulgus nostrum appellat Cira uerzene, quo nomine tanquam Latino multi recentiores utuntur, Cera uirgo dicentes: ea est, quæ ad foramen aluearium fit, ut inquit Varro. Ferrariensem cerã, & propolim habeas, si fieri poterit. Ipsa enim experientia comprobauit, si non antiquorum autoritas: si Ferrariæ, quantum satis erit, habere non poteris, eam Venetijs eme, quæ ex Creta affertur: nec aliubi quàm Venetijs albam quæres, ubi ingentissima copia noctibus roscidis fit. Artem Dioscorides ostendit quomodo alba euadat. Quin & Ferrariæ etiam sine aqua marina albissima fit. At opus non est tantum expendere sumptus & laboris pro tam pauco lucro. Rubram ceram mixta anchusa, aut pseudominio Ferrariæ parabis: uiridẽ uiridis æris mixto. Propolis.

nigram atramento, uel usta charta mixtis. Resina iuncta optima fit, ut ueluti gluten res iungat, & cancellarijs inseruit. Vna tantum officina Venetijs albam concinnabat Hermolai patris tempore: nunc nullus est pharmacopola etiam minimus qui non dealbet. De cera satis, quum etiam nostri Nobiles principes imitati, nolint nisi alba cera uti: sed re uera eadem est expensa, quia non alba cera citius quàm altera consumitur, ut id quod pondere æquatur, & pretio superatur, duratione præualeat. Hispani, ut nos cera, Galli cire, Germani wachs nuncupant.

Opium. SEN. Opium sequitur. BRA. Nigrum papauer Ferrariæ habemus, quo opium fit, sed adeò rarum & paruos fructus habens, ut copia haberi non posset. Ideo Venetijs emere suadeo: si folia & calices terantur, exprimanturq;, & succus in pastillos redigatur, Meconium dicitur, quod est ignauius opio. Nam opium ex nigro papauere hoc modo colligitur: Quũ mane rores exaruerint, ex obliquo summa cute cultello incidere oportet, ut lachryma exeat, quæ in uas deriuanda est, & cortex ita incidendus, ut non penetret intus cultellus, & ita altera die faciendum. Diagoras uult id fieri quum turgescit, iollas quum defloreſcit: primum nunc sequuntur opium parantes, succus, ungue uel gossipio excipitur, & in uas colligitur, exiccaturq;, & hoc opium est quod emanat, & lac. Nam meconium fit per expreßionem, ideo & succus appellatur, sicut opium etiam lachryma dicitur: ex papauere nigro proprie fit. Tamen opium, quo utimur, ex albo est papauere. Ex Apulia ad nos affertur: ita papauer album incidunt, nam in Apulia crassos cor-

Meconium.

tices

tices habent, & lachrymam seruant, quam pro opio nostris pharmacopolis, & Venetis uendunt. Thebanum opium laudatum reperitur. Seminarem ego nigrum papauer in Ferrariensi agro, ubi tamen & sponte nasci reperitur. Sed eo seminarem, ut maior copia haberetur, quo opium multis præferendum pararem. Adde Apulos ut plurimum ad nos meconium afferre, nõ opium, id est, succum, non lachrymam: propterea apud nos seminandum & parandum, quum solum ad hoc gignendum propensissimum habeamus. SEN. Aloë sequitur. BRASA. Aloë & herba est, & eiusdem herbæ succus, quam passim in fictilibus habemus etiam hyeme uirentem: tamen apud nos degenerat, nam & amaritudinem amittit: tamen in reliquis omnes notas habet, quas illi Dioscorides tribuit: nos Ferrariæ succum exiccauimus, nihil illi deest ex his quæ ab antiquioribus dicuntur, dempta amaritudine, saltem quam illi imponunt Galenus & Dioscorides, insigni. Soluit etiam nostra aloë, sed ægre. Ideo aloën esse non dubito, quæ degeneraucrit: quippe hi decipiuntur qui aloën esse inficiantur: nam idem est, ac si quis neget idem esse idem, quia alio loco natum, & una sola qualitate deficiens. Ideo non erat negandum aloën nostram esse aloën, sed inefficacem esse, dicendum, & degenerasse. Succus in terra collectus, quandoque terra plenus est, propter id lauatur. Septimo libro de arte curatiua Galenus diuersitatem lotæ, & non lotæ aloës tribuit. His notis bona aloë deprehenditur, pinguis, nitida, sine arenis, colore ruffo, friabilis, iecinoris modo concreta. Inde recentes quum optimam Aloe.

aloën insinuare uolunt, aloën hepaticam proferunt, facile se diluens & liquescens, amaritudine uehementi. Ideo nostra aloë inepta est: quæ nigra & frangi non potest, pessima. Quomodo adulteretur, & adulterium cognoscatur, à Dioscoride docemur. Eam Venetijs emes, quæ ex India asportatur. SEN. Quid sentis tu de quodam celeberrimo uiro Mesuem reprehendente, quia ora uenarum aperire admonuit? BRA. Nunc istud discutere opus non est, nam de hac re aliàs copiose scripturus sum. Tamen ita simplicissimis uerbis nunc animum meum aperiam. Cum Mesue & Serapione aperire ora uenarum censeo, ex quadam insita uirtute, cuius causam ignoramus, fortè ex eadem qualitate qua extrema amaritudine prodijt. Experientia ducor ut id sentiam: nam qui hæmorroidas pati consueuere, aloë magnopere offenduntur, ut in hoc statim incurrant ea uorata. Nobilis & magnificus Nicolaus Tassonus, inter alios, hoc magno suo incommodo expertus est: quoties aloën sumebat, semper uenarum ora aperiebantur: quibuscunque alijs pharmacis sumptis, nihil molestabatur, tamen pharmaca erant quæ eandem materiam cum aloë educerent. Nec opus est infinitos alios adducere, qui hoc perpessi sunt: ut ratio ex parte pharmaci potius, quàm materiæ motæ exhibenda sit. Non tamen inficior hoc etiam à materia fieri. At malam aloën magis aperire iudico, & quamuis Galenus sexto Aphorismorum, aphorismo 47. acredinem humorum hæmorroidas aperire censeat, non inficiamur: imò addimus multa alia id facere præter aloën. Vnde & cepæ & allium aperiunt, si nonunquam uescamur: ta

mur: tamen aloë hoc priuatim habet. Non possum enim huic sententiæ temere repugnare, sine certa ratione, quã omnes imbibere, & experientia dictat. Et quamuis alibi uulnera consolidare & adstringere dicatur, quod recentes per exteriora applicatum intelligunt, non per interiora, non mirum, quoniam Galenus in libro de Theriaca ad Pisonem, antequam Andromachi carmina scribat, de plurimis tractat, quæ uno modo sumpta effectũ faciunt, alio modo oppositum. Et præsertim de aloë exemplum scribit, dicens per exteriora aloën supercrescentes ulcerũ carnes adstringere, & humores, qui sub ipsis nascuntur, subinde exiccare: si uero per os sumatur, uniuersum corpus purgare, quod aperire est. Vt manifeste deprehendatur, uenarum ora aperire, quod est quidam purgationis modus: propterea non abre à Mesue & Serapione uenarum ora aperire scriptum est, quod per os sumptum intelligitur: nam per extrinsece applicata claudit, & præsertim sedis, & pudendi ulcera, ut Aëtius docet. Verùm hanc rem philosophicis rationibus suo loco muniemus: nunc satis est per transennã adumbrasse, potius quàm ratione aperuisse. SEN. In eo etiã Mesuem reprehendit, dicentem, frigidis temporibus euitãdam esse aloën. At ipse inquit potius in calidis euitandã, quia calida & sicca est. Quid in hoc sentis? BRA. Nihil aliud, quàm Mesuẽ certissima edocere, si ipsemet Mesue mastix in se ipso experiatur, id persentiet, quod mihi in profunda hyeme accidit aloën sumẽti, per integram hebdomadã sedere nõ potui. Nec quicquam ualet ratio, quod calida & sicca sit aloë, quia uẽtres hyeme & Vere natura calidissimi sunt.

Ideo magis hyeme quàm æstate (quia calor maior) nocebit. Vnde si eius ratio per manifestas qualitates facta quicquam ualet, & nostra hæc, quoniã id aloë tribuimus ob qualitatem insitam, cuius causam ignoramus. Nempe fieri potest, & continuò ita esse deprehendimus, proprietatem aliquam, & aliquẽ effectum nobis certũ esse, causam uero incertam, & incognitã. Sed hæc aliàs diffusius agentur: nunc satis est uiam ostendisse. SEN. Ad scãmonium ueniamus. BRA. Optarim & hoc nunquam ad hominum manus peruenisse, quoniã plus mali, quàm boni afferat: nam & si alicui rei prosit, pluribus officit. Succus est radicis herbæ quæ scammonia nuncupatur, quãuis & hoc nomen scammonium herbam, & succum, uel lachrymam significet: à Romanis Colophonium dicitur, quia in Colophonia optimũ nascatur: tamen Veneti Alexandria Aegypti Venetias ducunt, è Mysia autẽ Alexandriam portant: sed potißimum quod Venetias affertur, peßimum est, quia ex Syria & Iudæa facillime Alexandriam portatur: hoc uero Iudaicum & Syriacum deterrimum & ponderosum est. Ideo non mirum si sumentes ualde perturbet. Accidit enim me raro bonum uidisse ex Mysia Asiæ adductum, quod has notas habet, translucidum est, solutum, sine pondere, taurini glutinis colore, prætenuibus fistulis, fungosum: hæ autem notæ raro in Veneto reperiũtur, sed præcipue ponderosum est, ut inde ex Iudæa & Syria allatum cognouerim. Modũ uitiandi & cognoscẽdi Dioscorides & Plinius ostendunt. In Apulia & hanc plantam nasci tradunt, & nos Apulum habuimus (si uerè Apulum erat) omnibus notis insignitũ,

Scammonium.

& effi

& efficacißimum. In morbo Gallico ſemidragmã quandoque exhibui, & mire profuit. Ioanni Baptiſtæ Toxico hydropem patienti ſcrupulũ exhibui, nihil eduxit: deinde & duos ſcrupulos, qui & nihil eduxere: tertio integram dragmam, Vincẽtio Celato compatri charißimo, & Laurentio Augusto amico nunquam pœnitẽdo pharmacopolis admirantibus: tamen nihil in tam magna copia eduxit. Deinceps tentare nolui, & nihil aliud exhibere ſtatui, quàm leuia pharmaca. Teſtes ſunt excellentißimi Iuuenes Franciſcus Bruſantinus prædicti patientis affinis, & Illuſtrißimi Ducis Ferrariæ curialis medicus, Maurelius ſanctus, Illuſtrißimi Hippolyti Mediolanenſis Archiepiſcopi Phyſicus, & Ioannes Franciſcus Roſſius Chirurgicus doctißimus, & Ioannes Leo Vercellenſis, qui tunc mecum in praxi uerſabantur. Alia cauſa aßignari non poterat, quàm uel ſcammonium ineptum, uel ùentriculum aqua, uel multa pituita plenum fuiſſe, quæ pharmaci uim compeſcebant: non enim dici oportet, naturam non eſſe auſam aggredi, quia ſaltem ſcrupulum aggreſſa eſſet. Vidi etiam in officina Iacobi à Columna pharmacopolæ, quendam qui duas ſcammonij drachmas præter noxam comedit, quater aut quinquies ſolum eijciens. Is autem ſcammonio aſſuetus erat, in partibus orientalibus natus, ut teſtis etiam eſt Antonius Diſcalcius ſimplicium medicamentorum ſtudioſißimus. Frequentißime ſcrupulum ſine noxa exhibui ex zinzibere, ſale, aut pipere, ut Paulus Aegineta iubet, ne uentriculum offendat: nam ſine his maxime offendit. Ex ſcammonio, ſi libebit, Diagridium

parare poteris, aut communi modo in cotoneo mâlo, & pasta, aut antiquissimo in dulcium amygdalarũ oleo pasta qua circundatur. Canes dysenteria interficiuntur, si quotidie frustulum detur, quoad occumbant. Quandoq; uicini rustici canẽ interfeci hoc pane, qui gallinas meas absq; delectu uiciniæ comedebat: hoc effectum est tribus diebus, quotidie frustulum exhiberi iubebam. Nullus autem prænoscere potuit quonam modo obijsset, nisi ego dixissem: putabant enim dysenteria occubuisse. Vt autem rusticos deterrerer ne prædiolum meum continuis furtis depilarent, modum interficiendi canem ostendi, cõminatus idem ipsis me facturum, nisi à furto abstinerent. Hi-

Lycium. spani, ut nos scamonea, & Galli appellant. SEN. Lyciũ sequitur. BRA. Pro lycio quid pharmacopolæ uendant ignoro, tamen lycium non esse certus sum, quoniam non crematur, nec rubentem spumam (dum extinguitur) facit: extrinsecus quidem niger est, sed intrinsecus non rufus, imò etiam niger. Ex Bononiensibus montibus potissimum Lycium sumunt nostri pharmacopolæ. Id uario modo faciunt: sunt qui ex Ligustro, & qui ex herba quæ caprifolium nuncupatur, faciunt: habet enim herba illa, uel frutex, grana, ex quorum expressione lycium fit: hæc tamen uera lycia non sunt. Plinius & ipse capite 14. 24. libri, uerum lycium ex pyxiacantha solùm fieri censet. Lycium dicitur, quia in Lycia potissimum abũdat. Quũ Venetæ naues Hierusalem petent, ex Cappadocia, & Lycia habere nihil impediet, quamuis & in alijs locis nascatur. Hoc modo fit, Arbuscula lyciũ nominata, accepta, & radicibus ac ramis sumptis, & pluribus diebus in aqua

mace

maceratis, coquuntur semel, iterumq; ligno exempto, donec mellis crassitudo fiat: tunc spumam seruare oportet, & florem innatantem, & reliquum etiam cremorem, quoniã particulatim ad diuersa ualẽt: imò & semẽ exprime, & succum in sole pone, postea serua. Nihil etiam impediet in his montibus lycium inuenire. Vides illam arborem aculeatam, quæ ramos habet trium cubitorum, & maiores ac minores, densa folia habentem buxo similia, & fructum piperis nigrum? SEN. Video. BRA. Gustemus an amarulentus sit. SEN. Est omnino amarulentus. BRA. Leuis etiam est, & densus, & arbor pallidum corticem habet. Excaua radicem Herbarie. HER. Adeò multiplex est, & obliqua radix, ut uix absque magna scrobe euelli possit. SEN. Buxus mihi uidetur. BRA. Et buxus certe est, sed spinosa, ut nomen ipsum ostendit, nam pyxiacantha appellatur: ex hac uerum & proprium lycium fit: collige, & pro tua officina serua, & lycia ex alijs rebus facta dimitte. Equitaui per innumeras pyxiacanthas, dum Liguriæ montes cum illustrissimo patrono HERCVLE ESTENSE peragrarem. SEN. Non'ne & ex Lonchite lycium fit? BRA. Fit quidem in India, ut Dioscorides tradit. SEN. Quæ arbuscula est lonchitis? BRA. Multi eam esse putarunt, quam nos uulgò sanguanum appellamus: est enim genus sentis, uirgas subrectas habens, tricubitales, aut eo etiam ampliores, protinus ab radice multas, crassior esq; rubo: cortex abscedens cruentus, propterea à nostris sanguanus dicitur, quo religiosi baculos parant, in quorum summo rasuræ in modum umbellæ Lonchitis.

arte collectæ sunt, hoc ad aspergenda templa, & homi-
Rhamnus sylue stris, nes benedicta aqua utuntur. Tamẽ ego sylvestrem rham-
num esse arbitror, ex quo lycium fieri Plinius 24. libro,
capite decimoquarto censet. Tu autem ex pyxiacantha
lycium tantum habere studeas: tamen Galenus Indicum
alijs præfert: nos uero in India non sumus, & ægrè habe
tur, ideo illo contentus sis: quin etiam si ex rhamno sylue
stri parare libuerit, præpara. SEN. Vidi etiam qui
ex sylvestribus prunis pararent. BRA. Parent, omnino
uim stipticam habent, ut ex ipsis etiam acatiam faciant:
tamen melius est rem certam habere, quum facile possit,
quàm per tot res modo huc modo illuc uagari: quamuis
lycij nomine apud quosdam autores, omne id ueniat (ex
quocunq; sit frutice) quod uim constrictiuam habet, &
Sanguis draco- more lycij fit. SEN. Sanguis draconis sequitur. BRA.
nis, Quur inter liquores hunc sanguinem ponis, qui potius
gummi est? SEN. Est etiam & lachryma, sed hoc ni-
hil impediet, modo rem ipsam cognoscam. BRA. Esto,
uerus draconis sanguis, ex serpente est, de quo Plinius ca
pite duodecimo libri octaui, qui ex elephantis aure to-
tum sanguinem exhaurit, ut moriatur, postea cadens ser-
pentem interficit: sanguis ille exiens, Draconis sanguis
appellatur, qui terra mixtus colligitur, & in pastillos ac
rotundos orbes conformatur. SEN. Non possum arbi
trari nostrum draconis sanguinem ex eo genere esse.
BRA. Imò non esse certus sis. Quin & Serapio Ge-
nuensi, Pandectario, & reliquis recentibus ansam erran
di dedit, quum tamen ipse non erraret. Quippe sangui-
nem draconis Serapio describens, quem hemalocoën uo-

cat, eo

cat, eodem modo describit, quo Dioscorides quartam sideritis speciem, & easdem proprietates illi attribuit, quas sideriti Dioscorides elargitus erat, adeò ut nullus sit tam cæcus qui non uideat: & Galenum adducit Serapio, ea recensens, quæ ab illo de siderite dicuntur, ut constet sanguinem draconis Serapionis, non esse nostrum, quo utimur, sed esse quartã speciẽ sideritis Dioscoridis, cuius succus uulnera sanat, & adstringit, quã multi mille fõlium putant, & re uera una spcies est millefõlij, qua rustici nostri ad boues & equos uulneratos sanandos utuntur. Recentes autem de sanguine draconis loquentes, de hoc Serapionis, & siderite Dioscoridis tractant, ac si huius succus sit sanguis draconis ita nuncupatus, quem in officinis habetis magno errore. Vnum est, uestrum draconis sanguinem sideritis succum non esse, qui etiam non est uiridis, sed esse triplicem apud uos draconis sanguinem constat: unus est in rotulas circunuolutus, qui ex pseudobolo armeno & terra fit, res fictitia & adulterata, quæ tam à Ferrariensibus pharmacopolis abijci cœpit, nisi pro ornanda officina appensum habeant. Alius sanguis, est cuiusdam arboris lachryma. Tertius, est eiusdem arboris gummi. In gummi cortices arboris manifeste uidentur, in lachryma absunt: si gustu sentiãtur, stipticitatem quandam præferunt. Hinc igitur uides draconis sanguinem, quo utimur, non esse draconis ab elephante interfecti, nec esse sanguinem draconis Serapionis, quamuis ab omnibus recentibus, ac si sanguis draconis Serapionis in usu sit: quum tamẽ sanguis draconis Serapionis sit quarta species sideritis apud Dioscoridem & Gale-

num. Ego igitur in officina succo quartæ speciei sideritis potius habere uoluerim, quàm gummi hoc, quod uos habetis, & herbam habere facilius est, quàm gummi, quoniam apud nos uiret. SEN. Quid est ille sanguis draconis, qui uerè sanguis est? BRA. Non'ne tibi dictum est, ex sanguine draconis esse ab elephante collisi, ut Plinius libro trigesimotertio, capite septimo, scribit, qui ab antiquioribus cinnabaris uocatur, ut Dioscorides etiam libro quinto testatur? Qui autem pro cinnabari Minium sumunt, id est, nostrum uocatum Minium (ut plures medici faciunt) pro re medica, ueneno utũtur: nam cinnabaris qui est sanguis draconis, rei medicæ plurimũ prodest, & nullus color magis fingit sanguinem illo, ut Plinius testatur. Nunquam hunc cinnabarim uidimus, uel draconis sanguinem, sed bene adulteratum, ut suprà ex falso Boloarmeno, uel sorbis tritis, & caprino sanguine. Tamen si Dioscoridem considerabis, oculata fide deprehendes sanguinem draconis non esse cinnabarim, sed duo esse distincta: pro Plinio autem nihil impediebat & sanguinem draconis suo tempore cinnabarim appellari. SEN. Id abs te scire peto, quo nomine apud antiquos gummi hoc appelletur, quod sanguis draconis dicitur. BRA. Nondum legi apud aliquem autorem, cuius generis gummi sit, uel ex qua arbore lachryma emanet: scimus autem è Libya ferri, & ex Aegypto Venetias, quid uero sit, ignoramus. Vnum est, recentes summè errare, qui hoc gummi, ac si sit sanguis draconis Serapionis accipiunt, & Dioscoridis ac Galeni sideritis, quum tamen non esse constet. Ab omnibus eodem ferè nomine dicitur.

Cinnabaris.

Galli,

Galli, ſang de dragon: ab Hiſpanis ſangre de drago à Germanis drachen blut, ac ſi ſanguis draconis dicerent, appellatur. SEN. Camphora ultimum locum in his occupat. BRA. Nuſquam Dioſcorides, Plinius, Galenus, aut Paulus de camphora loquuti ſunt, aut eam uel à longe (quod ſciuerim) oſtenderunt: ſoli Arabes ipſius meminerunt, gummi arboris eſſe certũ eſt. Serapio ex Panzor Faſella, & alijs regionibus adduci tradit: quæ ſint iſtæ regiones ignoramus: nomina Mauritana ſunt hæc, non latina aut græca. Res ipſa, id eſt, camphora, omnibus nota eſt, eius arbor ignota, nec à Mauris recte deſcripta: quippe nihil de foliis arboris camphoram ferentis Serapio aut Auicenna loquuntur. Dicunt autem illis annis maxime profluere, quum multa tonitrua, & multa fulgura fiunt: nec proprie gummi eſt, quod exeat, ſed intima parte arboris inuenitur, ac ſi medullæ locum occupet. Luſitani, qui meridionale pelagus nauigarũt, in inſula Burnei camphoram inueniri tradunt, & qui in regione ſunt, gummi arboris eſſe cenſent. In regno etiam Fanfur, ut Marcus Paulus Venetus refert, optima camphora prodijt. Fortè ea pars eſt, quæ à Serapione ex ſententia Iſaac Faſella nuncupatur: de hac re incertus ſum. Diſputant recentes, an calida uel frigida ſit, multi effectus ſupra caliditatem arguunt, & guſtus, odor. Alij frigiditatem: hæc aliàs diſputanda ſunt, quia hic locus non eſt pro ambabus partibus rationes inſtruere. SEN. Nullus eſt apud antiquos qui camphoræ meminerit. BRA. Nullus, niſi Aëtius, qui multo poſterior eſt: hic camphoræ meminit ſub nomine caphura, in eo unguento, quod ſalca appellat, pro Camphora.

axillis, & auribus fœminarum composito: quamuis in codicibus qui passim habentur, absit, ut primo libro uidere licet. SEN. *Habet'ne eundē colorem album perpetuo?* BRA. *Non, prius enim maculis rubris insignitur, postea colore solis, aut ui ignis dealbescit. Galli camfre, Hispani camphora, Germani camphur appellant. Tu cætera uenerande Senex prosequaris.* SEN. *De prædensis liquoribus expeditū est. Gūmi genera sequuntur.* BRA. *Cur inter gummi camphorā nō numerasti?* SEN. *Quia an gummi esset ignorabam, quum in arborum meditullio inueniatur.* BRA. *Hoc nihil refert, modo rem ipsam habeas. Venetijs emes, quoniam ab his montibus, imò & à tota Italia abest: sed priusquam ad gummi genera ueniamus, prandere opportunius erit.* SEN. *Non ab re dictum est, quia interim solis æstum euitabimus.* HER. *Hodie ad hanc usque horam uiribus uigeo, nam pauciſsimis in hoc monte occupatus fui, sed omnia ferè aliunde quæsita sunt.* SEN. *Deinceps (ut arbitror) modicè occupaberis, quoniam pauca admodum colligemus, sed collecta emere opus erit. Ad littus illius riuuli descendamus, ubi quiescemus, & per compendium in aliquam uillam peruenire poterimus.* BRA. *Vt lubet fiet.* SEN. *Inter eundum, ut uia breuior uideatur, quibus moribus illustriſsimi ducis nostri* ALPHONSI *filij insigniantur, edoceas.* BRA. *Nihil unquam mihi gratius contingit, quàm quum trium horum maximorum luminum, & splendentium astrorum sermo inciderit, quos intus & in cute noui.* HERCVLES *primogenitus adeò cumulatiſsimis uirtutibus pollet, ut nullus in*

Italia

Italia non modo princeps, sed nec religiosus cum æquet, in publicis rebus gerendis dexterrimus. In armis fortissimus, in literis adeò egregius, ut ex insperato probatissima carmina effundat: non potui diu cogitans aliquid culpatum in HERCVLE inuenire. HIPPOLYTVS secundo genitus eum apprime imitatur, qui non archiepiscopali insula, sed triplici corona dignus est. Hic uniuersam cyclopediam, & omnes bonas artes adeò nactus est, ut nihil ad uirtutum cumulum desit. At quomodo potuit FRANCISCVS tertio genitus tantorũ fratrum exemplo non contendere ut æquet? quos nullus qui homo sit superare potest. SEN. O felicem patrem. BRA. Certus sum in uniuerso orbe esse non patrem, qui filios adeò probos, adeò obsequentes, adeò non morosos nactus sit. Nullus unquã ciuis horũ causa cõquestus est, quũ cæteri principes illis ætatibus, stupris & aliorũ diuitijs capiẽdis incumbant. Dijs equidem comparandi sunt hi tres uirtutum soles, & tria inclyta sidera: nihil aliud cordi habent, quàm omnibus inseruire, & nemini nem lædere, sed iam ad statutum locum peruenimus. In hac uirẽti herba ad specus umbrã sedeamus.

DE GVMMI, QVORVM usus est apud Pharmacopolas.

SENEX.

Myrrha.

NSTITVTVM opus progredi expedit. Thus primũ locũ inter gummi habet: sed quum de ipso inter cortices egerimus, ad secundũ, quod Myrrha est, ueniamus. BRA. Myrrha, qua utimur, à nonnullis Bdellium esse creditur. SEN. Quomodo bdellium, quum longe distincta sint myrrha & bdellium? BRA. Scito gummi, quo utimur, myrrha nuncupatum, myrrham non esse. SEN. O mira res, myrrha non est myrrha? BRA. Esto bono animo, in myrrha ostendam, quod in alijs pluribus feci, eam non esse, saltem optimam, quæ ab antiquis pingeretur: nam Dioscorides myrrham ex omni parte concolorem esse ostendit, & odoratam, & quæ confracta candidas unguium modo, leuesq; uenas intus habeat, amaro gustu, acri. Hæc in nostra myrrha non sunt. Nos Venetijs ueram myrrhã uidimus, talem, qualem à Dioscoride pictã audiuisti, sed raram. Id tamen scito, odorem quidem suauem, non suauissimum habuisse, sed potius erat cum quadam grauitate. Adde in nostra myrrha quandoque ueræ myrrhæ frustula inueniri, subuiridia, & quæ unguium modo candorem habent, ex Troglodytica regione, quæ est Aphricæ pars, probatissima myrrha Alexandriam fertur. Myrrha quam nos habemus, ea est quæ secũdo loco à Dioscoride

scribitur

ſcribitur,& caucalis uocatur,quæ cum tertia ſpecie partim mixta eſt, quæ ergaſime dicitur, minus matura eſt, & colore atro:hæ duæ ſpecies mixtæ ſunt, quæ bdellij odorem habent: Alexandriam feruntur,poſtea Venetias. Quum emes,optimam habere cures, aut ſaltem quæ plurimas partes candidas ut ungues,habere ſtudeas. Eſt autem Arabicæ arboris lachryma, corticem plaga laxant, exit ſpuma,quam colligunt,& circa corticem addenſatur tanquam gummi reliquum.Sed non myrrha ſolùm cõ
tentus ſis,imò & ſtacten, id eſt,recẽtis myrrhæ expreſ- Stacte.
ſam pinguitudinem habere ſtudeas. SEN. Quid ſtacte eſt? BRA. Plures ſtyracem liquidam à nobis uocatam ſtacte arbitrati ſunt:nempe myrrhæ odorem ferè habet, & cætera quæ à Dioſcoride numerari uidentur:an uero ſit,infrà edocebimus.Si quandoq; ueram myrrham aſſequi contingat, quæ colorem ſubuiridem habeat,& mordax ſit,ac perlucida,odorata,aſpero ſitu obducta, recẽs, leuis,ex omni parte concolor,& quæ confracta candidas unguium modo,leuesq; uenas habeat, hanc leui expreſſione exprimes:quod exibit,ſtacte erit:quamuis ex recenti magis fieri conueniet, tamen & ſtacten habebis, & eo pro ſtacte uti poteris.Hi uero ſummè aberrant qui ſtacte ſpeciem myrrhæ contra alias diſtinctam arbitrãtur. SEN. Huius ſententiæ ſemper fui. BRA. Nunc ſententiam muta admonitus:quoniam ex omni ſpecie myrrhæ ſtacten fieri nihil impedit,præſertim ex pinguiſſima, ut ea eſt quæ pediaſimos à Dioſcoride nuncupatur. Re uera ſtacte ea res eſt,quam nos liquidam ſtyracem uocamus. SEN. Gaudeo nouiſſe liquidam ſtyracem ſtacte

esse. BRA. Compertius scies, quum de styrace sermo inciderit. SEN. Incidat nunc. BRA. Fiat. Odoratus hic liquor, qui styrax liquida nuncupatur, nomen hoc habet, quia ab Arabibus impositum est, quos recentes postea sequuti sunt. Nunc autem speculemur, quam rem Arabes styracem liquidam appellent, tunc statim deprehensum erit, quid sit liquida styrax. Serapio in capite styracis, quum eam edocuisset, quam calamitam nuncupamus, liquidam styracem pertractat, & Dioscoridem in hac re adducit, ita (secundum ipsum) dicentem: Styrax liquida est pinguedo myrrhæ recentis, & extrahitur à myrrha, quia terunt eam cum aqua pauca, & premunt cum torno, & est boni odoris, & ingreditur in confectionibus, & sola etiam sine aliqua admixtione est bona, & melior ex ea est, quæ non habet admixtionem alicuius olei, & purum ex ea est multæ uirtutis, & calefacit, & est calefactio similis calefactioni myrrhæ, & oleorum calidorum siccorũ. Si modo legas, quæ à Dioscoride de stacte dicantur, manifeste deprehendes styracem liquidam Serapionis, esse Dioscoridis stacte: quoniam idem oculata fide Dioscorides de sua stacte dicit, quæ à Serapione de styrace dicũtur. Inquit enim Dioscorides: Est pinguitudo recentis myrrhæ: tunditur hæc cum modica aqua, dein per machinas aqua foras exprimitur: odoratissima hæc, & pretiosa impendio est, & per se unguentum facit sine oleo, stacten uocatum. Commendatissima uero quæ impromiscua & libera oleo sit, & quæ minima portione plurimum calefaciat, similemq; uim tum myrrhæ, tum unguentorum ex calefactorijs obtinent. Si hæc spe-

Styrax liquida.

culari

culari tentes, Serapionis liquidam styracẽ, stacten Dioscoridis esse deprehendes, nisi sponte hallucinari uolueris. Quod si in aliquibus diuersi uideantur, id potius est interpretis Serapionis causa, qui etiam quum styrax liquida interpretatus est, stacte interpretari debuisset. Ita enim Græcè, & Latinè dicitur. Storax uero liquida (ut interpres apud Serapionem utitur) nec Latinum, nec Græcum nomen est. Myrrham Galli Mierre, Hispani & Germani ut nos ferè, illi myra, hi myrrhe dicunt. SEN. Euphorbium sequitur. BRA. An id sit euphorbium quod habemus, non sum anceps: tamen antiquum quandoque emitis, quod eo ardore caret, quem illi autores tribuunt. Quippe inquiunt colligentes ualde timere, adeò ut supra contum utriculo ædi ligato succum arboris ferulaceæ à longe colligant. Gustaui ego non semel antiquum euphorbium, mirum illum ardorem non persensi, nec hi persensere quibus gustandum tribui. Nonnunquam in recens magno meo periculo incidi: nam per integram diem intensissimum in ore ardorem habui, qui nec frigidissimis aquis extingui posset. Venetijs habetur, sed Genuæ magis: in Aphrica nascitur monte Tmolo, in Mauritaniæ parte, è regione Hispaniæ: facile est Hispanum illuc nauigare, nisi Mauritanæ naues piratarum interturbarent, & intercluderent iter. Tamen Imperator CAROLVS multa nunc in Aphrica possidet, & Deo duce possidebit, Mediterraneum mare ea parte qua Tyrrhenum dicitur, ab infidelium incursionibus liberans. Genuæ igitur, & translucidum ac perspicuum emas. Nomen habuit ab Euphorbio Euphorbium.

Antonij Musæ fratre eius inuentore, qui Iubæ regi Mauritaniæ inseruiebat. Duo celebratissimi fratres in nostra inclyta & salutari arte fuere, Euphorbius, & Antonius Musa, cuius nomen patri meo Francisco Brasauolo imitari placuit, quũ ab unda baptismatis attollerer: sed utinam doctrina, non solo nomine, antiquum illum Antonium Musam Augusti medicum imitarer. Ita etiam ab Hispanis nominatur euphorbio, à Gallis euphorbe.

Sagapenum, SEN. Serapium sequitur. BRASA. Sagapenum dicas. SEN. De nominibus cura non fit, deinceps sagapenum dicemus. BRA. Est succus fruticis ferulacei, ut Dioscorides inquit, in Media nascitur, Alexandriam Aegypti portatur, quæ uniuersale emporium est illarum partiũ, inde Venetias: foris translucidum esse debet, colore russo, & quum frangitur candido intus, odore medio inter laserpitij succum, & galbanum, gustu acre. Quæ omnia indicia in nostro uocato sagapeno sunt. Plinius capite XVIII. XX. libri in Italia nasci asseuerat, ubi inquit, Sagapenum quod apud nos gignitur, in totum trãsmarino alienatur: etiam libro XIX. cap. VII. in hortis seri dicit, ad rem medicam solum. At nec arborem, nec folia Plinius docet, ac si de re nota loqueretur. In Apulia nunc prouenit. Tamen quum Medum habeamus, Venetias per Alexandriæ nauigationem allatum, hoc potius emerem: est enim uerum sagapenum illud, & efficacius, quod, ut inquit Mesue, allij odorem habet: qui eo loco à quodam excellenti uiro immeritò reprehenditur, dicente quasi per calumniam, unde ipse odorauerit. At si doctissimus hic uir, ut nos fecimus, gustasset, allij odorem

persen

perſenſiſſet, quem à mane ad ueſperam etiam prandens in ore habui: ideo non eſt quiſquam temere culpandus, præſertim in res guſtus, priuſquam guſtu tentatum ſit. SEN. Opoponacum ſequitur. BRA. Et nunc opopo- Opoponax.
nax dicere oportet: ſuccus eſt herbæ, quæ panaces hera-
clion dicitur: eſt autem prima in ordine panacum Dio-
ſcoridis. Dicitur autem opoponax, id eſt, ſuccus panacis.
In Bœotia & Arcadia, præſertim Pſophis habetur, &
in Syria: ex Syria Alexandriam, & poſtea Venetias af-
fertur. Olitorum induſtria magna copia parari poteſt.
Hoc unum eſt ex his quæ Illuſtriſſimus dux noſter ex
Syria, uel Arcadia habere curabit. Tamen in Italia & in
monte Apennino naſcitur, & in Gargano Apuliæ. Fo-
lia habet ficulnea quinquepartita, & per ambitum lan-
cinata, quæ in terra iacent & inſigniter uiridia ſunt.
Caulem ferulaceum habet, & altiſſimum, lanuginem can
didam habentem, & folia circum ſe minuſcula, umbra-
culum ſubſtinentem ut anethum, flore luteo, ſemine odo-
rato, feruentiq; in ore, pluribus ab uno principio radici-
bus candidis, graueolentibus, multi ſalſiq; corticis. In Apu
lia naſcitur ubertim, & in Apennino monte uarijs locis.
Nos ſupra Mutinenſes alpes uidimus, & in horto fratrũ
ſancti Hieronymi Ferrariæ. Non emerem Venetijs, niſi
ob id quod ex calidioribus & ſiccioribus partibus ue-
nit. Curarem tamen, ut ex Apulia radice inciſa lachry-
ma exciperetur. Subſtratis enim eius folijs in terra exca-
uata colligitur. Quum autem opoponacem probare in-
ſtitueris, amariſſimum ſaporem habere debet, interius
candidum & ſubruffum, extra luteum, leuem, pinguem,

friabilem, tenerum. Nostrum, quod habemus, aliqua amaritudine insignitur, non tamen amarissimum est, & graui odore sentitur. Propterea cum nostro aliquid mixtum arbitror, quod intensam amaritudinem tollit, uel opus est quantitatem notatu dignam mandare, si intensa amaritudo sentiri debeat: in reliquis notis penitus conuenit. SEN. In hac re quid Arabes sentiunt? BRA. Serapio cum Dioscoride eodem modo scribit, Mesue autem tria panacis genera confundit, Heraclium, Asclepium, & Chironium, id docere uolens ex quo opoponax fiat. Cur autem opoponacem inter gummi genera posuisti, quum potius condensatorum succorum ordinem ingredi debuisset? SEN. Ne curæ sit, modo ex his simplicibus, quibus in officinis utimur, nullum omittatur. BRA. A Gallis oppoponac uocatur. SEN. Ammoniacum sequitur. BRA. Et hic succus est ex frutice eiusdem nominis sumpto: quamuis nomen hoc ammoniacum, & genus salis, & succi significet, ambo in Libya apud Cyrenem inueniuntur: sed ammoniacum appellatur, quia in arenosa Libya apud Iouis Ammonis tẽplum prodijt. Sal ex terra sumitur: gutta (ita enim Romani succum illius arboris uocant) ammoniaca ex arbore manat. Miror ego de Paulo Aegineta, qui inter odoramenta numeraucrit: unde colligere potes quæ apud ipsos pro odoribus existimarentur. Nam & Dioscorides ammoniacum thymiama uocat: tamen eius odor grauis est: nec uerum ammoniacum nobis deest, quamuis antiquum fortè sit. Venetijs emes, quamuis Genuæ melius esset, quoniam ex Aphrica mercatores Genuam facillime

Ammoniacum.

cillime transeunt, tamen & Alexandriam portant ac Venetias. Ita probatur, quod est maxime coloratum, non lignosum, sine arenis, & ad thuris masculi similitudinem in grumos concreuit, purum, prædensum, liberum sordibus, & odore Castorei, gustus amarulenti. Nescio cur Galenus odorem coriandri habere fateatur, & cur Paulus ad odorem ammoniacum accendat: fortè diuersum est id Pauli & Galeni, ab eo Dioscoridis, qui grauem odorem ut castoreum habet: & quod de re diuersa loquantur, hoc signum est, quia in simplicium medicamentorum facultatibus ea dicunt, quæ à Dioscoride in ammoniaco tractãtur. Ammoniacum suprà descriptũ thrausma nuncupatur: est aliud terrosum, & lapidosum, quod phyrama dicitur. Nos frequenter hoc habemus: nec primum deest quandoque. Ab Hispanis, ut nos uulgò facimus. A Gallis Armonia uocatur. SEN. Sarcocolla occurrit. BRA. A glutinandis carnibus nomen inuenit: gũmi est arboris in Perside thuris pollini simile, colore subruffo, gustanti amarum. Si nostram sarcocollam gustaueris, nonnulla granula amara sunt, alia minime, ut quæ à Dioscoride dicuntur uera esse deprehendam, adulterari scilicet gummi permixto: nam pura grana amaritudine afficiuntur, impura nequaquã. Nec illos probo, qui sarcocollam esse efficiantur, quia pollini similis non sit, imò pro maiori parte, adeò tenuia grana sunt, ut pollinẽ imitari uideantur, quamuis aliqua etiã crassiora sint, quæ tamen non impediũt esse pollini similia. Quòd autẽ à Mesue corpora impinguare dicitur, & à quodam meo præceptore reprehenditur, quia si soluit, impinguare non Sarcocolla.

potest, non est dignum reprehensione: quoniam multa soluere possunt, quæ impedimenta remouendo, impinguationis causa fiunt, qualitatem quandam uentriculo condonantes, præter id quod euacuent, qua facilius digerere possint, & in nutriti substantiam cibum uertere. Quam ob rem idem euacuare, & nutrire potest, id est, causa esse cur nutriatur corpus. A Gallis etiam sarcocolle nuncupatur. SEN. Styrax utriusq; generis sequitur. BRA. Intelligis ne liquidam, & quam siccam uocamus? SEN. Nihil aliud. BRA. Liquidam esse Dioscoridis stacten, id est, primum myrrhæ expressum, suprà edocuimus, tamen paruam amaritudinem habet, ut ego adulterari putarem: hinc myrrhæ fragrãtia nosci posset, si purum stacten haberemus. Arabes decipiuntur, qui ex eadem arbore styracem liquidam, & calamitim habere iudicant: imò addunt huius arboris fructũ in magnitudine auellanæ esse, & exprimi: quod exprimitur, styrax liquida est. Cortices styrax sicca sunt: hæc autẽ arbor gũmi habet, quod est ambra: hæc Serapio ex sentẽtia Isaac, hoc errare fecit Pãdectarium, ut tres styracis species esse arbitraretur, liquidam, siccã, & calamitim. Re uera id uocabulũ styrax solũ eam significat quæ à probis autoribus calamitis nuncupatur, de qua Serapio post prædicta ex sentẽtia Dioscoridis tractat. De fructus expressione, nihil apud autores fide dignos scriptum reperi: unde uel de alia re tractabat Isaac, quàm de styrace, uel ut contingebat loquutus est. Verùm quia sub eo uocabulo scripserat Serapio, ad caput miha, id est, styracis duxerat, styrax autem Isaac alia res est. Nunc igitur de Dioscoridis,

Styrax.

Plinij,

Plinij, Galeni, & aliorum bonorum autorum ſtyrace loquemur. Hi omnino diſtinctum ſtyracem habent, non perliquidum, & ſiccum, ſed per proprias quasdam qualitates, at hic à calamo, calamitis: ille chrymatias, alter aſpros, id eſt, albicans nuncuparet. Hæc autem nomina in diuerſis antiquorum compoſitionibus inueniuntur, nec ſpecies euariant. Ad rem uero accedentes ſtyrax lachryma eſt arboris cotoneo malo ſimilis: ex Cilicia Alexandriam, & Venetias defertur: quanquam & in alijs pluribus locis naſcatur, nam ex Cypro & Creta habetur, ſed ex Creta illaudabilis, quem frequentius habemus. Non eſt opus dubitare, an ueram ſtyracem habeamus, quia ueriſſima eſt, & ſi ineptior ſit, habet ſimul ſcrobem ſui ligni. Globi quandoque in modum gummi inter ſtyracis maſſas inueniuntur: ſi optimum ſtyracem quæris, eum accipe qui ruffus ſit, reſinoſus, pinguis, & grumos habet albicantes, & quæ diu ſui coloris bonitatem ſeruet, & quum ſubigitur lentorem mellis habeat. Talem Venetijs eme, & præſertum in quo lachrymæ gummi ſimiles appareant. Nec ſtyracinum unguentũ prætereundum eſſet, ſi haberi poſſet: in Syria fit. Singulis annis Venetorũ nauis, quæ Hieruſalem littora appellit, in Syriam peruenit. Fuliginem eo modo para, quo Dioſcorides thuris fuliginem fieri docuit. Hiſpani ſtoraque nuncupant. SEN. Vtraque pix ſequitur. BRA. Per utranque picem quid intelligis? SEN. Hiſpanam uocatam, & naualem: dubitas etiam in picibus? BRA. Maxime duditabam, quoniam pix ſicca, & liquida inueniuntur. Pix naualis notiſſima eſt, ex pinu & picea fit, pinguiſſimis harũ arborum Pix.

assulis acceptis resina plenis in struem congeruntur, & igne appositio in factitium canalem fluit resina accensa, quæ extincta pix uocatur, & nigredinem ab igne acquisiuit: à nobis pix naualis, ab antiquis liquida nuncupatur ad differẽtiam alterius per alteram coctura factæ, quæ pix sicca dicitur: ambarum usus est in officinis. SEN. Et ambas habeo, ex Germanicis partibus ad nos conuehuntur, præsertim ex Tridento. BRA. Imò & ex plurimis Italicis. SEN. Pix igitur ex resina fit. BRA. Equidem ex resina in teda occulta, qua exusta, pix exudat. Nec putes ex his duobus tantum picem fieri: quoniam in Syria terebinthi teda exusta fit, quia ibi pinus abest, aut rara inuenitur: si etiam ex picea fiat, maior pars ex pinu est. Laudatur pix nitida, leuis, pura: etiam ex cedro in Græcia habetur. Præter duo picis genera, liquida & sicca, quam palimpissam dicunt, quæ & ipsa in aridum & uiscosum diuiditur, oleum picinũ habere studeas, quod fit parte aquosa picis separata: id enatat, ut in lacte serum. Dum pix coquitur, puris uelleribus excipitur supra eius halitũ expansis, & quum permaduerint in uas expressis: & hoc semper fit dum pix coquitur. Nec picis fuligi nem in tua officina omittas, quam eo modo facias ut primo libro Dioscorides tradit. Nec zopissam despexeris, quæ est derasa à nauibus resina cum cera: quam ob rem pix ex resina fit, id est, pingui teda combusta resina plena. SEN. De pice Hispana prosequaris. BRA. Hæc & pix Græca uocatur, qua picata uina fiunt: accepto enim pugillo, uel duobus aut tribus, huius picis, in uas ui no plenum proijciunt, ne marcescat, & uinum potentius

Pix Hispana.

euadat

euadat. Hinc Græca uina ferè omnia quæ ad nos feruntur (Cretico dempto, maluasiam nuncupato) picis odorem habent, & ea præsertim quæ Romania uulgò dicuntur. Est autem res fictitia: nam ex omni resina fit, sed præsertim ex pinu resina, quoties per decoctionem ad id ducitur, ut in puluerem redigi possit. Hinc est quod pix Hispana uarios colores habet: quandoq; fuluum & aureũ, si ex laricis resina fiat: quandoque albicans, si ex pini uel piceæ resina. At nomen picis sortita est, quum sit resina cocta, propter coctura quam non habet resina, sed sponte à natura prosilijt: unde pices per ignẽ fiunt. Resinæ sponte ex suis arboribus prodeunt. Hispana nuncupatur, quoniam ex Galliæ & Hispaniæ montibus ad nos magna copia comportatur, quamuis & in Italia sit plurima: eadem ratione & Græca dicitur, quia ex Græcia affertur: & Colophonia, quoniam Colophone inueheba tur. In his resinis diuersos autores comperio. Nam Plinius ex pinu & picea siccas esse: Dioscorides autem ex omnibus arboribus resinam emittentibus, humidas & siccas haberi tradit. Quicquid sit, nos ea tantum prosequemur quæ in officinis habentur, aliàs determinate de his rebus tractaturi. Tu in officina Hispanam picem ex resina pini habere studeas: quamuis & ex alijs resinis seruare nihil impediet. SEN. Rem miram edocuisti, hactenus Hispanam picem gummi alicuius arboris esse arbitrabar. BRA. Deinceps intelliges Hispanam picem per decoctionem resinæ, ut in puluerem redigi possit, fieri, & longe à gummi differre. SEN. Quibus notis resina à gummi differt? BRA. Resina oleagina quodam- Resina oleagina

modo est gummi aqueum, quod experientia maxime demonstrat, quoniam resina igne accenditur: gummi crepitat. Difficile præterea est resinas, & aquam miscere, facillimum gummi & aquam: difficillimum gummi & oleum, facillimum resinã & oleum. Quæ experientia, resinæ naturã oleaginã, gummi uero aqueam esse ostendit. Ideo nostri temporis inepti quidam medici rerum naturas nescientes in uarijs cõpositionibus gummi & oleum miscent, resinas & aquam, quæ non se compatiuntur, magno pharmacopolarum clamore. SEN. O quoties hoc mihi accidisse memoria habeo: de resina autem prosequaris. BRA. Dictum iam est te pini resinam seruare, cuius Plinius de pinu minimum colligi sentit, quum tamen experientia oppositum ostendat: fortè quia Plinius à Theophrasto sumit, apud Theophrastũ uero pinus larix est, ita ipse acceperit. Omniũ uero optima terebinthina est.

Resina terebinthina.

SEN. Tu ergo inter resinas terebinthinam numeras? BRA. Equidem, & ab autoribus inter resinas numeratur. At ne putes illam esse terebinthinam, quæ pro terebinthina passim uenditur, flaui coloris, quia ex larice resina est, ideo laricina potius nuncupari deberet. Vnde Veneti, & plures Italæ gentes, non terebinthina, sed larga, quasi larica ex larice uocant: nam habet mellis Attici colorem. Terebinthina autem alba esse debet, perlucida, in modum coloris uitri cœrulea, odorata, sed potissimũ odore terebinthi. Ex Cypro Venetias affertur: nunc uera terebinthina, aliàs laricina pro terebinthina utebantur: nunc error detectus est, & ueram terebinthinam portant: sed ut cõmodius uehatur, eam coquunt, & in mas-

sas rotun

sas rotundas ueluti placentas congerunt. SEN. Vt conij cere possum ex his quæ dixisti, pix terebinthi nuncupari potest, quoniam per coctura fit ut aliæ pices. BRA. Poterit, & nihil impediet, nisi diuersam esse terebinthinæ coctura ab alijs picibus dicamus: quoniam terebinthina in aqua, aliæ siccæ & per assationem potius densantur. Chiam summè laudat Galenus in libro de antidotis primo. Andromachus Libycam præfert. Satis est nos Cyprinam habere. Venetijs etiam non coctam uidimus, quæ duritiem quandam præ se ferebat. SEN. Gaudeo meis temporibus inuentam esse terebinthinã, id est, ad nos allatã, quæ prius non afferebatur. BRA. Ex Aphrica etiam, & Cycladibus insulis Venetias comportatur: uerùm ex multis alijs locis, et multis arboribus resina fit. SEN. Masticem quid esse arbitraris? BRA. Inter resinas à Dioscoride numeratur, & ita sentiunt Theophrastus & Plinius: quippe resina lentici est. SEN. Legi medicos quosdam recentes, qui suo quodam libello Auicennam reprehendunt, qui ignorauerit lentiscum esse arborem ferentem masticem. BRA. Et si Auicenna de Romano Mastice loqui uideatur, quem in rerum natura nõ esse recentes quidã scioli profitentur, nos ex opposito Romanũ masticẽ, id est, Italum esse scimus. Vnde Plinius præter Chium, Italum etiã scribit, & Cicero rusticæ plebi necessariũ esse pro uarijs temporibus cognoscẽdis tradit. Circunferuntur de hac arbore Ciceronis uersiculi:

Iam uero semper uiridis, semperq; grauata
Lentiscus triplici solita est grandescere fœtu:
Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi.

Vt apud Romanos in honore fuisse lentiscum deprehendatur. Recentes ergo immeritò Auicennam reprehendunt, qui de Romano mastice loquatur. Imò & si non dicat arborem ferente masticem lentiscum esse, id tamen innuit, quũ inquit ex ea fieri dentifricia. In hoc autẽ erat apud antiquos laudatißima lẽtiscus, & in hoc opẽre dentiscalpio à Dioscoride collaudatur. Imò Auicenna idem cum Dioscoride dicit in lentisco, quod arbor in usu acatiæ, & hypocisthidis respondet: quamuis ille uocabulo barbaro utatur, herisistides. Vnde de his recentibus apprime mirandum, qui ita temere sine culpa Arabes reprehendant, & Mauritanos accusent, qui è sua lingua in Latinam peruerse interpretati sunt. Fortè si tot haberẽt Mauritani literarum sectatores, quot Græci, mendis carere in pluribus perciperemus. SEN. Habet'ne duritiem illam mastix, quum ab arbore sumitur? BRA. Nõ, sed resinæ duritiem solum, postea magis ac magis exiccatur. SEN. Resinarum ordinem secundum perfectionem & imperfectionem libenter addiscerem. BRA. Id libenter agam, de his præsertim, de quibus antiqui meminere. Inter alios Galenus libro de simplicium medicamentorũ facultatibus octauo, per adstrictionem resinas scribens hunc ordinem obseruat:

Prima Lentiscina, id est, mastix.
2 Terebinthina,
3 Strobilina,
4 Pinea,
5 Picea,
6 Abietina.

In digeren

In digerendo resinarum ordo:

Prima Terebinthina,
2 Lentiscina.
3 Aliæ quæ parum differunt, in maiori aut minori digerendi actione.

In abstergendo resinarum ordo:

Prima terebinthina.
2 Aliæ, quæ non differunt in abstergendo, sensibili aliqua differentia.
3 Lentiscina, quæ minus alijs abstergit.

In attrahendo resinarum ordo:

Prima Terebinthina.
2 Aliæ, quæ in attrahendo eadem ui insigniuntur.
3 Lentiscina, quæ cæteris minus attrahit.

In emolliendo resinarum ordo:

Prima Terebinthina,
2 Lentiscina,
3 Cyparissina.
4 Aliæ, quæ æquo modo molliunt.

Possemus & secundum acrimoniam eas comparare, sed Dioscorides nos uocat, qui omnes resinas alio ordine disponit, absolutam perfectionem resinarum considerans, quæ in hunc ordinem disponi possunt:

Prima Terebinthina,
2 Lentiscina,
3 Picea,
4 Abiegna
5 Strobilina,
6 Pinea.

Venetijs pro officina tua ueram terebinthinam, & masticē emere poteris: & præter hæc ex omni resina fuliginem para, ut Dioscorides primo libro scriptum reliquit, & ad medicos usus serua. SEN. Sunt'ne aliæ resinæ? nam tu in exarandis Galeni ordinibus cyparissinæ meministi. BRA. Imò & acerna uel zigia reperitur. Est autem tertium genus aceris zigia, & multæ aliæ ex uarijs arboribus, sed quæ in usu potissimum sunt, ex prædictis fluunt. SEN. Vnum solum aduerto, quum resinā absolute dicimus, illam pini intelligimus, quam Rasa nulla determinatione addita uocamus. BRA. Ita usus fecit: nam & si apud antiquos resinā inueniamus, terebinthinam ob excellentiam intelligere oportet, nisi alioqui appellare cōsueuissent ut in nostro usu est. Nunc reliqua prosequaris. SEN. Oro, ne aliarum gentium nomina prætereas. BRA. Id libenter agam: pix à Gallis pois, ab Hispanis pez, à Germanis bech nuncupatur: Masticē uero Galli mastic, Hispani ex Lusitania almezaga uocant, & Galli etiam ut nos ferè & Hispani ac Germani terebinthinam uocant: nam primi terebenthine, alij termentina, tertij terbentim proferunt. SEN. Gummi Arabicū sequitur. BRA. Gummi genera tot esse, quot sunt arbores, è quibus manant, autores testantur, sed hoc genus, quod Arabicum nominamus, & ab aliquibus Babylonicum, ab alijs sarracenicum dicitur, à nullo antiquo autore particulari nomine donatur: quum uero hoc nomen potius sit ab Arabibus inuentū, quàm Græcis, gummi Arabicum, ideo ab Arabibus petēdum est, & ex ipsis quid sit inueniēdum. Serapio gummi Arabicū ex arbore

Resina zigia.

Gummi Arabicum.

acatiæ

acatiæ manare dicit, & Dioscorides lib. primo ex arbore acatiæ gummi colligi scribit, aptum ad spissandum, refrigerandumq;, quod ex spina fieri monet. Vnde Plinius capite 11. 13. libri, optimum gummi docens, ex spina Aegyptia esse inquit. Acatia uero est Aegyptia spina, ut à Dioscoride docemur: est autem uermiculatũ, colore glauco, purum, sine cortice (scilicet arboris, nõ ipsius, ut multi quidem decepti sunt gummi corticem habere arbitrantes) dentibus adhærens, sed Græci nullum habent peculiare nomen, quo ipsum indicent, nisi Arabico utamur: tamen ex spina gummi, uel acatiæ gummi dicunt. SEN. Nostrum gummi glaucum esse non uidetur. BRA. Imò quã doq; glauci coloris uidi, quandoq; albi, quandoque aurei. In causa est arborum diuersitas, à quibus educitur: nam una arbore non sumitur gummi nostrũ, sed pluribus: propter id diuersos colores, & diuersas proprietates habet. Spina autem illa, quæ acatiam facit, etiam in Arabia nascitur, hinc nomen sortitum est, gummi Arabicum: Babylonicum uero quia circa Babyloniam Aegypti cõcrescit. At Sarracenicum dicitur, quia uulgus nostrum infideles, & præsertim Mauritanos, sarracenos appellare solet, propterea quod ex Aphricæ parte, & Mauritania uenit, Sarracenicum uocant, ut hoc gummi, quod Sarracenicum dicitur, quia ex Aphrica etiam conuehatur, Latinè gummi acatiæ, aut gummi Aegyptiæ spinæ dici deberet. Verùm aliarum arborum gummi mixta sunt, ideo uarij colores in ipso cernuntur. SEN. Quarũ arborum? BRA. Amygdalarum amararũ, ceraſorũ, prunorũ, uitium, olearum, ulmi. SEN. Habentne diuersas uires huius gũmi ge

nera? BRA. Habent, & unum alio deterius est. SEN. Nisi ægretuleris, optarim ut quendam ordinem perfectionis & imperfectionis edoceres. BRA. Id libenter agam, à perfectiori exordiens, & mox alia secundum uires scribentur:

Primo, gummi Arabicum ex Aegyptia spina.
2 Ex amygdalis amaris.
3 Ex Ceraso.
4 Ex pruno.
5 Ex fructibus.
6 Ex ulmo.

Quum alia sint gummi genera, penes ordinem prædictũ perfectionis & imperfectionis, eorũ firmã experientiã, & statam nõdum habeo. Ideo ad aliud tẽpus pertractare differam, præsertim quia ad nõnulla priuatim ualent, ut est gummi ex uitibus quod priuatim infantiũ ulceribus aptissimum est, & olearum priuatim dentium doloribus succurrit. Nuces quoque suum gummi habent, quod eodem modo sicut alia ex trunco emanat. Apud Arabes electuarium fit, quod de cineribus uocant, apud Auicennam præsertim, in quod gummi nucis intrat. SENEX.

Dragagantum. Non ne & Dragagantum inter gummi species numeratur? BRA. Naturam gummi habere Dioscorides prodidit: proprie autem gummi non est, quãuis recẽtes gummi Dragaganti appellent.

Tragacantha. Est autẽ Tragacantha (ut recte loquar) radix lata, & surculosa, supra terram eminens, è qua rami humiles, firmi, latè diffusi, folio numeroso, tenui, pusillo, intercurrentibus spinis fronde sua contectis, & cãdidis, ualidis, subrectis, de qua tertio libro Dioscorides

scorides agit. Ex hac radice incisa succus emanat, qui in lachrymam coalescit: hic etiam succus Tragacantha nũcupatur. Recentes uocabulum corrupere, & dragantum uel dragagantum dicunt. Conglutinat, ut gummi. Antiqui in Creta solũ nasci arbitrati sunt, & re uera in Creta abundat, & è Creta Venetias affertur, imò nomẽ Tragio Cretam significare certum est, quia spina sit Cretica. Tamen alijs locis nascitur, in Arabia, in Achaia, in Media Asiæ, in Peloponnesso. Qui cquid sit, naturã gummi habet: secundum Dioscoridem per radicis incisionem fit. At Theophrastus sponte emanare censet. Ad gummi igitur redeuntes, Paulus Aegineta quum de Commi, id est, gummi pertractat, ea tantũ animaduertit, quæ à Galeno breuissime expositа sunt. SEN. Notas scire optarem, quibus probatissimam tragacantham noscere possim. BRA. Ex Dioscoride lubentissime aperiam, sit trãslucida, leuis, gracilis, pura, subdulcis. SEN. Iam noui. Ad reliqua gummiũ genera accedas. BRA. Enumera tu quibus in officinis utimini. SEN. Gummi habemus, quod elemi nuncupamus. BRA. Cuius arboris est? SENEX. Abs te peto. BRA. Quid sentiam lubens edocebo: an uero nodum explicabo, iudex eris. Dioscorides libro primo de gummi oleæ Aethiopicæ pertractat: hoc gummi, Arabicum gummi esse putat Hermolaus, nos è contra gummi spinæ Aegyptiæ acatiam ferentis esse gummi Arabicum arbitramur, imò ita esse debere certi sumus: quamuis & aliarum arborum gummi mixta sint: nam à Plinio id gummi cæteris perfectius dicitur: nos autem perfectius gummi non habemus Arabico dicto.

Gummi elemi.

Quam ob rem, & ex his, & ex colore, non possum cum Hermolao asserere gummi oleæ Aethiopicæ esse gummi Arabicum, sed quandoque inclinauimus, ut gummi oleæ Aethiopicæ esset gummi elemi dicti (ut inquit Hermolaus) quasi Enhæmi. In id autem nunc potius inclinor, corruptum esse uocabulum oleæ in eleæ, postea in elemi. Reperitur autem hoc gummi & in Italia: sed uos pharmacopolæ re quadam utimini mihi ualde odorata pro gummi elemi, quam resinam potius quàm gummi existimo. Quid uero sit nondum comperi: satis tibi nunc sit, ex olea Aethiopica, & etiam Italica gummi oleæ haberi, uel ut uos dicitis, gummi elemi, quod Plinius dentibus ualere ostendit. Quin & ex oleastro habetur, quod his notis deprehenditur: simile est scammonio, sed ruffiusculum, & exiguis stillicidijs cõcretum, gustu mordaci, nec gummi aspectum habens. Id enim damnatur quod gummi aspectum præ se fert. Quam uero uos pro elemi, id est, oleæ lachryma accipitis, cum scammonio similitudinem non habet, nec ruffa est, nec concreta exiguis stillicidijs, nec gustu mordaci: imò potius quandoq; dubitaui, quod gummi hederæ nũcupatis, gummi elemi esse, si mordacem illum gustum habuisset. SEN. Nescis igitur quid ea res sit, quam gummi elemi appellamus? BRA. Ad hoc usque tempus quid sit quo utimini, ignoro, sed breui spero rem hanc assequuturum: satis nunc sit gummi elemi uerum, esse gummi oleæ: non dico Aethiopicæ, sed cuiuscunque loci, modo olea lachrymam habeat. HER. Oblitus es aliarum gentium in prædictis gummi nomina edocere: his tamen maxime oblecto.

cto. BRA. Ne Herbarium nostrum suo desiderio frustrari uidear, à gallis gummi Arabicum, gomme Arabic, & Hispanos gomma Arabica nuncupare scias. Dragagantum uero, Galli gome dragant, Hispani gomma dragante, Germani driant uocant. SEN. Gũmi hederæ prosequaris. BRASAVO. Ex hedera libro tertio fieri lachrymam Dioscorides censet: uos pharmacopolæ gummi quoddam circunfertis hoc nomine appellatum gummi hederæ quod non esse gũmi hederæ id testimoniũ est, Dioscoridem lachrymam hederæ psilothron esse dicentem: sed gummi illud uestrum, non solum psilothron non est, imò nec mordicantem gustum habet, aut qui calorem ostendat. Vnde & Galenus libro 7. de simplicium medicamentorum facultatibus, de cisso, id est, hedera tractans, inquit, lachrymam eius pilis nudare, & esse usque adeò potestatis calidæ, ut obscurè adurat. Quam ob rem non est gummi hederæ, uel lachryma hederæ, quam uos pro ea circunfertis. SEN. Quid ergo est? BRA. Gummi alterius arboris, quam ignoramus: nam & experientia hedera considerata, uerum gummi, id est, lachryma hederæ cognosci potest. Ego quandoque hanc lachrymam supra hederæ truncum concretam uidi, ab ea quam habetis longe diuersam. A Gallis gomme de lierre nuncupatur. SENEX. Putásne sandaracham inter gummi numerandam? nam gummi uidetur, si proprietates eius contemplor, & gustum, & corticem arboris quandoque coniunctum. BRA. Apud probos autores duo nomine sandarachæ intelliguntur. Vnum est quod cherantemum dicitur, uel Rhitaces, de quo in apomeli Dioscо-

Gummi hederæ.

Sandaracha.

rides quarto libro, & Hermolaus in Corollario, capite 543. in lilio: sed hæc uestra sandaracha, quam à uerno rore uernicem dicunt, nihil ad rem medicam. Est alia sandaracha, de qua Dioscorides quinto libro, quæ cum auro & argento inuenitur, & argenti fodinis, flammeo colore ad satietatem ruffescit, fragilis, puraq;, & habēs quodammodo cinnabaris colorem, & reddens uirus sulphuris. Hæc est uera sandaracha, quam in officinis haberi oportet: de qua Galenus, Paulus, & Dioscorides medicas uires tradunt, cuius uicæ auripigmento uti possumus, quoniam easdem uires habet. Inter auripigmenti massas sandaracha inuenitur, & nunc ego domi habeo uerā sandaracham auripigmento nexam: eadem enim fodina colliguntur. Fit etiā adulterina sandaracha ex cerussa decocta, ut Vitruuius 7. Architecturæ libro docet. Illud autem casu inuentum est, facto incendio, ubi erat cerussa: hæc sandaracha pictoribus magis apta est, naturalis uero medicis. SEN. Sandaracham libenter cognoscerem, qua omnes ferè medici utuntur, & paucissimi, imò nulli cognoscere uidentur. BRASA. Tibi in tua officina sandaracham ostendam. SEN. In mea officina? Fortè illam portabis. BRA. Imò in tuis pyxidibus inueniam. Considera auripigmentum tuum, uidebis aliqua parte rubescere, ut ferè in minij colorem uergat. SEN. Id frequentissime uideo, imò auripigmentum ita rubrum superioribus mensibus à luteo discreui. BRASA. Illud rubrum sandaracha est: eadem enim fodina, & sandaracha, & auripigmentum effodiuntur, imò simul mixta sunt: sed quod maius est, audias, auri-

pigmen

pigmentum & ſandaracha idem re ſunt, differunt tamen per maiorem & minorem decoctionem naturæ: nam & idem ab arte fieri percepi, & tu ipſe experiri poteris: ſume auripigmentum, & uitreato uaſe impone, ſuppoſito igne ut liqueſcat, & accēdatur: accēditur ferè ut ſulphur, ſi per aliquod ſpatiū combuſſeris, inde frigeſcat. Videbis oculata fide per hanc decoctionem auripigmentum ſandaracham euaſiſſe. Si etiā auripigmento pinxeris, & ſandaracha, eundem ferè colorem faciunt, niſi quod in ſandaracha intenſior eſt, quàm luteus. In auripigmento magis floridus: nam ſandarachæ color in eum qui uulgò ranzo appellatur, inclinat, in quem etiam is dependet, qui ab auripigmento uſto fit, ut auripigmētum uſtum in ſandarachæ naturam tranſiuiſſe deprehendi poſsit. Nec mouearis, quòd ſandaracha rubra dicatur, quoniam rubra quidem eſt uiſu, ſed quum teritur, & aqua miſcetur, hoc eſt aptatur ad picturæ opus, hunc colorem luteū intenſum facit, non rubrum: unde minio ſimilis eſt uiſu ſandaracha, non autem opere, quum ea picturæ fiunt: ut manifeſte cognoſcas ſandarachā ueram eſſe auripigmentū à natura magis coctum: quod ſi arte coxeris, eundem colorem inſigniri uidebis. Tu ipſe experiaris, quemadmodū & ego pro noſcēdis exquiſitiſsime ſæpius expertus ſum, imò & quod Riſagalum uos nuncupatis ex auripigmenti genere eſt. Qui uero inquiunt Venetijs auripigmentum liquefieri, & arte in leuigatas aſſulas parari, quas riſagalum poſtea nuncupant, decipiuntur: nam in fōdinis auripigmenti Arſinagal reperitur, & eiusdē generis eſt, ſed uilius, ideo & uiliori pretio uēditur. In quo reperitur

Riſagalum.

Arſinagal.

etiam ſandaracha: color enim ſandarachæ magis ignitus eſt, & aliqua parte cinnabarim refert, redoletq; ſulphuris odorem. Recentes Chymiſtæ arſenici nomine tria intelligunt, auripigmentum, riſagalum, & quod particulari nomine arſenicum uulgò dicimus. Chymiſtarum nomina hæc ſunt: arſenicum croceum, quod eſt auripigmentum: arſenicum rubrum, quod eſt ſandaracha: arſenicum album, quod ita ſimplici nomine à nobis uulgò dicitur. Sed in uno decipiuntur, quia arſenicum album non eſſe minerale arbitrantur, ſed inquiunt Venetijs eſſe qui ui ignis ita parent, & arte ex auripigmento faciunt: quod falſiſſimum eſſe, & inexpertes agyrtæ noſcũt: nam ex minera defoditur noſtrum arſenicum. Sed Chymiſtæ ſuam hanc diſtinctionem ab Auicenna accepere ita innuente. Serapio autem ſub capite Narneth, quod eſt 381. id eſt, auripigmenti, ſandaracham etiam intelligit, & arſenicum album: quod uero ſub auripigmento ſandaracham accipiat, ex eo deprehenditur, quoniam ex ſententia Dioſcoridis inquit in eisdem fodinis auripigmentum citrinum inueniri, in quibus inuenitur auripigmentum rubrum: hoc autem à Dioſcoride dicitur ſandaracha, & in calce uerborum Dioſcoridis à Serapione adductorum, caput de ſandaracha Dioſcoridis ponitur, & ſuas proprietates aſſignat ſub nomine auripigmenti rubri, ut certum ſit apud Serapionem ſandaracham eſſe auripigmentum rubrum: unde frequentiſſime in auripigmẽto ſandaracha inuenitur, & in dicto riſagalo, quod & ipſum in auripigmenti genere cenſendum eſt. Riſagalum uero & nonnulli arſenicum uocant: ſandaracha à

Sera

Serapione auripigmentum rubrum appellatur. SEN. Gaudeo semper plurima discere. Sandaracham habeo, habere autem ignorabã. Verùm quum uenenum sit præsentissimum, quomodo à Dioscoride in usu medico ualere iudicatur? BRA. Non mirum, quoniam multa uenenata alijs mixta mitiora fiunt, & apta medellæ. Nam Dioscorides sexto libro sandaracham inter uenena numerauit, & quibus remedijs eius noxa aboleatur. Miror de Rodulpho Agricola, qui in suo Bermano, sandaracham non olere uirus sulphuris scripserit. Si ipse tractasset, & manibus fricuisset, sulphuris odorẽ euitare non potuisset. Imò si (ut nos fecimus) accendisset, oculis fumum sulphuris uidisset, & nidorem naribus persensisset. Adde eundẽ autorem admirari Dioscoridem, qui cinnabaris colorem habere dixerit: tamen à Dioscoride nunquam hoc dicitur, sed quod aliquem colorem cinnabaris habet, id est, aliquo modo inclinat: in rubrum enim uergit. At mixta aquæ, & optime trita luteum colorem facit parum intensiorem colore simplicis auripigmenti, sed eiusdem apparentiæ cum colore auripigmenti usti. Quum ergo in antiquorum descriptionibus sandaracham scriptam inueneris, partem rubram auripigmenti accipito, aut rubrã partem risagali dicti. Si uero desit pars rubra, eam partem arsenici aut auripigmenti sumas, quæ in rubrum magis inclinat. SEN. Id autem, quo pro sandaracha utimur, & gummi uidetur, quid est? BRA. Est gummi iuniperi: nam Arabes sandaracham appellant gummi iuniperi, ex quo puluis fit, quem uernicem uulgò nuncupamus, ad delinendas chartas ne bibulæ sint: & pictores eo utun-

Gũmi Iuniperi

tur in quadam compositione uernicem appellata, ex oleo nucum aut lini, Aloë (ut lucem coloribus tribuant) & hoc gummi. Miror cur in usum medicum uenerit hoc gummi: quoniã Plinius libro decimotertio, capite undecimo, gummi Iuniperi ad nihil utile censuerit. SEN. Qua re ducti recẽtes hoc gummi sandaracham putarũt? BRA. Decepti sunt in nomine, quia apud Serapionẽ sandarax scriptũ inuenere, ipsi Sandaracham putarunt, tamen Arabes quos Serapio adducit easdem uires huic gummi attribuere uidentur, quales Dioscorides, & autores ueræ sandarachæ attribuunt. SEN. Cur uernix dicitur? SEN. Aliud coniectari non possum, quàm cum Hermolao dici quasi uernus ros: gummi enim Vere potissimum fit, & æstate perficitur, præsertim ex rorida substantia. Galli ut nos, uernix. Hispani uerniz, Germani uernis

Gũmi charabe appellant. SEN. Aliud gummi sequitur, quod charabe nuncupant. BRA. Nescio an alia simplici re inconstantiores sint autores tam antiqui, quàm recentes, quàm in hoc uocato Charabe. Omnes electrum uel succinum esse putant, tam qui nuper, quàm qui antiquitus scripsere. Tu Plinii lege capite secũdo, libri tricesimiseptimi, ubi Græcorum poëtarum fatuitates aperit, qui putarunt lachrymas esse sororum Phaëtontis in populos conuersas circa Eridanũ, ut hinc etiã collectum sit Charabe, aut electrũ gummi esse populi nigræ, quod Serapio & Auicenna sentire uisi sunt. Ipsi enim caput faciũt de haur romu, id est, populo, & omnia scribũt quæ à Dioscoride in populo nigra traduntur. Duo autem capita ab Auicenna fiunt, in quibus idem præcise scribit. Vnum, quod est 344. in quo

de lauro

de lauro Romano disserit. Aliud, quod est 510. ubi de nuce Romana percurrit. Sunt autem duo capita, ubi de eadem re & eodem modo scriptum est. Capite autē 374. de charabe loquitur, quod nucis Romanæ gummi esse dicit: appellat autem charabe lingua Persica, quasi palcam rapiens. Non est autem hic locus contrarietate pertractandi in horum capitum qualitatibus, quia nostrum institutum est rem tantum aperire. Quod autem Auicenna de gummi nigræ populi loquatur, tum ex proprietatibus apparet, tum ex nomine ipso. Inquit enim, haur Romanum appellari achirosa: Græci autem ut Dioscorides & Galenus, populum nigram ἄιγειρον appellant: ut manifeste appareat, Auicennæ interpretem corrupisse uocabulum, & pro ἄιγειρον achirosa scripsisse: uel fortè librarij fuere, qui ita per uices describentes corruperint. Ad rem igitur, uideo antiquos autores in hac re adeò diuersos, ut quid dicendum sit ambigam. Plinius capite secundo, & tertio ultimi libri de hac re incertè tractat. Dioscorides electrum gummi esse nigræ populi in Eridanum defluens sentit. Primo libro in nigræ populi capite, postea secundo libro lyncurium, id est, ex urina lyncis factum lapidem electrum esse iudicauit: hæc tamen incerte proponit, ut de re ipsa incertus esse uideatur. Galenus & Paulus de gummi albæ populi pertractant, tamen electrum uel succinum esse non dicunt. Res adeò inconstans est, ut ferè me explicare non sciam: hoc tamen certe deprehendo Genuensem, Pandectarium, & cæteros recentes aberrare, putantes rem illam, quam nos ambro appellamus, esse Arabum charabe: error autem est, quia

charabe Arabum est gummi populi nigræ, & etiã albæ, quam Græci simpliciter λεύκην appellant, nos populum albam Latinè: nostra materna lingua Græcos imitamur, quia albaro quasi album appellamus, ut Græci λεύκην. Ex his duobus populi generibus gummi fieri certum est, quod ab Arabibus charabe uocatur, à Græcis albæ populi resina uel gummi, à Latinis eodem modo dici debet. Causa autem erroris fuit, quia Dioscorides hoc gummi electrũ appellari monet, & Chrysophoron. Sed Dioscoridis uerba pẽsitãda sunt, qui ita esse simpliciter nõ dicit, sed ab aliquibus ita appellari, tamen non est uerum electrum, id est, nostrum uocatum Ambrum, quamuis ab aliquibus tali nomine ob similitudinem appelletur: unde in hoc me resoluo, charabe Arabum, & gummi populi albæ Græcorum idem sunt, & non sunt nostrum electrum, uel ambrũ, ut recentes putant. SEN. Duo abs te scire percupio, quid sit res ea, qua pro charabe utimur. Præterea quid apud antiquos sit res ea quam ambro uocamus, quo indices fiunt, quibus mulieres numerant preces, quas Deo singulis diebus fundunt. BRA. Id quod in officinis pro charabe habetis, idem est penitus cum ambro, quo indices fiunt. Tu experimentum sumere poteris, ut ego frequenter expertus sum: accenditur charabe, & ambrum, & eodem odore redolent, eandem guttam faciunt, eandem flammam: sume fructum eius rei, quam uocas charabe, & unum indicem ambri, & accensæ candellæ admoueas, accenduntur eodem modo, & eisdem omnibus notis præscriptis, imò & uisu, colore, splendore conueniunt, & ex eodem loco ad nos deferũtur: ex mare Dantisci ad

tisci ad nos fertur & ambrum, & charabe. Est autem Dantiscum mare in Germanico Oceano: ea autem pars quæ nunc Dantiscus dicitur, ab antiquis Cosmographis Prussia nuncupatur, unde ex Prussia habetur. Quid uero sit, nesciunt se explicare qui illinc ueniunt. A Germanis ex Prussia in Pannoniam, mox (ut inquit Plinius) Prouinciam: (est autem Prouincia ea pars Galliæ, quæ nunc Prouenza uocatur,) inde Genuam affertur, & nonnulli mercatores Venetias contendunt. Quæ à Plinio dicuntur capite tertio libri trigesimiseptimi, certissima sunt. Nasci in insulis septentrionalis Oceani, defluente medulla pinei generis arboribus, ut gummi in cerasis, resina pineis: erumpit humoris abundantia, densatur rigore, uel tempore autumnali: quum intumescens æstus rapuit ex insulis, certe in littora expellitur, ita uolubile, ut pendere uideatur, atque consistere in uado: quod arboris succum esse etiam prisci nostri credidere, ob id succinũ appellãtes. Pineæ autẽ arboris esse, indicio est pineus in attritu odor, & quod accensum tedæ modo, ac nidore flagret. Qui in Prussia prope mare Dantiscum habitant, colligunt circa maris littora ambrum, charabe, uel succinũ, sed ipsi unde ueniant nesciunt: quod uero destillet, hoc argumento notat Plinius, quia sunt quædam intus translucentia, ut formicæ, aut culices, lacertæq;, quas adhæsisse musteo nõ est dubium, & inclusas indurescenti: hoc nos frequentissime uidimus ambrum, apes, muscas, formicas, festucas inclusas habentem: imò & domi habemus, in quo adeò mire formica, & integrè inest, ut nec minimum crus desit. Nostræ mulieres sibi parant indices ad salutationes Angeli-

cas numerandas,& ad ornanda colla: sed tempore Plinij erat agrestium fœminarum Transpadanarum ornamentum, monilium uice succina gestantium, maxime decoris gratia. Etiam & nostro hoc tempore solæ populares,& agrestiores succino pro ornamento utuntur. Succinum igitur & charabe idem sunt,& gummi est pineæ. Nos in pinetis Rauennatibus gummi uidimus simile succino, & accendimus eodem odore quo succinum, sed non ita durum: fortè quia alio cœlo, quàm Septentrionali ortum. Constat autem & ex India conuehi. Vnus tantum est succini color, sed differt per magis & minus: aliud enim est candidum, aliud colore ceræ nouæ. SEN. Hic est color charabe quod habemus passim in officinis. BRA. Aliud est fuluum, aliud tanquam mel coctum. SEN. Et etiam nostrum charabe hunc colorem habet. BRA. Nunc mulieres nostræ nonnullæ flagrantem probant, aliæ turbidum. Tempore Plinij erat maxima autoritas translucentibus, præterquam si nimio ardore flagrarent: imaginemq; igneam inesse, nō ignem placebat. A Germanis gelber nid stean nuncupatur, ac si dicāt, crocei coloris lapis: quamuis Plinius referat suo tempore à Germanis glessum dici,& propterea insulam Glessariā in mari Oceano dictam. Martialis & ipse nouit in succino formicas occultari, inquiens:

Cum Phaëthontea formica uagatur in umbra,
Implicuit tenuem succina gutta feram.

Sed ipse postea ueluti poëta ex ororibus Phaëthontis plorantibus succinum prodire arbitratur. Decipiuntur qui è terra ueluti bitumen concrescere dicunt. Præter di

ctos colores nos nigrum ambrum habemus, sed arte fa-
ctum est: nam tingitur omni colore, præsertim Plinij tem
pore, seuo hœdino & radice anchusæ tingebatur: quippe
etiam conchylio inficiebantur: quum sit ambrũ tinctum,
an uerum ambrum sit, id est, succinum, uel electrum, igne
deprehendes, quoniam uerum ambrum flammescit, odo-
rem pineæ spirans. Si uero ex re dicta smaltum sit, non
flammescit, nec odorem pineæ habet, quamuis succinum
alio colore infectum ægrius flammescat, quàm purum, ta
men non possunt non habere etiam succina tincta pro-
prietatem eam, festucas, paleas, & sicca fŏlia ad se tra-
hendi, quum attritu digitorum, aut uestis calescunt: hoc
etiam unum indicium est cognoscẽdi uerum ambrum tin-
ctum à non uero: & hæc proprietas fecit ut Arabes cha
rabe nuncuparent, quod lingua Persica significat paleas
ad se trahere. Vnde & Dioscorides in lyncurio, ipsum
pterygophoron, quia in se trahit floccos & stramenta,
uocat. Tamen multa alia sunt præter ambrum, quæ ita
trahunt: quam ob rem succinum, uestrum charabe, & ele
ctrum idem sunt, & gummi pineæ induratum esse creden
dum, imò certe asserendum est, quamuis hoc uocabulum
electrum ad multa alia significanda ab antiquioribus ac-
cipiatur: nam uocabulum electrum, succinum significat, Electrum,
& lapidem ex urina lyncis factum, & naturale quoddam
habens quintam partem argenti in auro, & arte factum
ex tribus partibus auri & una argenti: hoc autem ter-
tium electrum aurum & arg ntum mixtum habens, à
Chymistis Phaëton nuncupatur. Quid uero sit amba- Ambarum, siue
rum, dictum apud nullum antiquorum inuenire potui: Ambraca.

quanquam arbitratus sim antiquos aliquos sub succino hoc, ambarum nostrum intellexisse, eo argumento quia nonnulli odoratissimum ipsum fecere, & ex terra ueluti bitumen prodire, tamen incertus sum. Tria genera ambari apud recentes inueniuntur. Vnum, ruffum & pingue, quod cæteris præfertur, quod Selachiticũ à loco Indiæ ubi nascitur, appellatur. Aliud, subalbidum, quod Sechra dicitur ex Arabia Felici asportatum. Tertium, nigrum, quod cæteris ineptius est. Primũ uidimus Genuæ, ubi manicæ odoratiores fiunt, quàm in loco altero Italiæ. Secundũ & tertiũ, frequentissima sunt Venetijs. Auicẽna & ipse in capite de Ambra tria genera numerat: intelligit autem per Ambram, Ambarum: laudat & ipse primum genus, quod (suis uocabulis) ipse dicit esse grisei coloris: nigrum uilipendit, quod fuisse in uentre piscis asserit. Idem Serapio de Ambra, id est, re illa odorata quam Ambarum nuncupamus. Nullus est antiquus (quem legerim) qui de hoc ambaro loquatur. Apud Aëtium reperiri Ambar, scribit Hermolaus, hoc intelligẽs (ut putat.) Nos autem non ambar, sed ambram inuenimus, libro decimosexto, capite 133. An uero de ambaro loquatur, uel de succino, aut altera re, incerti sumus. Suspicamur tamen loqui de ambaro, tum quia illud nomen habet proprium, succinum & electrum, de quibus secundo libro agit sub illis nominibus: quamuis simul & semel lyncurium scribat, ut uisus sit succinum uerum ignorare, tum quia ponit ambram in compositionem suffumigij muscati, in quã potius ambarum, quàm ambrum, id est, succinum, interserendũ erat. Quanquam & succinum nõ careat odore,

præsertim

præsertim quum aduritur, & ad suffumigia aptum est, quia ignem recipit. Hermolaus tamen nomen inuenit nostro ambaro, quippe iubet succinum orientale appellari primus omnium. Fabulantur qui sperma ceti esse contendunt, & qui fructum cuiusdam arboris sub mari existentis, & qui iecur piscis, aut piscis stercus esse putant. Cōstat enim scaturire uarijs locis sicut bitumen, & sulphur, in India & Arabia. SEN. Reperitúne apud Serapionē nostrum ambrum, quo indices fiunt? BRA. Fortè est in capite 46. apud Serapionem, ubi de styrace pertractat, inquit (de quadam re loquens) uocari styracem heremitarum, qui est ambar, & lubne heremitarum: nisi hoc sit nostrum ambrum, uel simul confundat in charabe (ut uidetur) nunquam apud Arabes inuenire potui. Tu alia prosequaris, quoniam in charabe, id est, succino immodicus uideor, licet non inneceſſarius. SEN. Gummi pini consequitur. BRA. Præter resinam in pini truncis, gummi albicans concrescit, quod à nobis pini gummi, à Gallis Gōme de pin nuncupatur: sed ob resinam in raro usu est. SEN. Ergo ad assam fœtidam ueniamus. BRA. Quod nos laser, Arabes corrupto uocabulo assa dicunt, σίλφιον à Græcis nuncupatur. Vnum tantum genus apud Dioscoridem, & probos autores inuenio: uos autem pharmacopolæ, & recentes duplex genus assæ facitis, fœtidum, & odoratum. Opus est apud antiquos experiri an hæc duo genera inueniantur. SEN. Ego frequenter assam odoriferam, & assam dulcem inueni, sed nunquam uidere contigit. BRA. Recētes in assa dulci decepti sunt: nihil enim apud probos autores etiam Arabes reperitur, quod dul-

Gummi pini.

Assa fœtida.

Laser.

cis assa nuncupetur. Ideo illi recẽtes aberrant, qui glycyrrhizæ succum arbitrantur, & perperàm Rhasim interpretantur in capite de diminutione coitus: ubi inquit Altit, ipsi interpretãtur assa dulcis, quũ potius gummi assæ interpretari debuissent: sed hæc aliàs. Tu (ut inquis) fœtidam assam uidisti, odoratam autem nunquã uidere contigit. SEN. Equidem. BRA. Et ego odoratã assam apud antiquos inuenio, sed ipsam ostendere nõ possum: fœtidã uero apud cosdẽ inuenire difficile est. SEN. Abs te quid hæc sint, libenter addiscam. BRA. Aliàs putabam, quod à Dioscoride silphium, à Latinis laserpitium appellatur, duo complecti, uestram dictam assam fœtidã, & belzoinum, itaq; à pueritia ferè imbiberam. Auicenna in causa fuerat, qui assam in fœtidam, & odoratã distinguit: ipse Altit sua lingua dicit. Interpres barbarus, non Latinus laserpitium scribere uoluit, & assam dixit, hoc nomen corrumpens, sicut cætera alia corrumpere assuetus erat: tamen Dioscoridem, Plinium, Galenum, Paulumq; considerans, laserpitium non esse nostram assam fœtidam, multis testimonijs probari potest: si Plinium lib. 26. cap. 23. legeris, manifeste deprehendes silphium aut laserpitium in medicina & coquina ualere: nostra autẽ assa fœtida in coquina nihil ualet, imò omnes dapes corrumperet: & quamuis plura genera distinguat, id est, per uarias prouincias, in quibus perfectius & imperfectius nascitur. Idem facit libro 19. capite 3. ubi laserpitium inter ea, quæ comeduntur, enumerat, & in utroque loco magnam existimationem ostendit, in qua laserpitium fuit, & ingens ipsius pretium. At uestra assa fœtida in nulla

existi

existimatione unquam fuit, & nunc non est, utpote cuius una libra decem Ferrariensibus solidis ematur, qui sunt uiginti Veneti. Dioscorides quoque inquit radicem eius commendari sapore ad intinctus & iusculẽta, & garum. Idem sentit ad cibaria esse utile laserpitium Theophrastus lib. 6. de plantarum historia: ut hæc omnia ostẽdere uideantur uestram assam fœtidam, non posse laserpitium, aut silphium antiquorum esse. Adde laserpitiũ colorem modicè ruffum habere, translucentem, & redolere myrrham, habereq; intensum odorem, sed nostra assa fœtida omnia in oppositum habet: quare assa fœtida laserpitium esse non potest. Belzuim uero ita à nobis uocatũ, antiquorum laserpitium esse uidetur: nam commendaretur inter cibaria, & credẽdum est arboris radicẽ ex qua colligitur, odoratas dapes reddere posse: unde animus inclinat laserpitiũ lachrymã illam esse, à nobis belzuinũ appellatũ: hi enim qui triremes & Lusitanorũ celoces ascẽderunt, arborem, ex qua belzuinum colligũt describẽtes, laserpitium Dioscoridis aut silphiũ exquisitè describũt, præter id quod ipsimet ab ipsa ueritate coacti belzuinũ laserpitium appellant. Serapio etiam inter Arabes laserpitium sub nomine Aniudem, id est, assæ tradens, ea tantum dicit quæ à Dioscoride & Galeno de ipso scripta relinquuntur. SEN. Ergo de nostra assa fœtida antiqui nusquam loquuti sunt? ERA. Dum tecũ loquor, in ipsam incidere uideor, & quid sit apud antiquos, præsentatur: unde quum laserpitiũ ex Syria, Armenia, Media, Aphrica, & India conuehatur, quod ex Aphrica, Armenia, & India affertur suauissimum odorem habet, præsertim

Cyrenaicum: unde & opos Cyrenaicus, id est, succus Cyrenaicus appellatur. Medicum uero, & Syriacum, id est, quod ex Media & Syria affertur (ut Dioscorides inquit) uirosum odorem habet, & putrilaginẽ resipit, hoc est nostra assa fœtida: quoniam ex Syria Alexãdriam, & Alexandria Venetias fertur. Obscurum uero colorem habet, quoniam adulteratur etiã addito sagapeno antequã arescat, & simul etiam terra: unde si recte odoraueris, sagapeni odorem persenties. Sapit enim (ut optime dicebat Mesue, & falsò à quodam uiro reprehenditur) allij quadamtenus odorem, & à Dioscoride etiam dicitur sagapenum medium odorẽ habere inter laserpitiũ & galbanum. Ideo opus erat laserpitium Syriacum sagapeno adulteratum, sagapeni odorẽ habere, & suum uirosum: propterea non mirum si adeo fœteat. Assa igitur ab Auicenna non ab re in fœtidam & odoratam distinguitur: unde & laserpitium duo complectetur secundum uarias urbes, & ut diuersis locis nascitur: quod nos belzuinum uocamus ex Aphrica & Armenia fertur, ut Dioscorides inquit. Adde tu & ex India: uestram autem assa fœtidã ex Media & Syria comportant: tamen utraque laserpitium dicitur. Nam laserpitium lachryma est ex incisa radice, & caule Silphij: primum ad usum mensarum est, secundum minime: quamuis credendum sit oues radice, & herba secundi generis uti posse. Succus qui est è caule (ut Plinius inquit) caulias dicitur: qui autem à radice, rizias. Inspissatur furfure & farina: propterea in belzuino frequenter quasi grana furfuris uidentur. Cyrenaicum summè laudatur: ideo absolute opos Cyrenaicus dicitur,

dicitur, uel simpliciter, opos, aut simpliciter Cyrenaicus. In tua officina folia, radices, caulem, & lachrymam habere studeas: primum uocant maspeton, secundum magydarim, tertium silphium. Lachryma uero, laserpitiũ, & silphij succus uel lachryma appellatur. SEN. Hæc ne certe tenes? BRA. Inclinor nunc, aliàs hanc rem ad oculum tractaturus: nec admiratione afficiaris, rem fœtidã inter intinctus & cibaria ad saporem gratiorem accommodari: quoniam quandoquidem & nos allium, cepas, porrum inter cibaria delectamenti gratia miscemus, quæ tamen re uera fœtent, nec omnia antiquorum quæ odorata dicuntur, grato odore redolent, aut omnia sapida ab ipsis laudata. Quandoque Virgilianum Moretum parari iussi: impossibile erat etiam maxime rusticum comedere. Nonnunquam etiam aliqua Plinij unguẽta paraui, quæ graui odore offendebant potius, quàm delectarent. Ideo non mirum si laserpitium Syrium inter cibaria pro delectamento poneretur, præsertim radix, quæ aliũ odorem habere debet, quàm illa lachryma fortè stercore adulterata: imò & à stercore nomen illi dedere Germani, denfels drick dicentes, id est, stercus diaboli, quo nomine nos uulgò solemus appellare petraleum. SEN. Galbanum sequitur. BRA. Ab albedine nomen sumpsit Galbanum: quod autem nos habemus, mixtum est, ut putarim adulteratum esse. Tanto uero purius est, quanto magis albicans. Similitudinem thuris habere debet, aut ammoniaci. In Dioscoridis codicibus thuris solùm legitur: à Plinio additur, & ammoniaci. In Dioscoridis codice, ammoniaci deesse arbitror, non ob hoc quia Pli- Galbanum.

nius illam particulam addiderit, ſed quia Serapio Dioſcoridis uerba in galbano adducens, ammoniaci addit, & res ipſa ita eſſe oſtendit: raro enim thuris ſimilitudinem habere uidi, frequentius ammoniaci: quanquam & ammoniacum thuris ſimilitudinẽ habeat, quia ita concretum ſit. Hæc igitur optimi galbani indicia ſunt non eius quo utimur, quod uel adulteratum, uel ſex boni eſt, ſimilitudinem thuris habeat, uel ammoniaci, grumoſum ſit, purum, pingue, minime lignoſum, & in quo nonnihil ſeminis ferulæ admixtum ſit, odore graui, non multum liquidum, nec multum aridum. Quod autem nos habemus lignoſum eſt. Ex Syria Alexãdriam, poſtea Venetias portatur. Venetijs quandoq; pulcherrimum uidimus. Miror autem quum habeat grauem odorẽ, cur ab antiquis inter unguenta numeretur, ut Plinius primo capite libri 13. teſtatur: uerum id fortè fecere, ut grauia acutioribus miſcẽtes, tertium quoddam perfectum odoratumq; mueniret. Nam, ut eo etiam loco manifeſtũ eſt, cõpoſitionem odoratam ex fœnugræco parabãt, quod grauẽ odorẽ habere nemo dubitat. Aut igitur (ut prædiximus) grauia acutis permiſcentes, medios quosdam odores fingebant: aut quæ nobis graueolentia, antiquioribus bene odorata uidebantur. SEN. Bdellium ſequitur. BRA. Bdellium apud Græcos unum eſt, per regiones quibus innaſcitur, ſecundum perfectius & imperfectius diſtinctum. Apud Arabes duplex molechil, id eſt, bdellium reperitur, de quibus tanquam de diuerſis rebus Serapio capite 117. & cap. 294. pertractauit: quamuis Auicenna eodem capite utrunque confundat. Quum tamen bdellium primũ Serapionis genus fru

Bdellium.

nus fructus sit, qui maturatur in Mecha, in Hispania minime, non est idem cum bdellio Dioscoridis, sed secũdum Serapionis bdellium cum Dioscoridis bdellio idem sunt: primum enim Serapionis bdellium, est genus palmæ. Auicenna bdellium antiquorum in Arabicum & Iudaicum distinguit. Dioscorides tria genera facit per regiones, & colores diuersa. Primum genus Sarracenicũ est, id est, ex Libya allatum: ea enim parte homines Sarraceni uocantur. At quia hoc uocabulum Sarracenicum, Hermolao, Dioscoridis tempore extasse nõ uidetur, propterea Sembracenicum legit: quoniã Aphricani, qui uersus Aethiopiam habitant, nondum Sarraceni dicebantur. Marcello placuit, ut Scythicum & Arabicum legeretur. Tamẽ nomen hoc Sarracenicum antiquissimum est, & antiquior Dioscoride Sarracha urbs est: imò duæ sunt hoc nomine insignitæ urbes, ut apud Cosmographos patet: una in Media, altera in Felici Arabia. Adest & Sarracha post Nabathæos, unde Sarraceni. Quod uero fingit Hermolaus Aphros nondum dici Sarracenos, uolũtarium potius est, quàm certa ratione dictum. Tamen ego in Dioscoride Bactrianum legendum putaui, quod à Plinio capite 9. duodecimi libri dicitur. Serapio Arabicum in Dioscoride legit, hoc est perfectius: propterea non ab re legendum fortè est Sarracenicum, à Sarracha urbe Felicis Arabiæ, non à Libya, ut fingit Hermolaus. Probatur uero his indicijs uerum bdellium, quod amarum sit, translucidum, glutini taurino simile, in profundo pingue, & quum tractatur lentescens, sine ligno, sine sordibus, quum incenditur odoratum odore marini unguis. Hic locus

interpretes perturbauit, quia Hermolaus odore marini unguis in Dioscoride interpretatur: Marcellus autem humano ungui colore simile exponit. Græcus codex, quem habeo, & plures alij, quos legere uolui dicunt, εὐῶδες ἐν τῇ θυμιάσει, ἔοικος ὄνυχι, id est, bono odore quũ accenditur, simile ungui. Duo me mouent, ut potius Hermolao consentiam, quàm Marcello. Vnum est, quia unguis colorem habere non debet bdellium, nec Dioscorides de unguis colore quicquam dicit: alioqui idem cum myrrha uideretur. Nec Plinius hoc animaduertit de colore unguis, quod erat summopere obseruandum. Aliud est, quia Serapio in pluribus Dioscoridis interpres eius uerba referens, inquit: Accensum blactæ Byzantiæ odorem habere, sunt autem marini ungues. Nos hoc genere bdellij caremus, quia nostrum amarum non est: unde frequenter inclinaui animum, ut gummi, pro quo myrrha utimur, hoc bdellij genus sit, ex Aphrica Alexandriam & Venetias comportatum, quia amara est, & alias notas habet. Noui postea illud esse quod ex Arabia petræa, & quãdoque India affertur: quod uero nos pro bdellio utimur, adulteratum est. Ita deprehẽditur, quia nõ est amarũ: & si accendatur, gummi odorem redolet. Contigit tamen mihi semel uerum bdellium & ueram myrrham uidere Venetijs in officina Campanæ, id est, hæc duo exquisita. Quod si arguas, nostrã myrrham bdellium esse nõ posse, quia odorata non sit, dicemus Indicum, & ex Arabia petræa petitum grauem odorem habere, qualem habet nostra myrrha. Sed hæc aliàs. Hispani bdelliũ uocãt. SEN.

Lacca. Lacha sequitur. BRA. Duplici c, potius scribendum censeo,

censeo, quamuis hoc ad rem cognoscendam nihil faciat, si caput Serapionis de lacca perlegeris, idem esse cum Canchamo Dioscoridis & antiquorum iudicabis. Inquit enim esse gummi arboris, quæ nascitur in terris Arabũ, & est in ea simile myrrhæ & styraci: habet uirtutem extenuandi, seu macrefaciendi pingues. Eadem de canchamo ferè à Dioscoride dicũtur. Inquit enim: Canchamum est gummi Arabicæ arboris, myrrhæ quadãtenus proximum, & uiroso in gustu, odore sentitur (hoc à Serapione prætermittitur.) Eam ad odorẽ incendunt, & uaporant uestes additis myrrha & styrace, eiusdẽ fumo etiam uaporant. Serapio autem non scripsit uaporare uestes, sed in ea esse simile myrrhæ & styraci. Nescio an fuerit Serapionis interpres aut librarius, uel ipsemet Serapio qui imperfecte Dioscoridẽ adducat. Additq; Dioscorides, naturam eius narrans corpus obesum leuandi onere, & ad maciem reducendi. In reliquis ita etiam conueniunt, ut nullus sanæ mentis dubitare debeat canchamum Dioscoridis, apud Serapionem laccam esse. Postea Serapio Galenum adducit de canchamo secundum interpretationem Athabarith. At ego nusquam Galenum reperi de canchamo ita loquentem. Quum autem uerba quæ adducuntur, Pauli Aeginetæ præcise sint, ob id arbitror, quod aliàs cogitaram, & animaduerteram uerum esse ubi Serapio adducit Athabarith, Pauli Aeginetæ uerba esse, non autem Galeni. Sed ille Athabarith interpretatus est Paulum, ac si Galenus sit, & ita à Serapione receptũ est. Tu ipse Paulum de canchamo, & Serapionem de lacca scribentes si legeris, eadẽ præcise uerba ab ipsis dici animaduer- Canchamum.

tes. Verùm gummi illud, quod uos habetis, non esse laccã Serapionis, aut Dioscoridis canchamũ, ex hoc deprehenditur, quia odore caret, & si ad suffitus utamur non redolet, imò styrace & myrrha additis, si uestes suffumigentur, in odorem nihil addit, nec aliquam habet cum myrrha affinitatem. Si autem canchamum esset, uetus, inodorum, & fecem potius canchami, quàm canchamum dici oporteret. Scito autem tria hoc nomine lacca nuncupari. Vnum est, uerum Dioscoridis canchamum. Alterum, grana quædam arte facta, quæ Venetijs uirgino parantur, aut cocco, & alijs nonnullis: hac potiores utuntur. Est & tertia lacca, ex qua ruber color fit, qui uulgò carmesinus appellatur. Ex his Serapionis error detegitur, qui simul cum lacca, quæ gummi est, & cãchamum apud Dioscoridem, laccam, quæ chermesim uulgò dicitur, confundit, ex qua floridus ruber fit qui charmesinus nuncupatur. Quippe Dioscoridẽ & Galenum adducit de prima lacca loquentes: postea eodem capite, Rhasim, Athabarith, Isaacq; adducit, qui de altera lacca, quam è cœlo uenire inquiunt, & qua tingitur, loquuntur. SEN. Alij Arabes decepti ne sunt? BRA. Auicenna grauiori lapsu cadit: nam de lacca caput facit, quam gummi esse fatetur, & præcisè Paulum Aeginetam ad uerbũ ferè adducit. Postea aliud caput facit de Cheichen, ubi oculata fide deprehenditur canchamum describere, & eius proprietates assignare, quãuis per alia uerba incedat, quàm ab autoribus canchamum describatur, re autẽ uera idem

Gummi Cedri. sunt. SEN. Gummi Cedri sequitur. BRA. Ex cedro ingentissima arbore plurima habentur. Cedria (ut

inquit

inquit Plinius) est pix, uel resina, uel lachryma cedri. Quod circa stipitem induruerit, gummi est: dum tenella est, resina dicitur. Pix uocatur, quum è teda eius accensa fluxerit. Multæ gentes, Cedria ui ignis è teda sumpta pro pice utuntur: quando pix paratur, primus succus qui fluit in canalem, & est ueluti aqua, Cedriū dicitur. Alter liquor, qui mox fit, pix appellatur. Venetijs & gummi cedri, & cedriam emere poteris, & fructus cedri conditos, qui cedrides uocantur. Cedria etiam dicitur oleum cedrinum, quo antiquitus ad perpetuandas res inunctas utebantur. Vnde carmina, & sapientum consulta digna cedro. Oleum hoc in lucernis positum lucē magis splendentem & fulgidam cæteris præbet, sed eius fumo capitis dolorem mouet: fructus eius in myrti magnitudinem crescit. SEN. Viscum sequitur. BRA. Apud recētes hæc nomina reperio, uiscum quercinum, uiscum aquæ aptum, uiscum soli aptum, uiscum Romanum, & uiscum absolute. Viscum Romanum compositionem catapotiorum de colocynthide ingreditur: recentes quid sit, interpretari conantur, dicentes esse gluten Romanum, id est, masticem. Qui magnopere aberrant, quia nusquam apud aliquem probatum autorem uiscum Romanum inuenitur: & quod masticem significet, & in compositione Mesue iterū errant: nam in alijs codicibus & antiquissimo Mesue legitur, absinthium Romanum, non uiscum Romanū. Nescio ego (nisi gratia librariorum fuerit) unde tam supinus error emanauerit: sed ad uīscorum genera accedamus. Viscum aquæ aptum, arte paratum est, aucupes eo utuntur, melle aliqui parant, alij oleo nucum, alij oliuarū,

Cedrium.
Pix.
Cedria.
Viscum.
Viscū Romanū

ita nuncupatur, quoniam & si pluerit, non impeditur, quin aues irretiãtur, & quoniam sub aqua eo utuntur, ut nõnulli ad capiendos pisces usi sint, fit hoc uiscũ ex sebestem in Syria, deinde aut recto cursu Venetias, aut prius Alexãdriam, postea Venetias fertur, sed raro bonum inuenitur. Quæ autem nos sebestem uocamus, illi myxa dicunt, & ita ab antiquis sebestem myxa dicebatur. Tamen & ad usum aquæ uiscum commune parant, uel pro aquatilibus auibus. Nam uisco Damasceno dicto utuntur aucupes ad omnes aues, aquatilibus demptis: sed facto ex sebestem etiam ad aquatiles aues utuntur. Viscum uero soli aptum à nobis ita uocatum, ab alijs Damascenum, ex acinis uiridibus fruticis cuiusdam fit, qui supra arbores nascitur, à Græcis ἱξὸς dicitur: semper autem supra arbores nascitur, ut à poëta in hunc modum decantatum sit:

Quale solet syluis brumali frigore uiscum
Fronde uirere noua, quod non sua seminat arbos.

Semper etenim uiscum buxi fõlio, supra alienas arbores uiret. Ingens copia in Italia est, in Gallia, & Germania: unde non possum non mirari pro uisco Damascum petere, quum hic prope sit. Acini uirides nascuntur: hos aliqui ore sumentes, quia dulces cortice nudant, mox exco quũt, & pinsunt, adeò ut id corpus reddatur, quod uiscũ dicimus: hoc etiam aucupes ad aues omnes capiendas utuntur, aquatilibus demptis, & ideo uulgò uiscum soli aptum dicitur, & ab aliquibus Damascenum. Plinius libro decimosexto capite ultimo, uiscum supra quinque arbores tantum nasci censet, quercum, robur, ilicem, prunum syl

num syluestrem, terebinthum. Dioscorides duos addit, mâlum, & pirũ: nos uero addimus mespilum, cotoneũ, & salicem: quod summo studio obseruaui, quum M. D. XXVIII. in Galliam cum illustrissimo principe, ac patrono meo HERCVLE ESTENSE proficiscerer, ut illustrissimam RENATAM coniugio sibi iungeret. Supra omnes ferè arbores uiscum obseruaui, imò & supra uitem, ut inde coniectatus sim supra omnem arborem nasci posse. Qui autem uiscum, stercus esse turdellæ subactum arbitrantur, quia apud autores reperitur turdellam sibi uiscum cacare, & sibi pedicas ac mortem parare, longe decipiuntur: quippe uiscum nunquam nascitur seminatum, aut plantatum, sed hoc modo frequens fit. Turdellæ, uel turtures, uel turdi (est autem in genere turdi turdella) uisci acinos comedunt, mox cacant: uiscum supra eas arbores nascitur, supra quas cacarit: unde nasci non potest, nisi digestionem quandam in huius auis uentriculo nactum sit. Quum supra omnes arbores excernere possint, etiam supra omnes uiscum crescere nihil impediet. At supra quercum frequenter inuenitur, imò hoc supra quercum inuentum apud Gallos in honore erat. Quam ob rem ob excellentiam etiam absolute Quernum uiscum nuncupatum est: secundum arbores, supra quas nascitur differentiam habet, è robore amarum est: dryos hyphear uocant, quod è quercu est. Aliqui per duodecim dies grana aqua macerant, postea pinsunt. Decipiuntur qui putant homines grana uisci comedere, & eius stercus uiscum effici. Nascitur & supra radices arborum, ut Dioscorides tradit, & nos uidimus fre-

Viscũ quernũ.

quenter, sed detectæ sunt, ut uice trunci fungantur. Fit tamen & uiscum ex radicibus quibusdam maceratis ut ex hibisco, nos uulgò maluauescbium nuncupamus: propterea à Poëta dictum est, aues fallere hibisco. Reperitur & apud Plinium, uiscum radicem quandam esse uenenosam, à Græcis ἰξίαν nuncupata, ut in uocabulo deceptus uideatur Plinius, nam Græci uiscum ἰξὸν appellãt: ἰξία uero affine huic uoci ἰξὸν est. Ideo uel in nomine deceptus est ob similitudinem, uel sibi placuit, id etiam interpretari uiscum: quia nomen Græcum similitudinem habet cum uisco. Leonicenus in epistola ad Monochiũ, Plinij errorem in hoc nomine ostendit ἰξίας: aut non erravit Plinius, quoniam pro eo nomine ἰξίας uiscum interpretari uoluit, quia omnino nomen est à uisco, quod ἰξὸς dicunt, deductum: quo loco etiam ostendit ixian diuersam rem esse à Chamæleontis nigri radice. Vnde Plinius excusari potest: imò & Auicenna, qui de uisco quarto canone agens tanquam de ueneno, ea dicit, quæ de ixia à Dioscoride scripta sunt, & hoc in re ipse & remedijs. Sed recentes turpi errore detinẽtur, putantes uiscum quo aues fallimus, uenenum esse, & id esse quod à Plinio & Auicenna inter uenena tractatur: sed hæc omittantur, utpote à Leoniceno præcitata epistola diffusè scripta. A Gallis uiscum, gluy de chesne: à Germanis uogelleim, id est, auium gluten dicitur, & ita absolute uiscum uocant: habent autem aliud nomen eichel misspen, quo uiscum quernum significant. SEN. Colla piscis sequitur, & gluten. BRA. Hæc duo nõ ab re simul copulasti: quod enim Græci colla, nos glutinum appellamus: fit ex corio piscis

Colla piscis & gluten.

piscis colla: alij ex uētre fieri dicunt, & ichthyocolla uocatur, quasi piscis glutinū, apud nos uulgò colla de pesce nuncupatur. Accidit enim plerunque in nostro uulgato idiomate, Græcum nomen notius esse Latino ut in urina & lotio deprehendi potest: si uero ex corijs, & taurorum auribus fiat, Gluten taurinum dicitur: nos uulgò collam garauellam uocamus. Fiunt & glutinorum plura genera, ut ex pellibus anguillarū, ex pellibus hœdorum, ex caseo, ex piscibus pluribus, per decoctionē talem quousq; ferè liquescant & glutina sunt: tamen excellentißimum est ex taurorum & boum pellibus ac auribus: quod Aristoteles libro de animalibus tertio, animaduertit, ubi inquit, in omnibus corijs esse muccosum quendā lentorem, sed in aliquibus minor est, in aliquibus maior, adeò ut in bubus sit maior lentor, propter id colla fit. Sunt & alia genera apud nos, ex farina & aqua, ex farina, aqua, aceto & oleo, ex farina, caseo & aqua, ex Tragacantho, & alijs pluribus, quæ omittere decreui, ne in immensum crescat opus. Tu in tua officina duo genera habere studeas, quæ ad rem medicam proficiunt, gluten piscium ichthyocolla à Græcis dictum, & gluten absolutè, quod gluten taurinum ab autoribus, à nobis colla garauella nuncupatur, qua nihil tenacius. Tu hoc genus Taurinū parare poteris Ferrariæ, & facile. At ichthyocollam Venetijs emes, ubi magna copia est. SEN. Audiui ex piscium intestinis collam piscis fieri. Id'ne putas? BRA. A quibusdam recentibus assueueratur. Ego autem ex corio dorsi, & uentre fieri uidi, quanquam & ex intestinis etiam parari nihil impediat. SEN. Quo nomine piscis ille appellatur? BRA. Ichthyocollam nominari supra

Gluten taurinū

docuimus, cuius corium, uenter, & omnes ferè partes glutinosa sunt. Verum ex alijs pluribus piscibus fieri potest, imò ex omnibus, sed non ita tenax: quin & ex uitulorũ, taurorum, & maxime suum pedibus à nostris quandoq; colla quædam satis tenax fit: sed hæc aliàs dicentur. A Germanis gluten, leim, ab Hispanis grudes, à Gallis colle nuncupatur. Ichthyocollam uero Galli colle de poisson, Germani fischaleim, id est, piscis collam uocãt. Alia prosequaris. SEN. De his gummi satis iam dictũ est, mihi summè placeret, priusquam cœnæ hora incumbat, ossa percurrere, quibus in mea officina indigeo. BRA. Et ossa in officinis habetis? SEN. Equidem, & quæ uarias compositiones ingrediantur. BRA. Eia tua hæc ossa exerant. SEN. Ossa mea in me sint, & diutius tecta carne perseuerent. Alia solùm prosequar.

DE OSSIBVS, QVORVM in officina usus est.

SENEX.

Os dactylorũ.

OS DACTYLORVM primum locum sibi uendicauit. BRA. Quid est os dactylorum? Ego nunquam in palmulis os inueniri didici. SEN. Animã dactylorũ. BRA. Adhuc grauius erras: semẽ potius dicito. Nescio unde uenerit quod uulgus nostrũ omnia semina animas uocat, fortè quia in medio fructus sunt, sicut animã in medio corporis esse arbi-

trantur

trantur, aut quia semine progenerantur arbores. Quãuis autem in alijs semen dici possit, in palmis nucleum dicere consueuerunt autores, de quo in fructibus plenè edocuimus. SEN. Deinceps non os, sed dactylorum nucleum uocabo. BRA. Probè egeris, sed meliora ossa interim prosequaris. A Gallis os de dantes, ab Hispanis yuesses de tamaras, à Germanis datelken eadem significatione nũcupatur. SEN. Os de cornu cerui sequitur. BRA. Et hoc æquè os est sicut primũ, nam cornua ab ossibus distincta sunt: quamuis ceruinum ita solidum sit, ut ferè ossis naturam habere uideatur: sed ne in hoc esse solicitus sis, nam quum Illustriss. Princeps HERCVLES ESTENSIS uenatorum optimus ceruos figet, mihi cornua impartiri curabo, quæ tua erunt. Illa autem habere ne cupias, quæ nonnullis annis mutant: quoniam nusquam & nunquã ab aliquo inuenta sunt, ut in prouerbium cesserit pro his rebus, quæ nũquam inuenire liceat. A Gallis os de corne de cerf, ab Hispanis yuesses de cuerno de cieruo appellatur. SEN. Illustrissimo principi, & tibi semper debebo. Os de corde cerui sequitur, quod si ab Illustrissimo principe enanciscì potero, tibi & illi immortales gratias semper habebo. BRA. Nec istud os est, sed ossea quædã cartilago: priusquã uero de hac edisseram, opus est cornu cerui ustum in officina habeas: & Dioscorides 2. lib. docet sectum sit in assulas, & in ollam operculatam positũ luto circũlitam, donec albescat uri debet, postea ut Cadmia lauandum. Multi hoc agentes pro spodio uendũt. Ad os de corde cerui redeuntes, Venetijs bubulum aut uaccinũ os quoddam uenditur, quod uerè os est, etiam ingẽti pretio,

Os de cornu cerui.

Os de corde cerui.

pro osse de corde cerui. Ego duo corda cerui aperui: unũ, statim eo mortuo, neruus quidã aut cartilago neruea apparuit, non multum dura in crucis modum, quæ nerui duritiem præ se ferebat: iterum aliud cor aperui per sex dierum spatium interfecti, neruea illa cartilago durior valde erat, & tẽsa, tali ferè figura, quali Venetijs os de corde cerui uenditur, id est, os illud bubulum uel uaccinum, quod pro illo uendunt. Illius nerui uis apud antiquos non reperitur, minusq; in confortando & roborãdo corde ualere arbitror. A Gallis os de cueur de cerf nuncupatur.

Blattæ bizãtię. SEN. Blattæ bizantiæ sequuntur. ERA. Nomẽ hoc blattæ bizantiæ, nec Arabum, nec Græcum, aut Latinũ est: nescio unde Serapionis interpres illud inuenerit. Quippe blatta cum uermiculum significat, quæ à nobis tarma dicitur, pannos & res alias corrodens, & blatta pro purpura accipitur: unde blatteus color, medius inter album & purpureum. Fortè bizantiæ dictæ sunt, quia apud Bizantium, id est, Constantinopolim colligantur, tamẽ quæ ibi nascuntur probatæ non sunt, sed tantum quæ in India circa paludes ubi nardus oritur, & ostreæ illæ nardo pascũtur. Quæ etiam à rubro mari aduehuntur, præcipuam autoritatem habent: quin & Babylonia afferuntur. Apud Dioscoridẽ unguis odoratus est, de quo 2. lib. agit, cap. x. sunt conchyliorum crustæ, & conchæ, colore subcandido: quæ ad nos afferuntur, albescentes quidem aliquas habẽt, sed & nigras. Ratio est, quia Babylone Alexãdriam, & Venetias portantur. Nigricãt Babylonici ungues, ut Dioscorides censet. Quos nostri pharmacopolæ Venetijs emunt ungues, ex fossa Clodia inuẽta conchylia arbitror, quæ

quæ non solum non redolent accensa, sed plurimum fœtent. Græci simplici nomine ὄνυξ, id est, unguis uocant: Latini ostracum, uel unguem odoratum. Laudarem ut non emeres, nisi odore probares, quia aliqui ungues Venetias afferuntur probati. Alia ossa prosequaris, nam hoc ita os est, sicuti caro os. SEN. Nihil refert, ex duritie ossa appellari. Iamq; ossium finis est. BRA. Tam paucis ossibus utimini? SEN. Non pluribus. BRASA. Expediet in propinquum illud castrum proficisci, ut tutè & quietè pernoctemus. SEN. Citò proficiscamur, ut cras summo mane surgentes, ad fodinas properemus ad metalla sumenda, ubi cuiuslibet generis portionem nobis necessariam sumemus.

DE METALLIS, QVORUM IN OFFICINIS PRO RE MEDICA USUS EST.

HERBARIVS.

MEO labore frustrari uideor, quoties herbas, radices, aut semina prætereo. Nunc gestit animus, quoniã ut metalla effodiam, illius mõtis cacumen ascensu rus sum. BRA. Arbitraris forsan ita euelli Metalla sicut herbæ? HER. Ignoro. Audiui tamẽ homines diu excauare, quoad ipsa inuenerint. BRA. Inueniunt quidẽ excauantes, sed terræ mixta, mox igne probãtur, & à sordibus diuellũtur. Senex noster adhuc dormit.

SEN. Imò nuper experrectus quid cum Herbario loquebaris, audiebam. Citius quàm fieri posſit, illius mõtis cacumen superemus, ne solaribus radijs perculsi uramur. HER. O quot instrumẽta, quot machinas, quot caminos, quot homines, qui labori incumbunt. BRA. Omnia pro metallis parata sunt. Hic aurũ euellitur. SEN. Et hic purum & defecatum redditur. BRA. Tibi purum aurũ hic emas: quoniam principum ignauia, & innata quadã hominum auaritia, nunc obrizum illud, id est, defecatiſsimũ non habetur, sed omnes monetas adulterant, ut nulla nũc sit præter fraudem. Veneti etiam, quorũ moneta probatiſsima erat, scutos (ita enim appellatur impuri auri moneta) cudere cœperũt, & omnes Italiæ principes sequuti sunt. Tibi ergo obrizum, id est, defecatiſsimum hic emas, ne ardentium aquarum ui & ignitarum ab alijs metallis segregare cogaris: quamuis rariſsimus sit apud antiquos eius in re medica usus. Solus Plinius inter antiquos ad puerorum uulnera ualere censet, ut minus noceat: quippe multa sunt ad uulnera magis efficacia, sed aurum minus mordicat, fistulas sanat, & lychenas. Serapio & Auicenna ad melancholicas ægritudines exhibent, in puluerẽ redactum: quos recẽtes ferè omnes imitãtur. Arbitror ego ut melancholicis gaudium inferatur, pelui aurearum monetarum donandos esse, itaq; melancholico humore potius priuabuntur, quàm auri puluere deglutito. Nempe de quibusdam medicis summopere miror, qui ut uires animales ægris augeant, & cor (ut dicunt) confortent, & exhilarent, aureas monetas inter capones decoqui iubẽt, ex quibus nihil aliud absumitur, quàm multarum manuũ sudor,

Aurum obrizum.

sudor, quæ ipsas tractarunt, inhærens. Arbitrarer potius aurum pernicioſam naturam habere, ut cætera metalla, quia nihil aliud est aurum, quàm argentum uiuum purũ condensatum, purissimã sulphuris partem actu recipiens. Quam ob rem aurum in honore habetur: quia gaudemus possidentes, adcò stolidi effecti, ut rubram terrã existimemus, & albam: nam argẽtum & aurum nihil aliud sunt, quàm terra rubra & alba. Argentum enim est uiuum argentum purum condensatum, sulphur potentia mixtum habens: quod ex hoc deprehenditur, quia si tractetur, sulphuris odorem spirat: non est autem actu, alioqui auri colorem habuisset. Et hoc etiam purũ hic emes: quoniam maxima Italiæ principum discordia argenteas monetas adulterari fecit, & ære ad quandam normã miscentur, quod etiam Veneti in suis perfectissimis monetis fecere. Hæc autem aliàs deploranda sunt. Futurum autem speramus, ut monetæ in puram metallorum perfectionẽ reuertantur, ut sub diuersis Imperatoribus factũ esse Annales testantur. Aurum à Gallis or, ab Hispanis oro, à Germanis Gold nuncupatur. Germani uero argentum silber, Galli argent, Hispani plata uocarunt. SEN. Calcecumenon sequitur. BRA. Quid illud est, quod calcecumenon dicis? SEN. Aes ustum. BRA. Vocabuli corruptio fecit, ut intelligere non possem: quippe dicendũ erat chalcos cecaumenos, id est, æs ustũ, de quo Galenus prope finem noni libri de Simplicium medicamentorum facultatibus tractat, & Dioscorides quinto libro. Aes notissima res est, & quomodo aduratur norunt omnes. Ex eo adustum serua, & quam uos æris batituram nuncupa-

Argentum.

Calcecumenon.

tis, Græcè λεπὶς χαλκοῦ, Latinè squama æris dicitur. Squama ex malleorum percussionibus decutitur, quæ duplex est, lota, & non lota: lauãdi modum Dioscorides 5. libro ostendit. Pari modo & ferri squamam, & chalybis squamam, & æris, ferri, atq; chalybis scoriam, in officina habere oportet: est autem scoria Latine recrementum, uulgò cacaturam appellatis. Decipiuntur qui scoriam dictam putant quasi corium, ut squamulæ sint, quæ ex percussione eleuantur: quoniam illæ propriè squamæ dicuntur, & Græcè λεπίς. Nec plumbi scoriã despicito, imò & ustum, & nõ ustum plumbum seruato, & ustũ ablutum partim, partim nõ ablutum sit. Quomodo hæc fiãt, à Dioscoride luce clarius edocemur. Inter squamas, partem squamæ æris subtiliorem, quæ in superficie est, & crassiorem serua. Crassior pars proprie squama dicitur, subtilior stomoma nuncupatur: præter hæc æris florẽ habere curabis: Græcè χαλκοῦ ἄνθος dicitur. Decipiuntur qui æruginem æris, florem æris putãt, qui error plurimũ est pharmacopolarum, sed nihil hoc referret, nisi & probatissimi uulgò medici cũ eisdem sentirent maximo ægrorum incommodo: est autem flos æris, ut Dioscorides inquit, & Plinius lib. 34. cap. 11. id quod sponte fuso ære, & in alias fornaces comportato cum flatu crebriore, excutitur ueluti squama, sed uidetur tanquam granula: differt uero à squama, quia ipsa fit dum æs percutitur, sed sponte prosilit flos: optimus est flos friabilis, & qui ruffescit in attritu, & exiguis granulis ueluti grana milij cõstat. Ex ære præterea æruginẽ habere studeas, quæ à recentibus uiride æris appellatur. Apud Dioscoridẽ &

Scoria.

Aeris ærugo.

Plinium

Plinium præcitatis locis, quomodo fiant uarijs etiam modis edocemur, & de naturali, & de ærugine rasili, & scolecia, & usta & non usta. Tu hos autores cõsidera, ni piguerit: nõ enim opus est quæ ab illis exquisitè dicuntur, enarrare. Præter æris ærugmem, quæ à Græcis dicitur, ἰὸν χαλκὸν, à nostris uulgaribus uiride æris, etiam ferri ærugmem habere studeas, & chalybis: quãuis nihil aliud chalybs sit, quàm depuratũ & defecatum ferrũ: arte sit, si natura perfectum nõ sit. Eos etiã derideas, qui ærugmem plumbi haberi uolunt, ut quidã amicus noster in foro absq; ratione cõtendens. Nam plumbũ (ut philosophi docent) ærugine penitus caret. Reliqua prosequaris. SEN. Ex his quæ meo ordine in hac schedula digesta sunt, plura inter loquendũ enumerasti, quæ ab Herbario prætermissa non sunt. HER. Nihil ego prætermisi, sed ipse aliarum gentiũ nomina edocere desijt. BRA. Mẽte exciderat, tot simul confuderamus: tamen ne laborẽ subterfugere uidear, Plumbũ ustũ à Germanis bleigebraad, à Gallis plong bruslé nuncupatur: Germani uero kupfer schlag, batituram æris uocant. Flos æris à Gallis uert de gris, ab Hispanis cardenillo dicitur. SEN. Argentum uiuum sequitur. BRA. Hydrargyron à Græcis, quasi aqueum argentum dicitur, à Romanis ex motu uiuum argentum, nunc in maximo usu est pro gallica scabie sananda. De eo prius dicẽdum erat, quoniam fõmes & materia omnium metallorum sit. In Hermolai Barbari sententiam inclino, quod argentum uiuum minerale, & naturale sit, Hydrargyrum arte factum. Tamẽ apud autores tam Græcos, quàm Latinos nomina cõfundi inuenio.

Argentum uiuum.

An calidum, uel frigidum sit, adhuc certant autores, & lis sub iudice est. Nos rē probè suo loco aperiemus: quod etiam uenenum sit contendunt recentes ex Dioscoridis & Plinij sententia, non animaduertentes dici uenenum esse suo pondere, non aliqua letali qualitate. Nos infantibus ui uermium semimortuis exhibuimus, & illico sanati sunt.

Argēti uiui quatuor genera.

Quatuor argenti uiui genera apud autores, & re ipsa, quam sequor, inuenio. Vnum scaturiens sicut ex fontibus aquæ, quod à Plinio capite sexto libri 33. perpetua uomica dicitur, & hoc est in frequentißimo usu. Aliud, quod inter metalla reperitur. Tertium, quod ex minio fit. Dioscorides modum quo fiat quinto libro ostēdit, & Plinius libro citato, capite 8. Quartum, quod ex marmore fit, ut Vitruuius lib. 7. suæ architecturæ demonstrat. Ex minio facto, aliá ue re non uterer, sed naturali tantum, quod est perpetua uomica. Mira in scabie gallica uidentur: totus morbus ad os repercutitur, & qui deplorati ferè sunt, sanantur: modò is qui medetur parare sciat, ut patientis cōstitutioni, ætati morbi, & uiri intensioni, anni tēporibus quadret. Sed improbi quidā tonsores nunc prodeunt qui similes illi sunt, qui omnes uno calceo calceare instituerat: ita hi uno medicamento omnes sanare contendunt, magno ægrorum discrimine: nempe plures interficiunt, quàm sanent, quum nullus ferè nō sanetur.

Argēti uiui uis maxima.

Sed ad rem nostram redeuntes, purgat ab omnibus metallis aurum, & omnia præter aurum, illi innatant, aurum descendit utpote grauius, & statim liquescit. Nihil mirabilius eo opere: quum aurifices pateras, lances, aut maluuia inaurant, argentum uiuum auro miscent, corpus ueluti

ueluti pasta redditur, ut facile supra pateram aut maluuium extendatur, mox igne apposito, argentum uiuum euanescit: aurum adeò inhærere inuenitur, ut nulla ratione seiungi possit, nisi compositione altera, quam fortem aquam uulgò appellant, uel aqua da partire. Ea enim nummularij & aurifices ad segregandum aurum ab argento, & alijs metallis utuntur. Ex Germania facile argentum uiuum ex perpetua uomica habere poteris, uel etiam inter metalla inuentum: quæ autem arte fiunt, omittas. In hoc autem uerum mihi sponte aperias. Qui pluri uiuo argento utuntur, medici, an aurifices? SEN. Hos archimystæ superant in immensum. BRA. Dij boni adhuc suum Mercurium congelare quærunt? SEN. Et nunquam deerunt, adeò ingens auaritia, & dira habendi cupido hominum mentes perturbat. BRA. Galli argent uif, Hispani azogne, Germani queckſilber, id est, uiuum argentũ, uocant. SEN. Ceruſſa sequitur. BRA. Ceruſſa. Et hanc inter uenena numerant, fictitia res est ceruſſa, à Dioscoride libro quinto, & Plinio libro trigesimoquarto, capite decimooctauo, & Vitruuio septimo suæ Architecturæ, modus conficiendi edocetur. Præ omnibus autem Serapio ad unguem conficiendi modum ostendit, capite 378. Nos uulgò biãcam ab albedine uocamus. Decipiuntur qui ceruſſam eruginem plumbi faciunt: quoniam plumbum ærugine caret, tamen ex plumbo & aceto fit: propterea à Germanis pleivveis, id est, albugo plumbi, à Gallis Latinè ceruſe nuncupatur. Ex cocta & cruda unguentum paratur. Olim Rhodia probabatur, & Corinthiaca: nunc opus nõ est Germaniam transire.

Imò sunt qui Venetijs parent, ita parandi modus apte ab autoribus ostenditur. Mulieres Italæ plures, pro fuco cerussa utentes, halitus fœtorem incurrunt, & dentium putredines, & ante tempus facies uniuersa rugis aratur.

Lithargyrum. SEN. Lithargyrum sequitur. ERA. Apud recentes autores duplex lithargyrum inuenitur, auri scilicet, & argenti. Auri lithargyrum dicitur ex colore quem habet: à Latinis spuma argenti uocatur, ut Plinium legenti capite sexto libri trigesimitertij apparet, qui eadem sub spuma argenti, qua hic à Dioscoride sub lithargyro scribit. Tres lithargyri species apud autores inuenio: unam, ex molyblitæ arena, id est, plumbari: alteram, ex argẽto: tertiam, ex plumbo. Modum faciendi Plinius præcitato loco, & Dioscorides quinto libro docent. Nos flauã speciem frequentem habemus, quæ à Dioscoride chrysitis ex colore nuncupatur, & omnibus præstat: habemus & albam ex Sicilia allatam, quæ ob colorem argyritis dicitur, non quia ex argento sit: nam ea quæ ex argento est, calauritis appellatur, unde frequentissimas habemus has duas species, albam, & auream, sed potissimũ aurea abundamus, in qua multi decipiuntur ex auro fieri putantes: nam aurea dicitur, ob colorem quem habet auro fuso, & in globum ducto, similem: propterea à Dioscoride chrysitis dicitur, nos uulgò lithargyrum auri, nomẽ ferè Græcum imitantes. Differunt tamen lithargyrum & argyrolithon, quamuis nomina idem significare uideantur, quia unum lapidem argenteum, alterum argenteum lapidem important: tamen primum spuma argenti est, alterum lapis, qui & à Chymistis aphroselenon nũcupatur.

Probatissi

Probatißimum eſt aureum lithargyrum, & cætera uiri bus antecellit. Non mihi tempero, quin laudem illos Ara bes, qui lithargyrum faciunt plumbum in argentarijs fo= dinis uſtum. Dicant quodcunque alij autores, quod uidi= mus, ita eſt, laminis plumbeis tegunt argentum in forna= cibus, poſtea ignem frequentant, nonnihil ueluti ſpuma fit liquefactis plumbi laminis, quod ferreo quodam bacu= lo in unum colligunt. Id lithargyrum eſt, quo utimur, & Chryſitim dictum: unde non ab re ſpuma plumbi à qui= busdã Arabibus dicitur. Galli literge, Hiſpani albayalde, Germani glett uocant. SEN. Marchaſita ſequitur. Marchaſita,
BRA. Pyritem lapidem Plinius libro trigeſimoſexto, ca Pyrites,
pite uigeſimonono, eã appellat, & quinto libro Dioſcori des. Duplex reperitur: una colore aureo, altera argẽteo: quæ argenteo colore eſt, à nobis frequentißime habetur: alteram quandoque etiam habemus. Lapis eſt, ex quo æs extruditur: probatur qui facile percuſſus ſcintillat, & æri maxime ſimilis. Modus cremandi apud Dioſcoridem & Plinium idem eſt: ad diſcutiendum & exiccandum maxime ualet, ut nonnunquam pannos aliquos ex ui mor bi Gallici in inguinibus factos per totum corpus diſcu= tiat, imperitis medicis applicantibus, ut exiccent, quum potius materia Gallici morbi extrahẽda ſit, ut exeat. Py rites dicitur, non quia alij lapides non ſint ita uocati, & Igniarij, ſed ob excellentiam celeritatis ſcintillandi: imò & corallium pyritis dictus eſt, Plinio eodem loco teſte. Quandoque fruſta alijs denſiora & ponderoſiora inue= niuntur, hoc maxime ignem emittit. Magnificus comes Galeazus Taſſonus in Appennini alpibus mõtem habet,

in quo huius lapidis ingens copia reperitur. Certus sum ibi mineras aliquas subesse, si quis profunde defodiat. Ad rem nostram, pyrites quandoque argentum habet, quandoque æs, quandoque utrunque, quandoque nihil habet, & adeò sterile est ut nullum metallum ex se admittat, scitoq; eum pyritem ex quo fit æs aureum appellari, album uero argentum, quia ex ipso argentum fit. SEN. Argentum ergo ex Marchasita excuditur? BRA. Excuditur omnino. SEN. Nullus antiquorum hoc monuit. BRA. Nullus, quem nouerim, de qua re multum miror, ut id credere coactus sim, aut antiquos ignorasse, aut de hac re scribere noluisse, utpote quæ sensu cõstare uideatur: hoc autem in Germanicis fodinis manifeste deprehenditur, & Pannonicis, quod etiam in suo Bermano Agricola scriptũ reliquit, imò addit pyritẽ inueniri aurei penitus coloris, è quo aurum detruditur. Nos huius frustum habemus. Inuenitur et similis Galenæ pyritis, & cinerius, quæ tria genera multum solida non sunt. In Silesia uarijs partibus inueniuntur. Miror autem de Alberto, qui è marchasita nullum metallum detrudi posse fateatur. Ipse fortè in sterili pyrite expertus est, propterea in omni ita esse arbitratus est: nam apud Arabes ex marchasita, apud Græcos ex pyrite, quæ idem sunt, æs detruditur. Vnum est, in quo Serapionis codicem corrigere oportet. Dioscoridem adducit, hæc uerba proferentem, eligendam esse marchasitam, quæ quãdo ponitur in ignẽ saliunt ex eo scintillæ facile. Dioscorides autem id non dicit, sed εὐχερῶς δὲ σπινθῆρας ἀφιέντα, id est, qui facile percussus scintillat: non autem puto deceptum esse Serapionem

Serapionem, sed interpretem errasse, ibiq; legendum: & quando percutitur, saliunt ex eo scintillæ facile. Mesue hunc lapidem stellatum uocat, quoniam ut stellæ radiat, præsertim si ante solem ponatur, aut aliam lucem, & lapidis stellati duas species enumerat. Altera est marchasita argenti: altera, lapis lazuli: adeò clare loquitur, ut de excellentißimo quodam uiro mirer, qui chaos esse dicat, præsertim quia in eadem minera quandoque lapis lazuli & marchasita inueniuntur, & ex radiantia hoc nomen stellatum sortiti sunt: quoniam & lapis lazuli aureas maculas habet, apprime splendentes, ut uiderim Ferrariensem sculptorem celeberrimum Franciscum Anechinum, qui in lapide lazuli cicindellam finxerat miro artificio, ut cauda accensa in fine uideretur: nam in maculam aureã terminabatur, mirum artificis ingenium. At quia hoc nomen aster Græcè stellam significat, & Samiæ terræ speciem comprehendit, propterea Mesue astigi placuit, Mesuem de astro loqui, qui est Samia terra, ac si nihil aliud, quàm Samia terra aster appelletur: quum tamẽ Plinius capite decimoquarto libri trigesimiseptimi, de gemma stellata pertractet, quæ ponticarum gemmarum unum genus est, & quæ nunc sanguineis, nunc atris guttis aspergitur, & inter sacras habetur: quum uero Mesue lapidem stellatum dicit, uel ut in Hebræo Mesue legimus, lapidem splendentem, fortè suo idiomate illos duos intelligit, maculas habentes, quæ splendorem faciant: propterea non erat adeò temere culpandus Mesue, quia constat lapidem lazuli, & marchasitam diuersa esse, quoniam in eo splendore idem sunt. Minus credẽdum est re- Lapis stellatus

centibus, ut Pandectario, qui marchasitam, marmor esse contendit. Quum in Mesue legitur esse de genere marmorum, legendum est, de genere lapidum, & non de genere metallorum, propter marchasitam quæ inter lapides numerari debet, quum metallum esse uideatur. Ideo non contentus, quod ipsam splendentem lapidem, aut stellatum uocauerit, ad pleniorem efficaciam addit esse de genere marmorum, id est, lapidum. SEN. Lapis lazuli inuenitur ne apud antiquos? BRA. In re tam certa tamq; explorata dubitas? Quis nescit adeò pulcherrimum lapidem antiquioribus notissimum fuisse? A Dioscoride quinto libro & Galeno nono de simplicium pharmacorum uiribus cyaneus appellatur, à Latinis autem cœruleus. Sed quidam Leonardus qui de lapidibus agit, ita hunc lapidem nouit, sicut omnes alios, nescio an aliquis ineptius de aliqua materia scripserit: hic bonus uir cyaneum & cœruleum duos lapides esse arbitratur, tamen eisdem uerbis in utrisque enarrandis utitur. Plinius capite ultimo libri trigesimitertij, cœruleum arenã esse scribit, tamen & lapis est, Dioscoride teste. Theophrastus animaduertit quum teritur, in quatuor colores immutari, quod & Plinius refert, candidiorem, nigriorem, crassiorem, tenuiorem. Denique Arabum lapis lazuli, est cyaneus Græcorum, & Latinorum cœruleus. Recentes in marem & fœminam distinguunt: antiqui in perfectius, & in imperfectius. Serapio perfectissimum colorem cyaneum habẽtem probat, & guttas aureas admixtas, quiq; alterum lapidem mixtum non habet, nec facile frangitur. Vos pharmacopolæ hunc lapidem imperfectissimum habetis

Lapis lazuli.

betis, quippe cui eius color desit. Dioscorides enim probat saturatum colore sui nominis: additq; in Cypro ex ærarijs metallis fodi, & esse perfectius quod ex arena litorali. Tu an in his fodinis habere poteris, experiaris, ex ipso color ille exquisitißimus sit cyaneus, quem uulgò azurrum ultramarinum nuncupamus, id est (ut arbitror) magis intensum, quàm color marinæ aquæ, tamen & ille color ex terra etiam ita appellata sit, sed qui ex hoc lapide, cæteris magis floridus est. Miror & hic de excellent. quodam uiro, qui Mesuem legens dicentem hunc lapidem melancholiam educere, eò reprehendat, quia hoc à Græcis non dicitur, ac si necessarium sit nihil noui inuenire, nisi à Græcis prius dictum sit. Verùm quum lapis lazuli easdem uires habeat cum armeno, in armeno autem fortiores sint: propterea Serapio de lapide lazuli tractans, lazuli uires, id est, cœrulei Galeni, & armeni unà commiscuit, ut utrisque easdem uires inesse ostenderet, quum & colores in idem inclinare uideantur. SEN. Quum de hoc lapide sermo inciderit, non erit ab re ipsum quærere. BRA. Ne conteras tempus, quia in Armenia solum inuenitur. Mihi frequentißime uirides lapides pro Armeno pharmacopolæ ostenderunt, qui armeni nõ erant, quẽ tamen potius habere optarim, quàm cyaneum. Nullus est Ferrariæ, aut Venetijs, qui uerum habeat: leuis esse debet cœruleus, quàm planißimus, friabilis, sine arena. Plinius uiridem in cyaneum inclinãtem esse monet. Nonnulla lapidis lazuli frusta armenum esse arbitrarer, si friabilia inuenirentur. Inter floridos colores numeratur, quos dominus fingenti præstat. Plinij tempore terra inuenta

erat in Hiſpania, & nunc quoque habetur, quæ eundem colorem repreſentat, & uili pretio uenditur. Optarim ut haberetur: tamen eius loco chryſocolla (ut Dioſcorides inquit) uti poſſumus. Marchaſitam & Galli marchaſites nuncupant, lapidem uero lazuli pierre daſur. At Germani pyritem ut marchaſitam kiſz uocant, ſed ſuis nominibus poſtea diſtinguunt argenteã & auream. SEN.

Argentũ ſublimatum. Argentum ſublimatum ſequitur. BRA. Nuſquã apud antiquos ſublimatum repperi (quod nunc ſciuerim.) Albucaſis inter recentes, quem tu optime noſti, ex calchanto, argento uiuo & aceto fieri docet: nunc ut uehementius fiat, ſalem armoniacum addunt. Venetijs paratur, ibi emere poteris: quanquam & tu ipſe pro tua officina Ferrariæ parare nihil impediet: ſed à fumo cauendum eſt, quo multi incauti interempti ſunt, alij mutilati, alij attonito morbo, quẽ apoplexiã uocant, correpti. Vtinam hoc uenenum in lucem nunquã prodijſſet: plura facit incõmoda, quàm cõmoda: nihil eſt æquè inter ſimplicia uenenoſum, quod ſemihora, & minori ſpatio exedendo interficit: nam omnia intrinſeca, & præſertim præcordia uelut ignis urit. Linguæ apice quandoque ſublimatum tangens, ut eius guſtum ſentirem, intumuit protinus lingua, ut extremè refrigerãtibus uti opus fuerit. Caſu inuentum eſt: eo mulieres Italæ nonnullæ ſe fucant, colorem album reddentes, ſed maximo diſpendio, utpote quibus breui dentes marceſcant, halitus male olcat, oculi caligent, rugoſæ efficiantur, morbo attonito corripiantur, & in repentinam mortem feſtinent. Olim ad morbi Gallici medellam in magno erat uſu, nunc deſijt, & uiuum argẽtum eius loco

receptum

receptum est. Eius decoctum in modica etiã quantitate, scabiem præter noxã tertia die sanat. Alphõsinus Trottus Eques magnificus eius rei testimonium exhibere potest, qui ut uir est ingenij sagax, ita multa experiri in dies tentat. Smegma etiam odoratum, id est, saponem parare soleo, quo præter suspicionem aliquam, qui eo deliniuntur à scabie tertia die ad summũ liberantur. Hoc experti sunt non semel, magnifici Nobiles Alphonsius Ziliolus, & Andreas Archius Comes facũdißimus. Ab Hißpanis solimam nuncupatur, sicut & à nostris mulieribus sulima, à Gallis argent sulime. SEN. Minium sequitur. Minium.
BRA. Res pluribus ignota etiam celeberrimis uiris, qui de ipso scribunt, quum nihil uiderint, aut experientia didicerint. Plures minium & cinnabarim confundunt, quũ à Dioscoride plurimum differre ostendatur. Minium duplex est, natiuum florido colore insignitum, & factitiũ, in uiui argenti uenis gleba ἄνθραξ nuncupata: effoditur subruffo colore, quæ circa se rubrum puluerem habet, hic puluis uerum minium est, & fortè apud antiquos in magno honore, quo Iouem miniabant diebus festis, & triũphantes. Solus Vitruuius 7. lib. suæ Architecturæ huius meminisse uidetur, quum Dioscorides & Plinius minium fieri tradant, ex lapide argentariæ arenæ mixto: quamuis Plinius natiuum quodammodo adumbrare uideatur, rubinos (quos carbunculos uocat) eodem loco fieri dicens: seã hæc aliud tempus expetunt. Tu hæc pro ueris, ratisq; habeto, minium natiuum & factitium inueniri, natiuum in usu non uidetur: fortè quia paucum, & in magno pretio: factitium id est quod in officinis habetis. SEN. Na-

tiuum arbitrabar, quod uendimus. BRA. Factitium est, ex accensa arena coccinea argẽtariæ arenæ mixta: in primis autem pluribus loturis lauant, & alijs rubris adulterant. Probatißimum minium, quod igne fit, guttas argẽti uiui mixtas habet, antequam colorem per uim ignis acquirat: hæc ex uisu dicta sunt nobis, & non auditu, uidimusq; Venetijs adulterari rubrica quadam simul mixta. Optimum minium ita deprehenditur, si supra candẽs ferrum positum igneſcat quidem, sed non uratur (nisi pro minima parte) nec colorem amittat. Ferrariæ ex uarijs generibus periculum fecimus. Nonnulla minij genera nõ urebantur, & suum colorem seruabant: alia nigra efficiebantur, quibus erat admixta rubrica. SEN. Audiui cinnabarim apud antiquos idem esse cum minio. BRA. Surda aure audire debebas, quoniam diuersa sunt, ut Dioscorides censet. SEN. Quod nos uulgò cinaprium appellamus, non ne est antiquorum cinnabaris? BRA. Nequaquã. Cinaprium etenim nostrũ ex sulphure & argento uiuo arte fit Venetijs: antiquorum uero cinnabaris apud Plinium capite 7. libri 33. est sanguis draconis ab elephante elisi, cuius Dioscorides in metallis meminit: nõ asserit autem, sed ita ferri dicit: Pliniusq; eundem sanguinem ab illa gente appellari cinnabarim tradit. Nec admiratione afficior, quamuis cinnabarim idem cum minio esse censueris, quoniam & Plinij tempore medici decipiebantur, minium, cinnabarim esse arbitrantes, quia eo nomine tunc appellabatur. At cinnabaris in multo medico usu erat, quum minium uenenum sit. SEN. Ex his nondum accepi cinnabarim. BRA. Quid sentiam uno

Cinnabaris.

uerbo

uerbo expediã, & si ab autoribus cinnabaris inter metalla numeretur, tamen de ipso tanquam de re ignota loquuntur: ideo non possum aliud agere, quin suspicer cinnabarim esse sanguinem draconis à nobis nunc appellatum, id est guttam illam, uel lachrymam, quam in officinis habetis, & sanguis draconis dicitur, nõ id quod in rotulas conficiunt, quod me in hanc suspicionem duxit, est eius color, qui in nostro hoc sanguine draconis profundus est, ut de colore cinnabaris Dioscorides scribit, & eo pictores utuntur ad fingendum sanguinem, nec in uili pretio est. Non diu est quòd Venetias portatur: nec dico esse draconis elisi sanguinem, sed lachrymam arboris. Plinius incertè illum tractat, nos hoc nouimus, & experimentis comprobauimus. Adde id non esse quod ab Arabibus describitur, succum scilicet quartæ speciei sideritis, quæ à nostris rusticis millefolium dicitur. Apud medicos, & pictores, & hæc & factitia cinnabaris in magno usu sunt, & præsertim sanguis draconis uocatus, qui lachryma est, nec multa copia Venetias affertur. SEN. Gaudeo priusquã moriar plurima discere. BRA. Minium ab Hispanis & Gallis nostro nomine, à Germanis menig uocantur: cinnabarim uero Galli uermylon, Germani cinober appellant. SEN. De his quibus in officinis utimur ad mineras spectãtibus satis dictum est. Lapides sequuntur in meo ordine, quorum usus est in uarijs compositionibus apud medicos. Venetijs mihi emam cinnabarim, minium hic utrunq; colligam & factitium, & natiuum, quamuis exiguum uideatur. BRA. Nõ erit abre lapides recensere, priusquam prandij hora incumbat,

quorum partem in mineris, partem in his montibus inuenies. SEN. *Et tempestiua hora adhuc est, nec Herbarius lassitudine premitur.* HER. *Per duas horas adhuc uobis inseruiam, postea prandendum erit: quippe os uentriculi iam fame titillari cœpit.*

DE LAPIDIBVS, QVORUM APUD FERRARIENSES PHARMACOPOLAS USUS EST.

SENEX.

VNC lapides enumerare incipiam. HER. *Quid moraris?* SEN. *Nondum locum inueni, ubi ordine digesti sunt.* HER. *Pone cõspicilla.* SEN. *Heri nescio quo loco amisi.* HER. *Et uisum simul amisisti? En sinistra pagina lapides sunt.* SEN. *Nõ possum absq; uitreis oculis legere: tu hunc libellũ Herbarie sume, & meo munere fungaris.* HER. *Et tu bipalliũ, sacculum, atq; peram humeris apponito.* SEN. *Id asello condonetur.* HERB. *En tuos emissitios oculos in herba reperi, atq; seruaui.* SEN. *Nihil mihi gratius, nunc lapides optime intueor.* HER. *Quomodo prius ambulabas, si lapides uidere non licebat? Miror cur frequenter non cespitaueris.* SEN. *Iocaris? Ego scriptos lapides intelligo.* HER. *Pinguntur potius quàm scribantur lapides.* SEN. *Cauillari desinas: primus lapis, qui occurrit, perlæ*

perlæ sunt. HERB. De lapidibus tractaturus à re, quæ lapis non est, incœpisti. BRA. Fortè non ab re, quum ab Arabibus inter lapides numerentur. SEN. Non multum refert, quo genere disponantur, modo quid sint addiscamus. BRA. Græci in re medica rarò margaritis utuntur, ita enim appellant, nõ perlæ, & à Latinis uniones dicũtur, non ut aliqui opinantur, quia una in una cõcha tantum sit, sed ut inquit Plinius lib. 9. capite 35. quia nulli duo reperiũtur indiscreti, quippe Albertus Magnus plures una concha inuenisse fatetur. Et qui Indicam nauigationem fecere Lusitani, centum triginta uniones una concha capi testantur. Nos Venetijs una concha septem inclusos uidimus, conchæ carne modicum exiccata. Margaritæ suam maturitatem habent, & senio crescunt: antequam maturæ sint, si à conchis eximantur, breui corrumpuntur. Maturæ facile defluunt: quinque notis probantur, cãdore, magnitudine, orbe, leuore, pondere, ut nihil æquè sit indignius homine, si margarita nuncupetur: nempe unaquæq; illarum proprietatũ, ab homine quicquam demit, & in ipso imperfectionem significat nostro uulgato idiomate: tamẽ mulieres nostræ alijs blãdiri solẽt hoc nomine Margarita, aliquem aut aliquam perlam uocantes. Ex Indico mari ad nos afferũtur probatißimæ, & etiam ex Britannico, quod nũc uulgò Anglicum & Flandricum uocatur. Diuersitas colorum & turbulentiæ in ipsis ros est, ut Plinius refert, quem capiunt, quãdo in Venerem accenduntur suo anni tempore: hoc genus conchæ ex quo margaritæ sumuntur, ab incolis berberion & berberi appellatur: inter epulas gratißima est illarũ caro. Perla. Vniones. Berberion.

Arabes cor à margaritis confortari, & roborari prodidere: quippe Arabes medicinarum ex unionibus inuētores sunt, quamuis & Plinius nōnihil meminerit. Venetijs pro tua officina integras margaritas emes: nam in puluerem redactæ, & uires amittūt, & facile adulterari possunt. SEN. Quū in receptis (ut inquiunt) perforatæ & non perforatæ margaritæ scribuntur, quid intelligendum est? BRA. Aliquæ margaritæ sunt, quæ natura perforatæ inueniuntur, aliæ arte: quando perforatæ despiciūtur, eæ sunt quæ natura foramen habent: nam aliquo malo affectu acquisiuere. Tamen nō perforatæ simpliciter probatiores sunt, quāuis quæ arte perforatæ sunt, despicere non oporteat. Hanc distinctionē nullus Græcus aut Arabum posuit (quem legerim) sed recentes in causa fuere, qui in ordinandis apud pharmacopolas rebus ad suos ægros spectantibus, ut apud uulgus in admirationem ducantur, in hunc modum altiori uoce intonant, recipe margaritarum non perforatarum, quum satis fuisset probo pharmacopolæ margaritarum simpliciter protulisse. Omnibus ferè gentibus hoc nomen perla commune uidetur, ab eo enim parū dissentiunt: nam Galli parles, Hispani perlas, Germani perlen nūcupant. SEN. Corallia sequuntur. BRA. Gratissimum est Corallium, & meritò inter gemmas numerari deberet: gestantium animos lætificat. An lapis coralliū, de quo Plinius lib. 36. cap. 19. loquitur, altera res sit à nostro Corallio, ambigimus. Antiqui autores duorum generum tātum meminere, rubri, & nigri. Nigrum appellari antipathes, Dioscorides tradit. Plinius in rubro mari nigrius nasci, capite 2. lib. 32. cēset:

Corallium,

non ta

non tamen pūrè nigrum, sed nigrius nasci dicit: quicquid ab autoribus scriptū sit. Nos Genuæ totius Liguriæ emporio tria corallorum genera uidimus, quæ ramos amplos habebant, nigrum, rubrū, & album, imò adde subrubrum, & modicè uiride, quod & Genuēses pro nigro habebant. Nos subrubrum, uulgò incarnatū uocamus, tamē idem cum rubro est, sed imperfectè rubrum: est enim medium inter album, & perfectè rubrum. Ideo Auicenna aliis exquisitius, in album, nigrum, & rubrū distinguit. Alba imperfecta esse & immatura arbitror, ideo magis adstringunt: subrubra, id est, incarnata, magis matura albis, & rubris minus: rubra colore florido in maturitatis symmetria sunt, uiridia magis matura, quàm opus sit, nigra adhuc magis. Ad hoc moueor, quoniam in una plāta omnes has differentias uidimus, imò in uno met ramo. Et Ferrariæ Reuerēdissimæ sacri Cœnobij diui Antonij initiatæ, Lucretia Malaspina egregia & probatissima mulier, & Bonifacia Biuilaqua probitatis speculū, Crucem ex corallo habent suo lapidi innixam, & natura ita factam, cui ars modica addidit, & duas latronum cruces, à látere ita à natura factas, quæ suo lapidi tanquam radici inhærent, in quibus nonnullæ corallorum differentiæ uideri possunt. Quum autem de Corallio apud autores simpliciter sermo fit, rubrum intelligere oportet, quo puerorum colla & manus ornamus, effascinationes, & atram bilem, quam brutam uocamus, & epilepsiam, atq; apoplexiam euitare arbitrantes: nunc in magno pretio sunt, ut ferè haberi non possint: sed probandus esset in pueris usus, nisi & mulieres pro ornamento uterentur:

uidetur enim comes esse albedinis, & eam floridã magis reddere. Dioscorides suum nigrũ corrallium à rubro specie distinguit. Nos quæ uidimus perhibemus, in una met planta album & nigrũ esse, imò unus met ramus, parte una ruber floridus, altera niger uidebatur. Rubrũ probatur, quàm maxime rubens colore florido, frangibile, odorẽ terræ, muſci, & algæ habens ramosissimum. Damnandũ lapideum, scabiosum, scabrũ, & inane. Vos pharmacopolæ cõtinuò pessimum genus habetis, quod scabiosum est, petrosum, & totum mane: albũ probatur: quod maxime album, & nigrum similiter, ac lucidum, quũ nigrũ ad eadem ualeat ad quæ rubrum, sed ægrius: ideo pro nigro rubrum habere satis erit. Albũ uero seorsum emito, sed Genuam mittes, non Venetias, aut in Siciliam: nam Syracusis apud Pachinum promontorium copiosissimè nascitur, & apud Drepanum eiusdem Siciliæ urbem, quã nũc Trapani uocant, quum & in Gallico sinu circa Orchadas, & in Lygustico mari, & ante Corniculum, & Neapolim oritur: omitto nunc rubrum mare, & Persicum sinum. Quando sub aqua est, uiride apparet, & tenellum est: quum euellitur, ex circunstante aëre durescit, & color ruber fit, si adeò maturuerit. SEN. Est ne arbor? BRA. Folia non habet, propterea substantiam quandam terream esse arbitror, quæ potissimum circa montuosa loca sit, ob caliditatẽ & siccitatem loci & maris adeò exiccatam, ut in lapidem uersa sit, quæ prius ob eius lentorẽ extendi poterat, & in uarios ramos diduci, ut arbor uideatur. Vnde & Græci dendritin quasi arboreum uocãt: & Dioscorides lithodendron, id est, arboreũ

lapidem

lapidem nuncupauit. Ab Hiſpanis coralos, à Gallis coral, à Germanis coraln dicitur. SEN. Lapis armenus occurrit. BRA. In pyrite lapide, armenum edocuimus, quem uiridem in cyaneum uergentem eſſe oſtendimus, quo pictores pro cyaneo, id eſt, lapide lazuli quandoque uſi ſint: armeniacus etiam uocatur. Optarim ut armenum potius haberemus, quàm cyaneum: tamen nec cyaneus, uel cœruleus omittendus, quoniã & ipſe atræ bili mirè aduerſatur. SEN. Lapis hæmatites ſequitur. BRA. Notiſsimus eſt hic lapis, adeò ut ſimplici nomine per excellentiam, lapis, dicatur: hæma Græce ſanguinem ſignificat: hic lapis uel ita appellatur, quia ſanguinis colorem imitatur, aut quia fluentem ſiſtit. In metallis inuenitur, quem ſi uras minij colorem habet. Plinius capite uigeſimo libri trigeſimiſexti, quinque genera diſtinguit. Sed tibi ſatis eſt, hoc genus uulgare habere, quód friabile ſit, rubrum uel nigrum, durum atque planum, ſine ſordibus, nec lineas, quibus uarietur, habeat: ineptior enim eſt qui lineas habet. SEN. Aut Venetijs emam, aut ruſticos quosdam expectabo qui ſingulis annis in forum portant & uendunt. A Gallis ematiſtes, à Germanis pluet ſtein, id eſt, lapis ſanguinis nuncupatur. SEN. Lapis Iudaicus ſequitur. BRA. A Iudæa in qua naſciur nomen ſortitus eſt hic lapis, nam ex Palæſtina Syriæ Alexandriam, & pòſt Venetias affertur. Marmoreis fruſtulis adulteratur, adulteriũ deprehenditur: qui arte facti in omnibus æquales ſunt, & lineas ſemper æquales habent, ſed naturales in uno látere quandoq; euariant: nec putandum eſt lineas illas naturales, lineas eſſe, ſed ueluti puncta ſunt per quen

Lapis armenus

Lapis hæmatites.

Lapis Iudaicus

dam ordinem distincta, quæ simul ordinata linea quadã sciungi uidentur. Antiqui medici eo ad ueſicæ lapidem utebantur: ideo illi nomen impoſuere, tecolithos, id eſt, calculos aſſumens lapis, quod nono de ſimplicium medicamentorum facultatibus Galeno diſplicere uidetur. Quicquid tamen ſit, ego in lapide renum frequenter uſus ſum, & optime profecit. Venetijs emere poteris, ſed ab adulteratis caueto. Hoc ſolo reuerendiſsimum Thomam Muſtum canonicum Ferrarienſem, à ſæua renum ægritudine liberaui. SEN. Lapis lyncis ſequitur. BRA. Ab antiquis lyncurium uocatur: ex urina lyncis eſſe fabulantur. Vnde ſit apud autores nõ cõſtat: tamẽ multi de eo loquũtur, arbitrantes, quum lynx oculatiſsimũ animal, & obliuioſiſsimũ mingit, ex terra & urina lapidem generari, qui lyncurium uel lapis lyncis dicitur. Ego hoc obſeruaui in lyncibus duobus, quos magnificus & generoſus Comes Nicolaus Taſſonus nutriri faciebat: in terram mingebant, frequentiſsime obſeruaui, terramq; permictam, & ſiccam ſeruaui, mirè fœtebat, ſed nihil unquam concreuit: fabulamenta ſunt quæ de hoc lapide circunferuntur. Conſtat tamen lyncurium eſſe ipſam lyncis urinam, quam in officina habere poteris: lapidem uero cum Plinio capite tertio libri trigeſimiſeptimi, non inueniri cenſeo, ubi Theophraſti & Dioſcoridis uerbis non credit. Oſtẽdunt uero noſtri pharmacopolæ, & Veneti lapidẽ quendam ſpongioſum, ſubnigrum, aliqua parte cineritiũ, quem pro lyncurio uendunt: adeò omnia in præceps iere. Conſulo ut hic lapis à tua officina abſit. Vrinam uero lyncis, ſi habere poteris, ſeruato. SEN. Vnde hanc

Lyncurium.

urinam

urinam emam? BRA. Lyncem potius emas, ac nutrias, sed magna iactura hoc fácies, propterea omittenda potius hæc urina paucissimis rebus utilis, quàm tam magno dispendio comparanda. SEN. Ita agere decreui. Crystallus sequitur. BRA. Notissima est crystallus: gelu est uehementius concretum, ideo nunquã nisi in frigidissimis, & niuosis locis inuenitur. hæc uera crystallus est: sunt enim multæ aliæ imperfectiores species, ut ea quas uos utimini, in Italiæ alpibus inuenta: uenenum esse crystallum pistam, in famam uenit, quum tamen non sit, sed potius ueneno aduersetur: nullus est qui posset non minutissime pistã bibere, ita uero nõ sentitur: si autẽ in maiores micas redderetur, fortè uentriculi parietibus inhærerent. Istud uero non fit, quia natura omnia ad intestina dirigit per hunc modum infesta. Quam ob rem nescio unde emanarit hoc, quod uulgò ita fixe receptum in hominum animis, ut nullus non credat pernicioſissimum uenenum esse crystallum, quum sit ueneni antidotũ, de quo Plinius libro trigesimoseptimo capite tertio, diffuse pertractat. Nomen commune habent Galli, Hispani, & Germani, Cristal, ut nec una litera differant. SEN. Magnes sequitur. BRA. Lapis hic ob effectum quẽ facit in trahendo ferrum, notissimus est, imò ut inquit Dioscorides, eo perfectior est, quo magis trahit, ab inuentore eo nomine insignitus: probatq; Dioscorides magnetem, qui in cœruleum colorem magis inclinet: tamen quem nos habemus, optime ferrum trahit, cœruleus uero non est, sed potius ferrugineus. Sed ea parte qua in cœruleum inclinat, uehementius trahit, ut Dioscoridem uerè lo qui ma-

Crystallus.

Magnes.

nifestum sit. Fabulantur ex Magnete integrum montem esse, quum in mineris inueniatur. In Hispania atq; Germania potissimum in uenis ferri colligitur, sub principatu illustrissimi Saxoniæ ducis Suacembergi & Eibenstoci: quamuis Plinius libro trigesimosexto, capite decimosexto, uaria loca assignet ubi inueniatur, & quinq; ipsius species enumerat: tu si lubeat domi omnes species legas: sed satis est, hanc speciē habere, quæ ex Germania affertur, & Hispania, quamuis ex Aegypto Venetias etiam comportent. Albertus Magnus in amatorijs deliramenta de hoc lapide fabulatur. Inuentus est, ob naues maria sulcantes circa horum lapidum mineras (ut ferunt) unde tractis clauis omnes periere: uel, ut inquit Plinius, ex clauis crepidarum, & cuspide baculi ferrata hærentibus, quum armenta pasceret quispiam. Qui nauigationem Indicam in Calechut fecere, naues clauiculis ligneis compaginatas, ob magnetem se uidisse testantur, ne ferreis clauis à magnete tractis submergantur. Alijs pluribus nominibus insignitur, lapis Heraclius, lapis Herculeus, sideritis. Diogenianus autor est, uerum magnetem adeò argento similem ut decipiat. Hunc autem lapidem, quem magnetem appellamus heracleotem nuncupandum, quicquid Diogenianus dixerit: nos alioqui apud autores, & re ipsa comperimus. Venetijs emes, aut Genuæ, uel in Germaniā mittas. Sunt qui pro ueneficis & incantationibus album magnetem quærant. Si aduratur, rubrum colorem enanciscitur, ut pro hæmatite uti possimus. A Germanis man neth, ab Hispanis aymante magnes appellatur. SEN. Lapis aquilæ sequitur. BRA. O quot superstitiones & infinitæ

Lapis aquilæ.

nitæ uanitates, & prope puerorum deliramenta in hoc lapide fiunt: hoc uolunt furta detegi, hoc non possunt etiam optima cibaria edi, hoc futura prædicere tentant, hoc deprehenduntur uxorum furta, sed hæc ab instituto nostro aliena. Plinius libro trigesimosexto capite uigesimoprimo, quatuor Aetitis genera describit, quippe idem sunt lapis ætites, & lapis aquilæ. In aquilarum nidis duos inueniri arbitrantur, nec aquilam oua párere, nisi hos lapides in nidum cõportauerit. Apud nos duo genera sunt: album unum, marmoris colorem & effigiem habens: nigrum, subnigrum, uel cineritium alterum. Etiam prægnãtes lapides uocant, quasi intus alterũ lapidem album habeant, qui sonet si quatiatur. Colorẽ non distinguit Dioscorides, sed cuicunque sit modo prægnans læuo brachio suspensus fœtum continere: coxæ, párere facit. Plinius, & recentes id fieri arbitrantur, quoties in aquilarum nidis inuenti sunt, quod nunquam accidere iudicamus, nec Dioscorides hoc sentit. In Apulia frequens inuenitur in monte Gargano, & in Apennino monte uarijs locis. Qui albus est, in fluminibus inuenitur. Si per hos mõtes quæras, ubi scaturiunt riuuli, & magnorum fluminum initia sunt, fortaßis inuenies: ex Apulia ferri iubeas, aut Venetijs emas: quia ex Armenia Alexandriam, pòst Venetias fertur. Si officina tua hoc lapide careat, non multum curæ sit. A Gallis pierre de laigle, à Germanis adlerstein nuncupatur. SEN. Antimonium sequitur. BRA. Ex lapidibus ad mineralia iterum transire uideris, sed hoc nihil impedit, quoniam & lapides mineralium naturam sapere uidẽtur. Plinius libro trigesimotertio, capite sexto,

Aetites.

Antimonium.

antimonium à recẽtibus dictum quatuor nominibus appellat, ſtimmi, ſtibium, alabaſtrum, larbaſon: ſed hoc nomen ſtibium potißimum ſeruat, & ſtimmi: mox nomen à Dioſcoride poſitum addit, Platyophthalmon, quia oculum dilatat, & in oculorum medicinis plurimum ualet, ut Galenus nono de ſimplicium medicamentorum facultatibus teſtatur. Gynæceum præterea appellatur, quia eo mulieres fucãtur eliquata aqua nunc in aliqua Italiæ parte. Dioſcoridis autem & Plinij tempore aptabant ſibi oculorum ſupercilia antimonio, præſertim mulieres Hiſpanæ, quibus nullæ in luxum magis pronæ. In metallis argenti inuenitur: eſt ſpumæ candidæ lapis, nitet, & non translucet: ſi comburatur, odorẽ ſulphuris habet. In hoc à plumbo differt, quia teritur & non funditur, plumbum funditur & non teritur. In marem & fœminam diſtinguunt, mas horridior, ſcabrior & minus ponderoſus, ac minus radians, & arenoſior fœmina. Ex Germania ad nos affertur, licet adulterinum quoddam Venetijs fiat. SEN. Ergo quod nos antimoniũ uocamus, ſtibiũ eſt apud antiquos autores, & ſtimmi, de quo chymiſtæ magna ſibi promittunt ex lapide argentum exprimere. BRA. Illud eſt. Galli Latino nomine utuntur: Germani ſpieſglas appellant. Alia proſequaris. SEN. De lapidibus nihil amplius habeo, quorum in mea officina uſus ſit. De lapide lazuli exequi ſupereſſet, niſi in marchaſita illum tractauiſſes. HER. Non poſſum deinceps effodere, niſi prandeamus. SEN. Prandebimus, ſi ad hanc offam coquendam te accinxeris. HER. Ignem ex hoc ſilice excutiam, & in fungum illum ſiccum excipiam. SEN. Age

citißime

citissime. BRA. Interim dum prandium paratur, alia nonnulla prosequi conueniet, ne tempus spectātes offam, conteratur, quum melioribus intenti esse possimus. SEN. Pretiosa fragmēta sequuntur, quæ quum pauciſsima sint, interim breui expediri incipiemus. BRA. In montibus inueniuntur, non tamen istis: sed quur inter lapides non enumerasti? SEN. Quoniam ita consuetum est nobis fragmenta appellare, & à lapidibus distinguere. BRA. Esto. Tua hæc pretiosa fragmenta recenseas, id est, si Latinè loqui uelimus, tuas gemmas, aut gemmarum partes.

DE GEMMARVM FRAGMENtis, quorum in Pharmacopolarum officinis usus est.

SENEX.

PRIMVM fragmētum Zapphirus est. BRA. Sapphirus dicunt autores. Ita sapphiri sunt, quos pro sapphiris uenditis, ut tu ipse sapphirus es. Qui gemmas aptant, atque tractant, gemmarij Latinè dicti. Inter Iaspidum genera sapphiros numerant. Cœruleum colorem habent, id est, similē cœlesti in perfecta serenitate, quem nostra uulgari lingua azurro chiaro perfecto nuncupare possumus: nomen autem hoc azurro corruptum est à Lazulo: sapphiri tamen pellucidi non sunt, nec possunt scalpturam admittere, ob centra crystallina aduenientia. Si sole percutiātur, fulgo- Sapphirus,

rem ferè ardentẽ emittunt. Ex India optimi cõuehuntur, ex alijs partibus non probati. Suaderem ut omnes ſapphiros paruos nigros, quos in officina habes proijceres: quoniam ſapphiri nõ ſunt, & Venetijs præſagmina eorũ qui aptãtur à gẽmarijs emas. Imò id in cauſa eſt, cur fragmẽta appelletis, quia fruſtula ſunt in aptandis fracta, quæ pro ornandis digitis, aut mulierum collis inepta ſunt. Deinde compoſitiones tuas pro expenſæ portione uenderes. SEN. Emptores pretio deterrerentur, & à mea officina abigerentur. BRA. Ergo eligis decipere potius, & in tam magno hominũ diſpendio, uita ſcilicet fallere, quàm unum uel alterum emptorem amittere? Suadeas emptori ſapphiros, hyacinthos, ſmaragdos, & alios pretioſos lapides fictitia uitra eſſe, quæ ueneni naturam ſapiunt, poſtea quæ lubent agat ille. Aut uerorum ſapphirorum fragmenta habeas, & emptoribus pretium indicato, quod ingens non erit, ſi fragmenta illa emeris, quæ aptantes abradunt. SEN. Deinceps ita agam, ne quis à me defraudetur. BRA. Ab Hiſpanis zaphira, à Gallis ſaphis nuncupatur. SEN. Smaragdi ſequuntur. BRA. Et hi quoque quos habetis in aliqua officina uitra ſunt, in alia uiridis marmoris fruſta. Venetijs apud gemmarios uera fragmenta, & minutiſſimas micas ad ornatum ineptas emas. De ſmaragdo Plinius libro trigeſimoſeptimo, capite quinto, diffuſiſſime ſcribit. Pulchriorem uiriditatem habet, quàm haberi poſſit, omnes etiam herbas uiriditate uincit. Soli gemmarum (ut Plinius inquit) contuitu oculos implent, nec ſatiant. Duodecim genera enumerat, qui ex Scythia afferũtur, cæteris præſtant. Genuæ

Smaragdus.

uas am

uas amplum habetur ex smaragdo, pulcherrimum quidem, & pretio carens, si ex smaragdo sit. Cõtigit me semel uidere, cũ Illustrissimo HERCVLE ESTENSE: nunquam uiriditatem pulchriorẽ, aut floridam magis uidere licuit, sed an smaragdus sit ignoro, non ex eo quia magnum uas sit, nam multo ampliorum smaragdorũ Plinius præcitato loco meminit. Fabulantur ipsi paropsidẽ esse, in qua dominus noster IESVS CHRISTVS cũ Iuda intingebat manum: quod an uerum sit, alijs iudicãdum relinquo. Satis est Plinium prædicto loco magnos smaragdos, & aptos ad uas parandum enumerare. In aliquibus officinis Iaspidem uiridẽ pro smaragdo uidimus, idq; minori ægrorum iactura, quoniã uiridis Iaspis in re medica plurimum ualet, præsertim qui ex India affertur, & æquas ferè uires smaragdo habet, ut Galenus 9. de Simplicium medicamentorum facultatibus, & Dioscorides 5. lib. referunt. A Gallis emeraudes, ab Hispanis smeralda, à Germanis smerald nuncupatur. SEN. Hyacinthus sequitur. BRA. Mira in diuersis pharmacopolarũ officinis uidere contigit: sunt enim qui pro rubino, id est, carbunculo, lapidem quendam sumant, & qui eodem met lapide pro hyacintho utantur. Veros hyacinthos habẽt aliqui uestrûm, alij uitra illius coloris transparentia, ex quibus fenestræ in templis fiunt. Facillimum est hyacinthos habere, & Venetijs frustula à gemmarijs uili pretio emere. Gemma est hyacinthus, in qua fulgor uiolaceus dilutus est, Plinio teste. Tria genera inueniuntur, ut etiã Serapio 398. capite fatetur, & Albertus libro de lapidibus, & re uera ita est. Aliqui sunt citrini inquiũt, id est, Hyacinthus.

colore citri, alij coloris antimonij, id est, in cœruleum, & cœli colorem inclinant: unde apud poëtas cœlum hyacinthino colore aspersum reperitur, & nonnulli ex hyacintho factum arbitrantur: alij rubri sunt, id est, fulgore rubro splendentes, cæteris ad rem medicam aptiores. Tu potius omittas, quàm uitra sumere, ut multi faciunt. Apud nos ruborẽ habentes frequẽtiores sunt. A Gallis iacintes,

Rubinus. ab Hispanis iacinta uocantur. SEN. Rubini sequuntur. BRA. Eundem lapidem (ut diximus) aut idem uitrũ pro rubino, id est, carbunculo & hyacintho plures accipiũt, imò omnes pharmacopolæ tam Ferrarienses, quàm Veneti. Huius etiam carbũculi Venetijs micas à gemmarijs nõ magno pretio emes. Plinium lege capite 7. libri 73. si de

Anthrax. carbunculo plura uidere animo sit. Anthrax altero nomine dicitur, nosq; non sine ratione rubinũ à rubore appellamus: nihil patitur ab igne. Autores duodecim species enumerant. Multi sunt qui rubino à nobis de rocha uocato utantur, qui minus ægrè agunt, quum in carbunculorum genere sit rubinus de rocha à nobis dictus. Hispani, Galli, & Germani una tantum litera differunt in hoc nomine: nam primi rubi, alij rubis: Germani rubin, ut nos fe-

Granata. rè, appellant. SEN. Granatæ sequuntur. BRA. In hac re pharmacopolas pudere deberet, qui pro granatis uitra seruent, & uendant, quum copiosè, & uili pretio granatæ habeantur, & de eo magis mirandum, cur pro carbunculis granatas non sumant, quæ in eodem genere continentur. Tres species habent granatæ, aut tribus distinguuntur. Vna species est, quæ ruborem in modum floris mali granati habet, propterea granata nuncupatur, &

inde

inde nomen à nostris uulgaribus accepit. Antiquum nomen non est, quia antiqui carbunculũ uocant. Altera species est, quæ ruborem habet, sed in hyacinthi colorem inclinatum. Tertia species rubra est, in uiolæ colorem tendens: hanc cæteris perfectiorem arbitrantur, & rubinum de rocha uocant: apud nos in uilissimo pretio sunt. Ideo ueris granatis carere non debes: & si rubini desint, pro ipsis, granatis utaris. Grenas à Gallis, ab Hispanis granada nuncupatur. SEN. Sardinus sequitur. BRA. Quẽ colorem habet? SEN. Album, nigro, rubro, aut nubilo commixtum. BRA. Ergo sardonix proferre oportebat, à loco in quo potissimum nascitur appellatus: de quo Plinius lib. 37. capite 6. agit. Antiquitus in summo honore erat, ueluti unguis est, sub quo rubor, aut nigredo uideatur, ut duo lapides appareant: propterea Albertus Onychem & Sardum simul esse putauit, quod ante ipsum diu Plinius animaduerterat, inquiens habere candorẽ in Sarda. In hoc etiam lapide idem quod in alijs usu uenit, uitro quodam utimini rubro colore supposito. Idem in hoc agerem quod in alijs, uel hos lapides à mea officina abigerem, tum quia rarus est eorum usus, tum quia proprietates, quas illis uniuersim tribuunt autores, uanas esse arbitror, in aliquibus saltem: de qua re suo loco disseremus. Tu interim alias gemmas enumera. SEN. Nullas alias habemus, quibus utamur. HERB. Offa cocta est, & omnia in promptu sunt, instat prandendi hora. BRA. Et nos pretiosa fragmenta (ut dicunt) exegimus. SEN. De manibus lymphas. HER. Ex hoc riuulo sinistrorsum scaturiente laua. BRA. Imò ex hoc fonte

Sardonix.

potius, qui rusticorum opera per lignũ descendit, quo uice gutturnij fungemur. SEN. Vrit adhuc offa. HER. Inspira uehementer, ut frigescat, & minutim incide. BRA. Prandium hoc omnes regum dapes exuperat, quoniam ingenti fame comedimus. HERB. Diui Bernardi intinctum (ut aiunt) ore gero. SEN. Quid est diui Bernardi intinctus? HER. Fames. BRA. Intinctu profectò non egent ad irritandã famem, qui famescunt. SEN. Iam hora est ad alia animum uertere, ut omnibus peractis in patriam regredi liceat. BRA. Quid impedit schedam sumere, & quæ sequuntur prosequi? HER. Sine parũ, ut cibus uentriculo aptetur. SEN. Satis accomodatus est. Varia terræ genera consequuntur, quibus in officina utimur. BRA. A prima terra initium sume.

TERRARVM GENERA SECUNDUM recentes, quorum apud pharmacopolas usus est.

SENEX.

Sulphur. SVLPHVR primas partes in nostro inordinato ordine seruat. BRA. De hoc, ut Dioscorides & Galenus, agendũ erat, ubi de mineralibus sermo factus est: à Græcis θεῖον dicitur. In duas species Dioscorides separat: in uiuũ, & in eũ, qui expertus sit ignem. Plinius cap. 15. libri 35. in quatuor species dissecat, sed quæ sub duabus Dioscoridis cõtineantur. Viuum,

apyron

apyron dicitur, id est, ignis non expertum, ut Cornelius Celsus capite 18. quinti libri docet, & Plinius præcitato loco, quem (si lubet) legas, per distincta nomina has species appellantem, & per loca in quibus nascantur, assignat. Notissima res est. Illud tantum addam, in medicinæ usu potissimum esse uiuum, id est, quod ex uena sua sine aliqua coctura sumitur: tamen uos pharmacopolæ hoc non sumitis, sed id quod ignem expertum sit. De Hermolao miror, qui dixerit, tam firmam confusionem partium habere, ut eius oleum arte nulla separari possit in rebus cæteris, quum tamen constet apud nos fieri. Cura igitur ut uiuum sulphur habeas: in omni minera inueniri potest. Philosophi compositionem metallorum ingredi ueluti formam quandam putant, argentum uiuum ueluti materia, in auri & æris compositionem actu ingreditur in argenti & stanni, ac plumbi potentia. De eius caliditate disputandum esset, quo gradu intelligatur. Galenus calidum quidem dicit, sed gradum prætermisit. Auicēna, & Arabes, quos recentes imitantur, in 4. gradu calidū, & siccum faciunt, re uera aberrantes, quum uenena sint, quæ quarto gradu calida existimantur. Nos tamen Sulphur quotidie propinandum exhibemus. Dioscorides in ouo suspiriosis tribuit, quantitate cochlearis, quæ duos homines interficeret, si in quarto gradu calidum esset, in ouo etiam sorbili fellis suffusiones habenti exhibet: & Plinius per os sulphur deglutiendum tradit: nosq; in ouo sorbili quotidie scabiosis damus, & sanantur, quam ob rem in tertio gradu calidum tantum iudicamus. Nec refert quod ardeat, quoniam alia tertio, imò secundo gra-

du calida facillime ignem admittunt. Viuum probatur, splendens, lucidum, nec calculosum. Quod uero non est ui uum, uiride, & pinguissimum esse debet. Hæc de re tam nota sufficiunt. Venetijs emere poteris, aut eos expecta- to, qui in Teloneum portant Ferrariam, ut uendant. A Gallis soufre, à Germanis schwebel, à Lusitanis enxufre nuncupatur. SEN. Asphaltum sequitur. ERA. De

Asphaltus. Asphalto, id est, bitumine tractaturus nescio an alijs con sentaneus ero, uera tamen referam. Græci asphalton di- cunt, Latini bitumen generali uocabulo, omnem materiã crassam, lentam, quæ sponte, uel ex montibus, & lapidi- bus, uel ex terra scaturit, uel in lacum, uel terram ipsam descendat. In densum, & molle diuiditur: in uarijs mundi partibus nascitur. Et ut inquit Plinius capite 15. libri 35. alibi limus est, alibi terra. Nos uero ita separemus, asphaltus aliquo loco liquidus est, aliquo ut limus, ali- quo ut terra, aliquo ut cera. Vt terra nascitur in Cœle Syria, id est, caua Syria, circa Syndonem oppidũ mariti- mum, ut Plinius inquit. Limus à lacu Iudææ emergit: & ideo Galenus primo eius meminit, quod in Apollonia Epiri urbe fit, sub quo etiam Iudaicum intelligit. Postea id quod est in caua Syria tractat: hoc autẽ in mari mor- tuo nasci inquit: Mare autem mortuum nuncupatur la- cus ille. Mare ob salsedinem, mortuum ob minimum mo- tum. Qui nuper terram sanctã descripsere, Iudææ lacum & Cœle Syriæ idem faciunt. Strabo libro 16. suæ Geo- graphiæ, Sirbonis lacum uocat, ambitu mille stadiorum, longitudine ducentorum stadiorũ. Hoc loco nostri Theo logi Sodomam & cæteras urbes ob nefandum illud So-

domiæ

domiæ uitium ſubmerſas eſſe tradunt, & eum lacum in earum urbium locis ſitum eſſe. Nonnulli deinde fabulantur bitumen illud è lacu uirorum ſemen eſſe, propterea adeò glutinoſum eſt, ut non poßit abſque mulieris menſtruo ſeiungi, cuius oppoſitum experientia oſtendit: ſed hoc prius animaduertit Solinus capite 3. ſui libri de Mirabilibus Mundi. Idem Strabo 16. libro, ubi tredecim urbes eo loco ſitas olim oſtendit, quarum Metropolis Sodoma nuncuparetur: additq; omnes in eum lacum eſſe cõſumptas præter Sodomam, & ſpatium ſexaginta ſtadiorum. Ipſe uero ut Philoſophus, cauſam non in Deum qui de probris illorum ulciſci uoluerit, ſed inquit ex terræ motibus, & ignis afflatu, & aquis calidis, & bituminoſis ac ſulphureis lacum erupiſſe. Eratoſthenes uero ſentit, quum ea regio ſtagnis abundet, ex excreſcentia urbes illas exundaſſe. Volunt autem bitumen eſſe terræ glebam liquefactam, poſtea ui aquæ induratam. Poſidonius, qui in hoc fabuloſus autor eſt, illius regionis homines Magos eſſe cenſet, qui incantationes faciunt, lotiũ & fœtida inſpergentes, ex quibus bitumen fit: quod autem uanè ſentiat, ex hoc liquet, quia perpetuò non duraret, niſi ſponte ſcaturiret, uel ex montibus deſcenderet. In Iudæa Aſphaltites lacus uocatur, in quem Iordanis influit: eſt autem liquidum bitumen in Sicilia, & in agro Mutinenſi, in Italia, & in Regno Neapolitano quodam loco qui dicitur Il tocho. Tui pharmacopolæ pro aſphalto, id eſt, bitumine Iudaico, quod cæteras præcellit Dioſcoride teſte, quandoque pice ſicca utuntur. Alij uocatum ab ipſis petroleum denſatum aut ui ignis, aut ſponte

habent: quum tamen & hoc in genere bituminis cẽsendum sit, tamen non est asphaltum Iudaicũ. SEN. Quid est ergo Iudaicum asphaltum? BRA. Tibi uno uerbo quid sentiam enarrare decreui. Quod uos Mumiam nuncupatis, asphaltum Iudaicum esse certus sum. SE. Quomodo hoc probas, quia exiccati Mauritani nostra mumia sunt. BRA. Dicas potius Syriaci, quàm Mauritani: sed hoc nihil ad rem, mumia non est Maurus exiccatus, uel Syriacus, sed compositio quædam, ex myrrha, aloë, croco, balsamo, & alijs huius generis pluribus uel paucioribus cum humana pinguedine. Ita sentiunt Arabes, & ita uerè est: nam Syriaci (Hebræorum adhuc morem seruantes) suos mortuos uelant, & re aliqua conseruante implent, ut pretiosiora, & uiliora emere possint. Ditissimi, aloë, myrrha, croco, & balsamo implentur. Minus diuites balsamum relinquunt: quãuis nostro cõmuni sermone eam compositionẽ balsamũ adpellemus: & ita agere, imbalsamare uulgò dicimus. Pauperes autẽ asphalto implentur, quod non solũ mores earum partiũ scribentes aduertunt, sed & qui illuc singulis annis nauigãt Veneti. Imò & Strabo 16. lib. ubi de bitumine & Sodoma tractat, inquit, bitumine illo ad mortuorum condituras Aegyptij utũtur: quũ autem ad nos affertur mumia, integri homines bitumine pleni afferuntur, & præsertim Iudaico, & Babylonico. SEN. Ergo nostra mumia est bitumen Iudaicũ, uel asphaltũ? BRA. Mumia nomẽ Arabũ est, quod omnem mortuorũ condituram cũ sua pinguedine significat. Diuites Syriæ, & mediocres propria habẽt sepulchra: quare pauperes solum habentur, qui ex more

Mumia.

regio

regionis bitumine pleni sunt. Decipiuntur qui aloë plenos existimarunt: nam si gustetur, nulla amaritudo sentitur, quam seruat aloë, & etiam myrrha, quæ compositiones illas ingreditur. Addè piscis odorem habere, quem odorem bitumen Iudaicum seruat, ut Auicenna inquit, & ueritas ita est. Si enim mumiam nostram masticaueris, picis odorem senties, quod in asphalto persentiri Auicenna tradit. Quum igitur asphalto uti contingat, mumiam sume, id est, liquorem in corporibus mortuorum inuentum: nam asphalto, id est, bitumine pleni sunt apud Syros defuncti. SEN. Quando mumia uti uoluero, hoc'ne utar? BRA. Si ex mortuis aloë, myrrha, croco, & balsamo plenis habere posses, proatißimum esset: quũ uero hi haberi nequeãt, hoc bitumine pro mumia utaris. Tellas autem illas & oßium frusta & carnem exiccatã abijcito, et eũ liquorẽ tantũ habeto, qui in aliquã cauitatẽ collectus sit. SEN. Est'ne hoc, quod Arabes mumiã uocãt? BRA. Est. SEN. Reperitur'ne apud Græcos mumia? BRA. Reperitur. Nam etsi Serapio mumiam dixerit myrrhã & aloën esse, & quod admiscetur illi ex corporibus mortuorum, etiam compositio ipsa mumia uocatur: imò non una sola compositio mumia est, sed plures: intelligo autem compositionem antequam corpus ingressa sit, quod ex hoc colligitur, quia Serapio ubi de mumia scribit capite 293. Dioscoridem adducit, ac si ipse de mumia, id est, cõpositione loquatur: locus uero citatus primo libro est ubi de pissasphalto, id est, picibitumine tractat. Est autem Pissasphaltum duplex, arte factum, ut si quis picem & bitumen simul iungat: aliud naturale. Pissasphaltum.

Quod uerò Serapio Dioscoridem in pissasphalto adducat, eius uerba ostendunt. Inquit enim ex Dioscoridis sententia, Est in terris quæ dicũtur Acoloniæ: ubi codex errore interpretis corruptus est. Legi enim debet, Est in terra quæ dicitur Apollonia. subsequitur: descẽdit ex montibus qui dicũtur fulmina. Ingens error interpretis ostenditur, nam illi montes, à quibus in Epiro descendit, Ceraunij appellantur: κεραυνὸς uero Græcè fulmen dicitur: ideo interpres qui nomen montium ignorabat, fulmina dixit quum legendum esset, Ceraunij montes: unde Dioscorides fluminum impetu ex ceraunijs montibus descendere testatur. Mox sequitur in Serapione: & eijcit eã aqua fluminis in ripis. Ita Dioscorides: fluminum impetu delatum in littora eructatur. Deinde in Serapione sequitur, Et est coagulata, & fit sicut cera. Dioscorides loco ceræ dicit βωλοειδῶς, id est, glebarum modo: sed & bitumina aliqua ceræ formam habent: in Pannonia bitumen est, quo funalia parant, & mirum in modum ardet. Sequitur, & habet odorẽ picis mixtæ cum asphalto: quod Dioscorides inquit odore picis bitumini mixtæ. Denique Serapio addit quæ à Dioscoride nõ dicuntur, fortè in suo erant: Cum aliquo fœtore, & uirtus eius est sicut uirtus picis & asphalti mixtorum. Vt hinc colligere possis mumiam non solum esse compositionem illam, cum aliqua mortuorum parte, sed compositionem per se solam, quæ naturalis est in Apollonia Epiri. Artificio autem fit, pice & asphalto mixtis, aut alijs etiam: nam aliqui in mortuorum condituris solo asphalto non utuntur, sed picem addunt: alij myrrham, aloën, crocum. Alij usq; ad opobal

samum

ſamum ueniũt. Tu igitur pro aſphalto mumiã ſume, quæ ex Aegypto affertur nunc, & quam tu habes, & cæteri pharmacopolæ Venetijs: ſed eam ſume, quæ in aliqua ca uitate collecta ſit. Idem igitur erit mumia Serapionis (eam intelligo, quæ mortuorum cadauera nondum in= greſſa, & hoc in una ſpecie & generaliori mumiæ) & piſſaſphaltum Dioſcoridis: quod etiam ex Auicenna col ligi poteſt, dicente mumiã eſſe in uirtute picis, & aſphal ti commixtorum, & naturis utrorumq;. Ideo non ſunt adeò temere reprehendendi Arabes, ſed ab ijs quandoq; diſcendũ, quãdo opus ſit. Nullus enim ex Græcis aſphal= ti odorẽ tradidit: quippe Dioſcorides εὔτονος τῇ ὀσμῇ dicit, Marcellus interpretatur firmo odore, Hermolaus odoris contenti: ſed Auicenna odorem picis habere quum maſticatur, inquit: quod uerum eſſe, quiſque qui experia tur, ſtatim primo guſtu noſcet. SEN. Quid eſt id de quo Dioſcorides inquit, ubi de piſſaſphalto tractat, gi= gni in Sicilia agro Agrigentinorum liquidum bitumen fontibus ſupernatans, quo incolæ ad lucernarum lumina uice olei utuntur, Siculum oleum falsò appellantes, ſiqui= dem liquidi bituminis genus? BRA. Quid ſit hoc petis? Si aliquid perſoluis edocebo. SEN. Quicquid lubet ſo luturus ſum. BRA. Et ego gratis elargiri uolo: quod uos petroleum uocatis, fœtens adeò ut promeruerit ſter= cus diaboli nuncupari, & ab Hiſpanis azeite de mincra uocatur, partim ex Sicilia agro illo Agrigentino, partim ex Liguria, partim ex loco in Neapolitano agro, ubi uul gò dicitur Il tocho, & potißimum ex hoc loco ad nos affertur: hoc eſt quod Dioſcorides in fine piſſaſphalti Petroleum.

edocuit. Quod ex Sicilia portatur, non adeò nigrum est, & minus fœtet. SEN. Hoc frequenter obseruaui, aliquod petroleum minus alio fœtere. BRA. Hoc ex Sicilia affertur. SEN. Petroleum dicitur quoniam ex petra ortum ducit, sed istud fontibus innatat, de quo Dioscorides: quomodo igitur Petroleum, id est, ex petra oleum erit? BRA. Ne dubites, quoniam ex petris & montibus in fontes eliquatur, & per aquæ impetum trahitur. In aliquibus locis ex saxo ipso eruitur. SEN. Quæres ea est, qua nos pro asphalto utimur? BRA. Petroleum est, id est, bitumen liquidum, igne, aut senio induratum: sed errorem alterum priore maiorem detegam, petroleũ induratum, asphaltum, id est, bitumen est, non tamen Iudaicum. Aliqui autem pharmacopolæ eo pro pice dura utuntur, id est, rem naturalem accipiunt pro re arte facta. SEN. Hoc equidem est, de quo frequentissime admiratus sum asphaltum nostrum, quo scilicet utimur, pro uero Iudaico, petrolei odorem habere. Admiratio nunc cessat, quia eius odorem habet, cuius est. Dic autẽ, non ne multis locis petroleum nascitur? BRA. Omne ueluti oleum è petris fluens petroleum, quasi petræ oleum dicitur: unde id oleum, quod apud nos Oleum montis zilij, aut oleum saxi, quod in Mutinensi agro scaturit, petroleum dici potest & debet. A Dioscoride naphtha & bitumen, uel asphaltum liquidum nuncupatur: ad se ignes mirè trahit. Autores fabulantur pauca aqua non extingui, propterea bitumen liquidum & naphtha erit oleum montis zilij dictum, & petroleum, de quo Plinius libro secundo, capite 108. nec mirum quod in fontes Siculum petroleum

Oleum montis zilii.

troleum colligatur, quoniam prima origo è saxis est, quemadmodum omne bitumen è saxis oritur: nam à subterraneis partibus, aut ex mõtibus defluit. SEN. Quid est quod ab Auicenna scribitur nigrum petroleum esse picis Babylonicæ colamentum? BRA. Codex peruersus est, quippe legi debet, nigrum petroleum esse colamentum non picis, sed bituminis Babylonici. Interpres fuit, qui loco bituminis picem uertit: nam bitumen circa Babylorem induratur: apud Auicennam quod eliquatur petroleũ erit. SEN. Ab his dissentire non possum. BRA. Hæc uarijs locis emenda, Siciliæ, aut Venetijs bitumen liquidum, quod petroleum uocatur. Lygusticum Genuæ. Asphaltum ex Iudæa portari feceris, aut ex cadauerum cauis sume, si purum habere non contingat: de quo tamen miror, quum singulis annis Veneti in Iudæam nauigent. Idemq; sit tibi mumia, cuius non est usus nisi apud Arabes, eius præsertim quæ cadauerum pinguedinem simul habet: uel si opus sit mumia à Dioscoride secundum Serapionẽ descripta uti, quæ est pissasphaltum ipsius, ex pice & bitumine præpara. Germani aliqui petroleum denfels dreck, id est, diaboli merdam uocant. Alij hoc nomen assæ fœtidæ attribuunt, alij asphalto. SEN. Alumen sequitur. BRA. Quod alumen? nam multa aluminis genera existunt. SEN. Omne genus quo utimur intelligo. BRA. Ea numera, quibus utimini. SEN. Alumen rochæ, alumen zucharinum, alumen plumæ, alumen scaiolæ. BRA. Mihi uisus es quatuor genera enumerasse. SEN. Ita est. BRA. Forsan in his montibus aliquod genus inuenies. SEN. Experiar, modo tu edo-

Alumen.

cere tentes. BRA. Nihil aliud est alumen, ut Plinius libro trigesimosexto, capite decimoquinto censet, quàm salsugo terræ, est enim ueluti terræ exudãtis natura, hyeme corriuatum, æstiuis solibus maturatur, ex aqua & lino fit. Pluribus locis nascitur, ut præcitato Plinij libro habetur, & à Dioscoride quinto libro. Nos ex Germanis fodinis accipimus: quippe ubi fodinæ sunt, ibi alumen, aut prope reperitur. Verùm apud antiquos aluminum genera inuenire oportet, quæ uos diuersis nominibus appellatis. Marcellus putauit Dioscoridem tria tantum aluminis genera nouisse, quoniam inquit ab alijs Græcis plura alia genera edoceri quàm à Dioscoride scripta sunt: Galenus enim tria genera edocuit. Sed non animaduertit uir ille, multa genera esse Dioscoridem fateri, sed tãtum tria in usum medicum uenire. Hæc autem aliàs. Tu species tuas singulatim enumera, ut eas particulatim edocere Alumen catinę possim. SEN. Alumen catinæ. BRA. Fictitiũ est hoc alumen, & non sponte nascens, quo uitrum purgatur, & purius efficitur, ex catino in quo fit, quod est genus uasis, catinæ alumen dicitur: uel cathinum dicitur quasi catharon, quia purum reddat uitrum. SEN. Quomodo fiat enarra. BRA. Herba est, quã Arabes cali uocant, in littoribus maris sponte nascẽs, & ab aliquibus gẽtibus seminatur, ut in Gallia fit: ad nos enim ex Nursia, & Gallia alumen catinum defertur: herbam cali exiccatam accipiunt, & comburunt, postea ex illo cinere lixiuium fit: quod si aut ui ignis aut solis induruerit, quum subtiliores partes exhalarint, id Sal Alcali appellatur: cinis uero Sal Alcali. ille induratus, alumen catinum dicitur: fortè catinum dictum quasi

ctum quasi ex cali factum, quandoque & sal & cinis mixta sunt. SEN. Quæ herba est apud Græcos ea, quam Cali Arabes uocant? BRA. Apud Serapionem capite 257. usnem species dicitur: nam & usnem & cali similes sunt. Quippe Cali formam usneæ habet, sed folia in cali longiora sunt, aizoi minoris, id est, à nobis uocati digitelli, similia. Leonicenus in libro de morbo Gallico, cali apud antiquos telephion esse putauit. Triplex autem telephion apud Dioscoridem inuenitur. Vnum, secundo libro, sub nomine andrachnis syluestris. Aliud, in fine secundi libri, sub nomine telephij. Tertium, quarto libro, sub nomine aizoi leptophyllon: quanquam hoc tertium cum primo idem sit. Si uero hæc tria telephij genera considerentur, nullam similitudinem cum usne uel cali habere deprehendes: nam in omni telephio Dioscorides portulacæ folia habere tradit. Cõstat autem cali uel usne longe diuersa habere, q̃ portulaca folia. Nos quandoq; suspicati sumus genus anthyllis esse, quod Ibiget uocatur: nã folia ferè similia ibigæ, id est, à nobis uocatæ iuæ, habet, sed adhuc incerti sumus. SEN. Serapio usneæ muscum esse censere uidetur: imò Dioscoridem ubi de muscо tractat adducit. BRA. Nescis uocabula recte distingue re, quæ & si barbara sint, tamen nota aliqua inuicem separantur, quia usneæ est bryon, id est, muscus, sed usnem est herba cali: quicquid ergo sit, alumen catinum factitiũ est, ex herba cali, quæ usnem species est, quam nos frequẽtissime Comacli uidimus circa salsarum aquarum riuos. Mirorq; nostros uitrearios alumẽ catinum aliunde quærere, quum prope fieri possit, & eadem ratione sal alcali, Cali.

quo & frequẽter Chymistæ utuntur, salem & impensam perdentes. Optimum smegma, quod sapo nuncupatur, fieri potest, ad pannos nitidos reddendos optimum. Imò ut Serapio inquit, herba est, qua panni lauantur: est enim multum abstergens, utpote qua mulieres ad fucandas fa-

Alumen zucharinum.

cies utantur. SEN. Alumen zucharinũ sequitur. BRA. Vos hoc alumen facitis, & ipsi nomina imposuistis, sed factitium est, ex alumine liquido, aqua rosacea, & albumine oui. Massas quasdam turbinatas in modum globorum sacchari fingitis, ex cuius forma zucharinum alumẽ nuncupatur: tamen nec saccharo inest illa forma, quam habet à natura, sed ab arte datur: habet etiam miram albedinem, ut exquisitum saccharum, quod uulgò finum uocamus, uideatur. Mulieres, ad dealbandas & abstergen-

Alumẽ plumę.

das facies eo utuntur. SEN. Alumen plumæ sequitur. BRA. Prædicta duo aluminis genera, ab antiquis nõ tractantur, nec à longe ostenduntur: hoc autem quod nuper

Alumẽ scissile.

enumerasti à Plinio & Dioscoride alumen scißile uocatur, à Græcis schiston, & trichitin, quoniam in capillamenta diuiditur. Hoc genus ab omnibus, præsertim Dioscoride, cæteris præfertur: ex lapide etiam fit, propterea dicitur chalcitis: unde (ut Plinius inquit) est sudor quidã eius lapidis in spumam coagulati, quanto minus commixtos lapides habet, tãto exquisitius putatur. Pruritũ maxime causat, si inter humeros alicuius imponatur. Nonnullæ mulieres eo sibi fricant genas ut rubescant, qui rubor ad tertiũ usq; diẽ perdurat, adeò intensus, ut ignem in genis habere uideantur, imò ipsi pulchrum nomen inuenere mulieres ex natura rei, fortè magis aptum quàm

Latinum

Latinum & Græcum, florem lapidis appellantes: nam proprie quidã canus flos ex lapide exiens uidetur. Adde nos perfectionem rei, florem appellare. Nec nomen quo utimini uos, ineptum est, alumen plumæ, quia si frangatur, capillamenta illa ueluti pluma esse uidentur: propterea ab antiquis alumen schiston dicitur, sciſsile, trichitis, chalcitis: sed duo potiſsimum nomina in usu sunt, schiston, & sciſsile. Sũt qui alumen sciſsile pro lapide amiantho sumant, quum non sit, tamen & hoc alumen inflammatur quidem, & non uritur, sed paulatim consumitur, quod non facit amianthus lapis. In maioribus fruſtulis lapidis amianthi uenæ quædam sunt in modũ ligni, ut multi lignum esse putarint: imò adeò res incaluit, ut plures pro ligno Crucis, supra quam Saluator noster infixus fuit, accipiant, ducti hoc experimento, quia non uritur, ac si necessarium sit, lignum ex quo Crux facta est, nõ uri. Nobis fruſtulum à quibusdam Religioſis magna ueneratione datum est, pro ligno crucis, sed eos admonentes lapidem esse ostendimus, non lignum, cuius natura sit inflammari quidem, sed non uri. Eos quoq; Christiana charitate exorauimus, ne deinceps quenquam fallerent, suadentes lignum crucis non esse, quum sit lapis. Illi uero ut probi rem agnoscentes paruere. A Gallis Alun de plume nuncupatur. Arabes alumen iamenum appellare uidentur. Pandectarius sciptereum uocat, in nomine deceptus, nam stypteria dicendum erat, quia ita Græci appellant στυπτηρία ex stipticitate sua. Errat præterea, quia id uocabulum est uocabulum generis, ipse autẽ pro una specie tantum utitur. SENEX. Alumen rochæ sequitur. Alumen rochę.

BRA. Hoc & liparinum nũcupatur, ex Lipara, qua cõuehitur, sed recẽti nomine potius quàm antiquo: nam & si ex Lipara Dioscorides & Plinius haberi censeant, tamen laparinum dici non aduertunt. Apud ipsos alumen liquidum est. SEN. Igitur alumen rochæ, liquidum alumen appellare oportet? BRA. Equidem: nam quum defoditur, liquidum est, postea durescit: huius rei experimentum sumere poteris, si igni admoueas, statim liquescit. Si frustum aluminis rochæ tuæ lucernæ admoueris, statim ebullire & dissolui uidebis: quare alumen rochæ à loco, in quo nascitur, ita uocatum, ab antiquis alumen liquidum dicitur, quamuis & integrũ reperiatur. A Gallis alun de roche nuncupatur. Germani nomen commune omnibus aluminibus habent Alaun. SEN. Alumẽ scaiolæ sequitur. BRA. Hæc tria, alumen schistum, de pluma, & scaiolæ, à Pandectario idem esse existimantur, quod res ipsa falsum ostendit: nam quod scaiolæ alumen dicimus, lucens sicuti uitrum, in capillamenta non dissoluitur, sed ex gypsi minera defoditur, imò in gypsi maßis, quæ Ferrariam portantur alumen hoc pellucet, est enim gypsi exquisitißima pars: unde & ab antiquis flos gypsi appellari uidetur. Fortè genus illud gypsi est, quod à Galeno 9. de Simplicium medicamentorum facultatibus libro, Plinthitis uocatur, hoc est latercularium, ex similitudine quam habet, quæ nisi satisfecerint, perfectiorem partem crudi gypsi esse iudicato. SEN. In gypso inueniri certum est, & ego frequenter ex gypso, alumen scaiolæ collegi: tamen unum aliud genus apud Dioscoridem & Plinium inuenio, quod ipsi alumen rotundum uocant, quid

Alumen scaiolæ.

Alumen quid.

quid autem sit ignoro. BRA. Pandectarius alumen zucharinum esse arbitratur magno errore, quia zucharinum artificiale est. At ipsi nominibus utantur, ut lubet, & hoc rotundum zucharinum uocent, hoc nihil ad nos, modò id noscamus alumen rotundum non esse apud nos frequens, formam rotundam habent, qualem multi calculi qui in montibus reperiuntur. Nonnunquam alumen rotundum inter figulorum lapides uidimus, quibus ustis, & plumbo mixtis uitrum paterarum & lancium parãt. Hoc etiam genus rotundum, astragaliotem à Galeno uocatum, id est, talare comprehendit. Hæc de Aluminum generibus dicta supersint. SEN. Arsenicum sequitur. Arsenicum.

BRA. Græci auripigmẽtum arsenicum uocant, ut in metallis dictum est: sed uos arsenicum appellatis, album, quod per uim ignis factum, & in laminas Venetijs arte concretum, ab aliquibus falsò existimatur, qui arsenicum etiam in laminas redactum, sed breui coctura & arte, risagalo à nobis dictum, ab Arabibus arsinagal putarũt magno errore, quũ hæc ex minera effodiantur, & sponte nascantur, sed de his plura dicta sunt à nobis. SEN. Vitriolum sequitur. Vitriolum.

BRA. Duplex uitriolum apud pharmacopolas inuenitur, Romanum & absolutè uitriolum appellatum: ita nuncupatum arbitror, quia uitro assimilatur. Apud recentes magnæ sunt nominum ambages, & plura confundunt: uitriolum à nobis dictum corrupto uocabulo colchotar uocant, quum potius dicendum esset chalcanthum: hoc usu uenit in omnibus ferè rebus, ut nomina corrumpant, postea errores multi sequantur, ex nominum insciti. Constat apud Dioscoridem, Pli-

nium libro 34.cap.12.& Galenum 9.de Simplicium medicamentorum facultatibus libro, chalcanthum appellari,& corrupto uocabulo à recentibus colcothar,non tamen ab Arabibus:ex eo oleum fit adeò urens,ut pro igne potentiali utamur:est enim causticæ naturæ,& cum pauco dolore incidit membra,si ex olea cultro inuncto tangantur.Dum oleum paratur,fumũ cauere oportet,quoniam non solum hominem interficit,sed & uicinas arbores exiccare cogit.Cuius experimentum nouit Franciscus de Monte,fractorum ossium,& dislocatorum reparator egregius, cui omnes arbores uiridarij præ uitrioli fumo periere, dum eius oleum pararet. Nunc ad autores redeuntes,Pandectarius, id quod à Serapione Zeg dicitur, uitriolum esse putauit, & Serapionis interpres Zeg, id est,uitriolum exposuit,quos recentes omnes ferè sequuntur.Tamen re uera ita non esse constabit:nam quod nos uitriolum,ab antiquis autoribus chalcanthum, & à Latinis atramentum sutorium appellatur, quia ad pelles denigrandas & aptandas uitriolo utuntur,quibus postea
Zeg. sutores operantur:quod autem à Serapione zeg dicitur, non est chalcanthum,sed antiquorum misy, hoc luce clarius deprehendes,si antiquos Serapioni conferamus:nam Serapio Galenum adducit in hunc modum de zeg loquẽtem: Vidimus in mineris uenas tres extensas,unam supra aliam per longum spatium,& una inferior erat zeg rubrum,& secunda,quæ erat super eam colchotar,& tertia superior erat zeg uiride:& hoc est quod zeg rubrum conuertitur, & fit colchotar, & colchotar fit zeg uiride:si modò Galenum 9. de Simplicium medica-

mento

mentorum facultatibus legamus, manifeste deprehendes misy, de quo tractat, id esse quod à Serapione zeg nuncupatur. Inquit enim (quum ingressus esset minerarum loca) quasdam conspexi in longissimum porrectas ueluti zonas alias super alias, numero tres: infima erat ipsius soreos, supra quam erat altera chalciteos, suprema misyos. Mox Galenus historiam quandam interponit, & omnia scribit, quæ à Serapione referuntur, de crassitie, subtilitate, & eius uiribus: ut hinc colligas zeg rubrum Serapionis, antiquorum Sorij, Colchotar Serapionis, antiquorum Chalcitin, & zeg uiride Serapionis, antiquorum Misy esse. Viride autem intelligere oportet, ut uulgò dicimus uiride clarum: Latinè flauum, aut aureum dicendum: quia Serapionis interpres Latinam linguã ignorabat. Ideo uiride pro flauo aut aureo interpretatus est. SEN. Habemus'ne hoc misy, quod sexcenties audiui, nũquam noscere datum est? BRA. Imò maxime habetis: quod enim uos uitriolum Romanum appellatis, antiquorum misy est: nam auri speciem habet, & durum est, & quum friatur, aureas scintillas mittit, & stellarum modo splendet: en Romanum uestrum uitriolum omnes has notas habet. SEN. Frequenter expertus sum. BRA. Cõstat igitur recentes aberrare, ut Herculanus in capite de Sebel, & Nicolaus, colchotar uitriolum esse contendentes. Nam ut ex Serapione ostensum est, colchotar est Galeni chalcitis, Dioscoridis, & Plinij, quæ in album colorem, at uitriolum Romanum in aureum uergit. Vnde uides summè aberrare recentes, ipsarum rerum ignaros, & per aliorum scripta perperàm intellecta loquẽtes. Quã

ob rem antiquorum misy, est uitriolum Romanum, uel flauum. Ad rem igitur primam redeuntes, quod zeg Serapionis misy antiquorum sit, eum lege, qui Dioscoridem adducit dicentem: Zeg aliud Babylonicum, aliud Cyprense: ubi certa fide cognoscitur eum adducere in capite misy, ita in Cyprium & Aegyptium distinguentem. Pro Serapionis recto intellectu, scito Dioscoridis codicem, quem habebat Serapio, hæc uerba adiuncta habere, quibus in Babylonicum & Cyprium distinguit: tamen in fine capitis, Dioscorides Babylonici meminit, sed sub nomine Aegypti. Mos autem est Serapionis, quum Dioscorides aliquod Aegyptium nominat, in suam linguam Babylonicum uertere. In reliquis optime quadrant, ut in eo quod colorem aureum habet, quod lucet ueluti stella, quod eandem uim cum colchotar habet: sed addit Serapio in aliquibus codicibus legi calcadis, cuius loco scribēdum est chalcitis. Idem uero sunt colchotar & chalcitis apud Serapionem: sed apud uarias interpretationes diuersum erat nomen, res eadem. Nec mirum si ubi Dioscorides Aegyptium, Serapio Babylonicum dicat: quia Babylonia est primaria Aegypti urbs, omnia alia uiribus excedit Aegyptium, tamen in medicinis oculorum à Cyprio superatur. Ex his etiam constat multos recētes aberrare, qui chalcanthum colchotar uocant, & ferè omnes pharmacopolæ pro colchotar chalcāthum intelligunt, quum potius chalcitim intelligere debuissent. Nam colchotar, à chalciti, & non chalcantho perperàm deflectitur.

SEN. Dic obsecro, non ne & chalcanthum, chalcitis appellatur? BRA. Non, imò duo diuersa sunt, & ita recentes de

tes decipiuntur, inter quos Pandectarius, qui chalcitim, & chalcāthum confundit, & alia plura præter rationē. Tamen ut Galenus admonuit, chalcanthum post longum tempus chalcitis efficitur. SEN. Nos quotidie hoc deprehendimus, partem exteriorem chalcanthi, id est, uitrioli ex Germania allati dealbescere, & albedinem ad aliquam usque crassitudinem transire. BRA. Id est, chalcitis ex chalcantho facta. SEN. Quid intelligit Serapio per ea uerba, quod defertur ex Babylonia non est bonum ad faciendum absoricum? BRA. Corruptus est codex, legi debet, ut Dioscorides scriptum reliquit: Aegyptium quidem crematur, sed psoricum ex eo non conficitur: est enim psoricum medicamentum quoddam à Dioscoride libro quinto contra scabrities, & cutis asperitates descriptum: scabiem quoque mirifice sanat. Fit autem ex duabus chalcitis partibus, & una cadmiæ ex aceto temperatis, quæ in fictile posita soli ardentissimo per quadraginta dies fimo obruta permittuntur. Tu (si lubet) alios cōficiendi modos ex Dioscoride quinto libro, & Plinio lib. 34. cap. 12. discas. Vocabulum corruptum in Serapione manifestum est, ut psoricon, non absoricon legi oporteat. SEN. Serapio loquitur ne de nostro uocato uitriolo? aut aliquis alter Arabs? BRA. Et Serapio & Auicenna de nostro uitriolo loquuntur, quæ sigillatim à Dioscoride, & Galeno proposita sunt, & uno capite hæc complectuntur. Ne autē quicquam inexplicatū transigamus, Zeg apud Arabes idē significat quod apud recentes atramentum: nam apud antiquos ab atro colore dicitur: apud recentes uero præter nigrum, adest album,

Psoricum.

Zeg.

rubrum,& flauum atramentum.Ideo Auicẽnæ interpres pro zeg,absolute atramentum.Serapionis autẽ interpres pro zeg uitriolum interpretatus est:propterea necessarium erit his duobus uocabulis uitriolum & atramentũ, quæ uno nomine Arabico zeg dicuntur,hæc omnia significari.Misy,sory,chalcitim,chalcanthum, melanteriam, ut hæc duo nomina apud recentes in significato conuertantur uitriolum & atramentum,postea in species dissecantur:ideo idem sunt caput Serapionis de uitriolo in quo hæc omnia complectitur, licet in fine non uideatur chalcanthum sub zeg ponere, & caput atramenti Auicennæ,in quo ex defectu interpretis multi errores scatent,ut patet alteram interpretationem legenti:ea uero atramenta nuncupantur, quæ in aqua dissolui possunt: nam quæ lapidibus iuncta sunt aqua dissolui nequeunt. Sed ut normam habeas, qua Latina nomina Arabibus conferre poßis,in hunc ordinem tibi disponam:

Vitriolum, zeg,atramentum.Cõmunia nomina sunt.

Sory, zeg rubeum.

Chalcitis, colchotar. Errant recentes, qui colchotar appellant uitriolum ustum, quum potius Chalcitin appellare debuissent.

Misy, zeg uiride,uitriolũ Romanũ:sed etiam ex Germania magis durum,& colore magis flauo affertur.

Melanteria,bities,atramentum metallicum.

Chalcanthum, atramentum sutorium,uitriolum.

Nomina ita sibi respondent,ut hoc modo errare nõ possis.Si uitriolum uras,albũ efficitur, ut chalcitis esse uideatur:tamen si aqua dissoluas,in uitriolum reuertitur:imò si ex

si ex ætate chalcanthum, id est, uitriolum in chalcitim transeat, dissoluta chalcitis uitriolum efficitur: quod non animaduertit Galenus, quum ex chalcantho per tempus chalcitim fieri monuit: tamen animaduersione dignum erat, quia ex hoc facile excipitur chalcitis ex chalcantho facta, chalcitidis perfectionẽ non habere, alioqui per solam aquæ ablutionem non reuerteretur in chalcanthũ: unde arbitror potius chalcanthum ob senium glaucedinem suam amittere, & album uideri, quàm proprias uires perdere, & chalcanthi proprietates deserere: remittuntur potius, quia omnia tempore corrumpuntur: quam ob rem eo pro chalcitide non uterer, salua semper Galeni reuerentia, nisi aliquo loco essem, ubi deficeret chalcitis: nam in easdem uires ferè inclinant. Venetijs uitriolum emas & id quod Romanum appellatur, non quia Roma ad nos conuehatur, sed ex Cypro, est autem antiquorum Misy: quod autem ex Germania affertur, minime curarem. SEN. Sicut atramẽtum sutorium chalcanthum dicitur, non'ne adest & scriptoriũ? BRA. Adest quidem, & ab antiquis in usu erat, ex fuligine tedarum factum: temperaturq; in libram gummi, quadrante addito fuliginis: fit & de fuligine resinarum, & pictoria, huius pondo, gummi pondo semis, taurini glutinis denarius semis, atramenti sutorij tantundem. Hæc Dioscorides in ultimo quinti libri capite. Apud nos uaria sunt atramẽtorum scriptoriorum genera, id est, à diuersis pharmacopolis diuersa fiunt atramenta. Vnum est ualde commune, ex gallis, uitriolo, gummi, & uino. Quam compositionẽ nescio quis duobus carminibus perpulchre complexus

Atramentum scriptorium.

est, quæ si noscere uolueris, hæc sunt:

Vitrioli quarta, media sit uncia gummi.
Integra sit gallæ, superaddas octo phalerni.

Atramentum chalcographorum.

SEN. Non displicent hæc carmina. BRA. Fit & atramentum chalcographorum, ex picis fuligine, & oleo, cuius Dioscorides meminit: appellatq; pictorium atramentum, quamuis adhuc non sit octuagesimus annus, quod modus imprimendi literarum characteres inuentus est. SEN. Quomodo ostendere poteris atramentum scriptorum aliud esse à melanteria, uel atramento sutorio apud antiquos? BRA. Id facile demonstrari potest: quoniã Galenus nono de simpliciũ medicamentorum facultatibus, & Dioscorides, de atramẽto sutorio seorsum, & de melanteria, ab atramento scriptorio. Adde atramentum scriptorium compositionem quandam esse, non terram mineralem nigram, qua atramentum ad scribendum fiat. Hispani uitriolum coparosa: Galli couperosze: Germani kupfer VVasser, id est, aqua cupri uocant, & re uera condensatur: quod absoluto uocabulo uitriolum nos dicimus, & ab autoribus chalcanthum. SEN. Terra sigillata sequitur. BRA. In Lemno insula rubrica nascitur seorsum, & sigillata terra, quæ duo diuersa esse Leonicenus aduersus Plinium ostendit, qui capite sexto libri trigesimiquinti, terram sigillatam, & rubricam lemniam idem esse censuit, ubi & ipsam inter natiuos colores annumerat, sed excusandus erat Plinius, quoniam Galenus & ipse eã rubricã prius appellat. Quicquid tamen sit (quoniam hæc ad nostrum institutum nihil faciunt) constat non fieri eodem modo apud Galenum, ut Dioscorides

Terra sigillata.

scorides incolas loci facere arbitratus est: inquit enim per miscellam hircini sanguinis fieri, & signo capræ insigniri: sed Galenus qui illuc nauigauit data opera uisendi gratia, scribit, nec sanguine fieri, nec signo capræ, sed Dianæ insigniri: imò incolas loci derisisse Galenum, qui de sanguine interrogabat. Sunt autẽ tria terræ genera in Lemno insula. Vna sacra quæ in colle nascitur, qui totus colore fuluus est, in quo nec arbor, nec saxum est, adeò ut collis adustus uideatur: hinc poëtæ Vulcanũ è cœlo in eũ locum cecidisse fabulantur: hæc terra est, & Terra nuncupari debet, non rubrica: hanc lauant, & crassam partem abijciunt, & aquam supernatantem: mediam uero in pastillos diuidunt, & sigillo Dianæ imprimunt: unde Terra Sphragis propter sigillum nuncupatur. Nunc ad nos affertur, sigillo Turchico munita, ex Turchicis luteris confecto. Turcharum imperator arce facta eo loco, principes hac terra donat. Primus qui nostris temporibus in Italiã ferri curauit, fuit pharmacopola Campanæ Venetus, qui suis expensis in Lemnum misit. Adest & rubrica in Lemno, qua fabri utuntur. Adest & terra quæ extergit: hac utuntur qui lintea & uestes lauant uice saponis, ut hi retulerunt, qui per aliquot menses in Lemno habitarunt: terram habebant, experti sumus optime linteа abstergere: superioribus autem annis, imò & multi nunc, rubrica quadam fictitia pro terra sigillata utuntur, quæ huius naturæ nihil habet. Veram emas Venetijs, sed ne decipiaris recte perpendas, quoniã & hanc (quæstus gratia) adulterare cœperũt, simul & terram ipsam sigillatam, & bolum armenum miscentes. Hi uero deci-

piuntur, qui in Lemno ueluti tumulum esse putant è quo semper emanet, uel tanquam bitumen crescat, sed terra est quæ lauatur, in lutumq; ducitur, exiccatur deinde: superior pars aquea, & inferior terrea abijciuntur: media pars quæ lutosa est, in pastillos unius drachmæ plus, minus ue distribuitur, & Turchico sigillo munitur. SEN.

Bolus armenus

Bolus armenus sequitur. BRA. Hactenus in publicis officinis rotundos quosdam globos in medio pressos pro armeno luto uendebãt, & adhuc multi uendunt, factitios & illos: nunc terram armenicam uel armenicum lutum habemus. Bolus ex forma dicebatur, ut Galenus nono de simplicium medicamentorum facultatibus suo tempore fieri monet, ubi de terræ Samiæ lotione sermonem cœperat. Decepti uero sunt & nostro æuo, qui terram armenam uel bolum armenum, lapidem armenũ esse putarũt: nam lapis armenus uerè lapis est inter colores floridos numeratus: uiridis autem est in cœruleum inclinans, de quo suprà egimus: & Plinius libro trigesimoquinto, capite sexto, in fine, & Dioscorides quinto libro pertractat: quin & Galenus præcitato loco dicit à quodam fuisse donatum terra armena, & ille qui donauit, uocauit eam, lapidem. Vnde non mirum sit, quamuis nostro hoc tempore, nonnulli lapidem, alij terram appellent, quoniã & Galeni tẽpestate à nonnullis lapis uocabatur. Terra adstringens est, & pro qua aliàs pharmacopolæ terra quadam utebantur, quam ex Germania portabant. SEN. Nunc ueram armenam terram, lutum, uel bolum mauis appellare, habemus, quæ ex Armenia affertur. Nã masticata ueluti butyrum liquescere uidetur, & si apice linguæ

linguæ tetigeris, adstrictionem manifeste senties. BRA. A quo didicisti hanc terram liquescere debere ueluti butyrum si masticetur? SEN. Hoc à pueritia imbibi, non à certo autore, sed à præceptore meo pharmacopola uiro egregio, cui mendacia credidissem. BRA. Ni pigeat, notas illas edoceas, quibus præceptor ille tuus bolum armenum cognoscebat. SEN. Hæ sunt, rubrum esse debet in citrinum inclinans, fragile, unctuosum, & quod si masticetur, in modum butyri liquescere uideatur. BRA. Quod de colore sentiebat, ex Serapione & Auicenna colligere potuit: quod fragile, ex Galeno: de assimilatione autem butyro, si masticetur, & de unctuositate quæ animaduertenda erant, nihil ab aliquo autore scriptum reperitur. SEN. Igitur in ea terra quam nunc habemus an armena sit dubitas? BRA. Imò in hoc inclinor, ut ea terra, quam nunc bolum armenum uocatis, nuper comportata (non illa quæ ex Germanicis mineris olim portabatur) terra lemnia sit. SEN. Quomodo terra lemnia? stupeo nunc. BRA. Ne stupescas, quoniam tibi certe ostendam, terram, quam uos armenam uocatis, armenam non esse, imò nec prope Armeniam sumptam. SEN. Rem miram ostendes. BRA. Nisi audire grauaberis, optime demonstrabo. SEN. Imò nihil uehemētius opto. En totus in aures habeo. BRA. Eam terram non esse armenam, quam uos armenam dicitis, hoc argumentum est, quia Galenus nono de simplicium medicamentorum facultatibus dicit terram armenam pallidam esse, hæc autem pallida non est, & ne fugias dicens Galeni codicem ibi esse mendosum, ita etiam suo idiomate habetur

τὴν χρόαν ὠχρα, id est, colore pallido: quod si fugias quia id uocabulum ὠχρα croceum significet, unde & ochra quæ in mineris inuenitur, flaua est, & quũ uritur, rubra, saltem hoc habeo, luteum interpretari debere: sed manifestum est, hunc nostrum bolum armenum colorem luteum non habere. Vnde Hermolaus Barbarus quinto sui Corollarij, ubi de terra in cõmuni tractat, hæc uerba Galeni interpretatur τῷ χρόαν ὠχρα, luteo colore aut pallido: uolens duo significata huius uocabuli ὠχρα ponere, quæ in unum uergunt. Optimi autem & probatißimi interpretes ὠχρα pro pallido semper interpretari uidentur: Arabes tamen colorem croceum interpretati sunt. Nam Serapio Galeni uerba adducens, croceo colore ad rubedinem uergente interpretari uidetur, & Auicenna rubro colore inquit ad cineritium uergente: tamen uocabulum ὠχρα non interpretantur ad unguem, sed opus est pro ipso uel pallidũ aut luteum exponere. Constat autem nec pallidam, nec luteam esse quã uocatis nunc ueram terram armenam. Præterea addidit eo loco Galenus facile teri armenum bolum sicut calx, uel lapis coctus, propterea quum in puluerem pistillo redigitur, ueluti calx est. At in nostro nunc inuento bolo, hoc reperiri non potest: nam etsi in puluerem teri possit, non tamen apte sicuti calx, ob unctuositatem illam quã habet: comparatq; ipsam in leuore Samioastro, qui albus est uel pallidus, imò calcem in colore bolus armenus imitatur. Vidi ego, & nunc domi habeo terram quandam ex Armenia allatam à religioso diui Francisci qui eam dono dedit illustrißimæ Lucretiæ Bogoiæ illustrißimi patroni

troni mei Herculis Carnutum ducis genitrici. Est autem pallida, & ueluti sicca calx, quæ si teratur, in puluerem, ut calx redigi potest: hanc armenum bolum à Galeno descriptum suspicor. Denique uiliori pretio bolus hic armenus uenditur, quàm terra sigillata. At in duplo magis Armenia Venetijs distat, quàm Venetiæ Lemno: unde uiliori pretio terra sigillata uendi deberet, quàm bolus armenus: nec opus est fugere, in maiori copia bolum armenum haberi, quàm terra Lemnia, quoniam mons est in Lemno, ut Galenus docet, non locus particularis, & paruus qui deficere possit. Illudq; superaddere non grauabor, eadem nauigatione mercatores terram sigillatam, & bolum armenũ Venetias ferre: quod indicium esse potest ab eodem loco, uel propinquis haberi: nec opus est tergiuersari, hanc ex nauigatione Alexandriæ ferri. At prius ex Armenia Alexandriam delata sit, quia breuior est, & commodior uia per mare Euxinum. Adde qui hũc bolum armenum portant, non transire Aegeum mare, in quo est Lemnus insula, ut in nona Europæ tabula Ptolemæus describit. At si in Armeniam irent, opus esset fauces illas maris transire, quæ uulgò strictus Garipoli nuncupatur, ubi Calliopolis urbs sita est, Latine Helleſpõtus dicitur: postea Bosphorũ Thraciæ, & Propontidẽ pertransire: denique totum Euxinum mare, quousque in Armeniam Cappadociæ conterminam peruentũ sit, ubi terra armena colligitur: sed nõ est satis naui huc appellere, quum & terrestri itinere egeant, si in statutum boli locum peruenire uoluerint. Tamen qui bolum armenum quærunt, & Venetias portant, breui reuertuntur, nec

mare Aegeum transeunt. SEN. Quid ergo est hæc terra, quam bolum armenum certè arbitrabar? BRA. Terram sigillatam: mastica, nuper ex Lemno allatam. SEN. Mastico. BRA. Mastica & bolum armenum nuper inuentum. SEN. Masticaui. BRA. Quo differunt hæc? SEN. Nullo altero, quàm quod in sigillata terra quædam granula tanquam sabulum persentio, quæ in bolo non sunt: imò bolus penitus liquescit, & nihil pallato occurrit, aut in ore moratur. Terra sigillata & ipsa liquescit, uerum granula quædam ueluti terræ micæ relinquũtur, quæ solui non possunt. BRA. Hoc ideo est, quia idem sunt bolus nunc uocatus armenus, & terra sigillata, etiã si gustes eadem adstrictione insigniuntur. SEN. Optime noui. BRA. Addam & aliud. Terra illa quæ sigillũ Turchicum habet, adulterata est, & ueluti album sabulum illi addidere, ut commodius sigillum recipiat: ideo minus rubra efficitur, & in pallorem uergit. Quod autem hic color, quem habet bolus iste armenus, sit terræ Lemniæ color, facillime probari potest, ex hoc in primis testimonio, quoniam poëtæ fingunt è cœlo Vulcanũ cecidisse, & suo cruore terram eo loco consperssisse: ideo sanguinis colorem habere dicitur, qui in dicto bolo armeno uidetur. Plinius etiam de rubricis tractans, id est, rubris terris, inquit lemniæ rubricæ palmam dari, quia sit minio proxima, libro trigesimoquinto, capite septimo. Terra autem sigillata rubricæ colorẽ habet, quem præcise in hoc bolo uidemus: nam nulla terra est magis proxima uero minio hoc bolo armeno: nõ intelligo hic per minium, nostrum fictitium, quo nunc utimur, sed antiquum,

quo

quo sanguinem pictores fingebant: imò quendam hoc armeno bolo dicto pingere iussimus, omnino color ruber floridus uisebatur, ut quisque poterit per seipsum experimento comprobare. Adde hac minium sublinere, & adulterare, quod facile hoc bolo armeno fieri potest. Veteres etiam ea utebantur ad splendorem, sed mirũ splendorem hic bolus armenus picturis facit. Non possum abstinere quin & tu experimẽto probes. SEN. Imò summopere cupio, sed de rubrica lemnia, nõ de terra sigillata fieri scripsere. BRA. Idem terra sigillata feciſſent, sed ob minorem copiã rubrica utebantur: imò adde Cornelium Celsum eam appellare minij glebam: nam 15. capite quarti libri, inquit minij glebam ad cancrum intestinorum ualere. Dioscorides & Galenus ad dysenteriam proficere censent: & Hermolaus Barbarus eo loco, 5. libro, Celsum exponit, minij glebam, id est, lemniam terrã: nulla autem est magis propinqua minij glebæ isto bolo armeno, quamuis aliquid proprie de minij gleba posset Celsum exponere: unde arbitror bolum armenum à uobis dictum esse terrã lemniam, quia ex Lemno affertur, non ex Armenia: & Galenus, ubi de Samiæ terræ lotione scribit, terram lemniam esse tenacem, & paululum uiscosam docuit, qualem esse bolum hunc armenum constat. Deniq; sume tu hanc terram armenam, & in aqua macera, ut docet Galenus 9. de Simplicium medicamentorum facultatibus, ubi de differentijs nominatarum passim terræ scribit, uidebis ablata aqua quum exiccatur, in molliciem ceræ deuenire: tu mox eam tuo sigillo imprime, & deprehendes pro terra sigillata uendi posse, præsertim Minii gleba.

tim si illi sabulum miscueris album. Vnum solum obstat, Galenum dixisse colorem fuluum habere, quãuis & hic boli armeni dicti, fuluus nuncupari possit, quo modo fuluum leonem uocamus, qui similem colorem habet. Hoc saltem habeas, si non sit sigillata terra, esse rubricam lemniam, quoniam ex Lemno affertur: & id argumentum esse potest rubram esse, quia Dioscorides sanguine hœdino uel caprino confirmari credidit, quod sibi persuaserat etiam Galenus, antequam uidisset: ideo ruborem talem habere debet, qualem faceret sanguis terræ mixtus, præsertim etiam ipsa ruborem habente, alioqui hi summi uiri non putassent sanguine hœdino parari: hic autẽ noster bolus armenus eiusmodi colorem habet: imò Galenus eo loco addit colorem habere combusto similem, qualem habet hic noster bolus nuper inuentus. Ex his certus sum, bolum armenum nunc uocatũ, non illum qui ex Germania habetur, esse terram lemniam, uel rubricam lemniam, & illam fortè ex qua terra sigillata dicta fit, per dissolutionem & abiectionem supremæ & infimæ partis. SEN. *Hæc me in admirationem, & cupidinem trahunt, uisendi illa loca, nisi senio confectus essem, & nisi à barbaris & infidelibus nationibus possiderentur illæ partes: nam facillimum est senio confectum nauali itinere peregrinari. Si nunc uigenti ætate essem, & iter tutum præstaretur, illuc omnino & ad alia plura loca proficiscerer.* BRA. *Si principes liberalitate præditi essent, multi reperirentur, qui orbem perlustrarent, ut Galenus fecit, noua semper experiendo, & discendo, uel si diuites literis operam nauarent: sed usu uenit, ut nullus sim*

lus simplicium medicamentorum facultates, & res ipsas considereret, nisi medicus sit. Medici uero nostro æuo ut plurimum pauperes sunt, quia diuites nõ dignantur medicam artem addiscere, adeò inepti sunt ad propria bona noscenda: putant enim idem esse medicam artem scire, & ea uti. Medici uero paupertate ducti lucris incumbunt, & accumulandis opibus intenti sunt, quid hoc, uel illud sit, discere spernentes. SEN. Imò ignorant an pharmacopolæ eiusmodi simplicia habeant, quibus in dies utuntur. BRA. Oportebat equidem Aristotelem summum philosophum imitari, & eius præceptis parêre, qui prius ditari utile esse censet, quàm philosophari: sed quum diuites effecti sunt, tunc philosophandum erat, nam alibi edocuerat. Philosophi acquisitis necessarijs, cœperunt philosophari, non sophistico modo, & apparenti, ut multi nunc faciunt, sed rerum causas inquirentes, & abdita naturæ arcana detegẽtes. At ex nostris plurimi, quanto magis diuites efficiuntur, tanto minus philosophiæ præceptis incumbunt, & indagandarũ rerũ scientiæ: hæc autem aliàs deploranda sunt, nunc ad institutum nostrũ reuertamur. Ego id intra me decreui, natos meos bonis literis primum instituere, deinde per diuersas mũdi partes relegare, ut per uaria regna & prouincias euagati sapientiores reuertantur. SE. Boracis sequitur. BRA. Lapidem boracem Albertus in capite buffonis inuentum arbitratur, quem omnes ferè recentes sequuntur: hic tamen non est quem uos in officinis habetis. Ego ex buffonis capite eum lapidẽ uel potius os eduxi, in nigrũ colorẽ inclinat, sed nunc de isto sermo fieri non debet, sed de illo Borax.

quo artifices utuntur: imò aurum conglutinare non possent si deesset borax. SEN. Reperiturne apud antiquos? BRA. Equidem à Dioscoride, Plinio, Galeno, chrysocolla nuncupatur, quasi auri colla, & gluten dicatur: propterea ab Auicenna capistrum auri nuncupatur. SEN. Ergo & Arabes de illo pertractant. BRA. Omnino, & tincar uocant suo idiomate: Serapioq; inter species salis numerat, de quo mirandum est, qui nihil meminerit Galeni aut Dioscoridis, quos tamen in omnibus refert, earum rerum quæ ab ipsis tractantur. Vno autẽ remoror, ut arbitrer Serapionem nõ intellexisse quid esset borax apud antiquos, quia scribit Mesuem dicere, radicẽ boracis artificialis urinam infantis esse. Si autẽ antiquorum boracem nouisset, non fuisset sibi mirum hoc, nec ueluti magnum quid adduxisset, quia omnes artificialẽ hũc lapidem ex urina constare monent. Nascitur autem naturalis in fodinis auri, argenti, æris, & plumbi. Ad nos defertur chrysocolla uarios colores habens, alba, flaua, uiridis, subnigra. Conqueruntur aurifices, quia à pharmacopolis ementes, non assequuntur plerunq; suum finem, quia falsa est chrysocolla, uel alter lapis pro ipsa. Plinius colorẽ chrysocollæ esse herbæ segetis lætæ uirentis scribit. Nero arenam chrysocolla sterni fecit, quum & ipse, & sui eodem colore induerentur. Vt deprehendatur, antiquos eas fatuitates in colorum distinctionibus seruasse, quas nostrum uulgus impressas, & leureas uocat. Dioscorides dicit τῇ χρόᾳ κατακόρως πρασίζουσα, Marcellus interpretatur, colore usq; ad satietatem uirente. Hermolaus Barbarus Dioscoridem per Plinij uerba interpretatur, inquiens,

Chrysocolla.

inquiens, quæ colorem herbæ segetis lætæ uirentis reddat. Interpretari possemus, colore omni parte uirente. Quam pharmacopolæ nunc habent, uirenti colore infecta est, sed non omni parte, nec lætæ segetis, nec usque ad satietatem uirente: ideo imperfecta est. Venetijs nõnunquam uirentem uidimus blando colore. Nostri aurifices eam probant quæ maxime colore auro assimilatur: nam etsi exquisite uiridis esse debeat, in nostra tam alba, flaua, & subnigra reperitur. Flaua ad aurum ferruminandum apta potissimum est. Quanquam & chrysocollam faciant puerorum urina, in æreo mortario, & æreo pistillo. Conficiendi modum Dioscorides lib. 5. Plinius libro 33. cap. 5. & Galenus 9. de Simplicium medicamentorum facultatibus libro designant. Hac etiam artifices, ad aurum glutinandum & ferruminandũ utuntur, quippe diuersa metalla uarijs rebus iungunt artifices, chrysocolla aurum (ut Plinius docet) argilla ferro, cadmia æris massis, alumen laminis, resina plumbo & marmore, plumbum nigrum iungitur albo, & ipsum album sibi oleo, stãnum æramentis, stanno argentum. Sed hæc ad nostrum propositum nihil, quia nos alios plures modos hæc ferruminandi scimus, quàm hi qui à Plinio traduntur, arte inuentis semper addente. Ex Germania chrysocolla affertur, inepta tamen: nostri etiam eam habent quæ ex puerorum urina fit, odora. SEN. Odoraui, urinam persentio. BRA. A Gallis bourax nuncupatur. SEN. Talchũ sequitur. BRA. Sunt qui Arabice talk nuncupari uolunt, alij stellam terræ, ex luce quam habet, & splendentes radios nuncupant, quamuis & nonnulli stellam ter- Talchum.

ræ,herbam uocent,quæ uulgò lunaria dicitur, folliculum rotundum habentem,in quo semina conduntur, qui folliculus nocturno tempore aperitur,& adeò radios lunæ recipit,ut lucens stella uideatur. Loci incolæ ubi uident, diabolum esse putantes aufugiunt:hac ueneficia parant,hac dæmones irritant,hac Chymistæ suũ Mercurium fixum, stabilemq; reddũt. Tamen hoc nomen stella terræ, in maiori usu est,ut talchum significet,quàm aliquod alterum: nec immeritò,quoniam ab antiquis aster,id est,stella uocatur. SEN. Reperitur ergo apud antiquos? ERA. Suspicor astrum Samium à Plinio dictum lib. 35. cap. 16. & Dioscoride quinto libro, & Galeno nono de Simplicium pharmacorum facultatibus libro,hãc rem esse, quã uos talchum, in publicis officinis nuncupatis. Quippe duas terras samias ponunt autores,ambas albas. Prima à Dioscoride collyrion dicitur, à Plinio syropicon. Altera aster samius,quam Dioscorides crustæ similem dicit, & densam,ut coticula, & quam Galenus non indigere lotione testatur:hanc puto talchum esse, uim adstrictoriã habet,& nomine stellæ ab antiquis dicitur. Lapidem samium esse aliàs arbitratus sum, nunc in astrum samium inclinor. Ad nos ex Germania affertur,supra mõtes,præsertim post pluuias inuenitur:à longe splendescere uidetur ut stella. Ideo stella terræ à nobis, & aster ab antiquis appellatur. In Samo perfectißimum nascitur talchum,propterea samius aster dictũ est. Adstringit adeò, ut mihi gustare uolenti,os corrugauerit. Sunt qui talchũ cærũleum,qui uiridem,atq; croceum quærant,præsertim Chymistæ,ut id quærentes quod inueniri non potest,tem

pus ui

pus uitæ ſuæ in falſis nugis conterant. Vſus in medicina crematio & lotura etiam nunc eſt, ut Dioſcorides de ſamia terra dicit, ſed præſertim crematio quia pauca lotura indiget, propterea Galenus non lauari, id eſt, quàmbre ui lotura tradit. Hoc Venetijs emere poteris, uel ex Germania petere. Naſcitur & prope nos in Apenninis alpibus inter Regium & Mutinam è regione Herberiæ arcis Illuſtriſſimi Ducis noſtri munitiſſimæ: locus autem in quo inuenitur uulgò nuncupatur Il zeſſo, à Magnifico Iulio Scandiano poſſeſſus, potiſſimum ubi gypſum eſt, reperitur. Gypſum uero alumen ſcaiolæ eſt, quando nondũ coctum ſit: quum uero decoquitur hoc alumen, in gypſum uertitur. Galli gypſum plaſtre uocant, Hiſpani yeſſo, Germani gips. Ad alia te uertas. SEN. Nullæ ſuperſunt terræ, quibus utamur. BRA. Multo plures à Dioſcoride, Plinio, Galeno deſcribuntur, quàm eæ ſint, quas ſupra enumeraſti. At quum de his ſolum quarum uſus eſt nobis, tractare inſtituimus, prædicta ſuperſint: quoniam & hora in aliquod diuerſorium proficiſcendi imminet. SEN. Imminet profectò, id caſtrum uerſus proficiſcamur: nam Ferrariam eundum eſt, quum omnia ſerè collegerimus, quæ ad noſtram officinam reparandam his locis haberi potuere. Inter eundum uero, ut cœna ſapidior ſit, de Salibus loquamur. BRAS. Imò hoc ſermone, uia breuior reddetur. Gypſum

DE SALIBVS, QVORVM *in officinis usus est.*

SENEX.

Sal. SAL COMMVNIS *alijs salibus initium facit.* BRA. *In diuersis mundi partibus uarij sunt salis usus: in Italia marino utimur, qui partim arte factis areis, ut aqua solis feruore exiccari possit, partim spōte innascitur. Fertilissimæ sunt illustrissimi Ducis nostri salinæ, quæ in conuallibus Comaclienſibus patent, ut ferè tota Hetruria, Insubria, & Flaminia eo uescatur. Spissum esse oportet, candidum & planum. In Germaniæ aliquibus partibus, Pannoniæq;, fossili sale, atque metallico uescuntur. Montes usque ad duo milliaria in profundum excauant, sursum ingentes salis massas funibus trahentes. Saxeus dicitur hic sal, & marmoreus, ferreis pistillis teritur, & optime salit: probatur in hoc genere, qui candidus, pellucidus, & densus. At qui candidissimus in hoc genere, ualde lucidus & dēsus inuenitur,*

Sal gemmæ. *salem gemmæ uocari, quoniam ueluti gemma nitet. In Germania ubi salem effodiunt, & Pannonia, quandoque inter globos salis ingentes, aliqua salis gemmæ portio sex, octo, & quindecim librarum plus minus inuenitur: hic uero est perfectissimus sal fossilis, & ueluti flos eius, qui rarus & paucus in tam magnis & frequentibus massis inuenitur, propterea gēma dicitur. Ex Germania Venetias comportatur. Nihil tamen impediet, ut Ferra-*

riam dese

riam deferatur, curare. De marino sale nihil in præsenti dicemus, quia notior est, quàm ut de illo tractemus. SEN. Armeniacus sal defoditur'ne & ipse? BRA. Dicendum est ammoniacus quasi arenarius. SEN. A Pandectario armeniacum dici legeram, quoniam ex Armenia portetur. BRA. Nunc altero labore indiges, dediscere scilicet, & eius nominis obliuisci: ammoniacus appellatur, quia sub arena inuenitur in Aphrica apud Ammonis oraculũ, ubi loca sitiẽtissima sunt, & in Cyrenaica regione. Ibi arena defossa frusta salis oblonga, extra nigra uel eruginosa, intus alba, & ad similitudinem aluminis sciſsilis, non multũ lucet, & adeò salsus est ut ingrato sapore gustetur, tamẽ medicinæ utilis pro balanis fingendis in difficilioribus morbis, quibus opus est ad opposita deriuare. Venetijs emes, quamuis ex Germania simile genus salis portetur, qui sapore ingrato adeò salit, ut eo pro ammoniaco utamur: adeò salsus est hic sal, ut mihi fastidium pepererit inter loquendum, nisi de sapidiore sale tractemus. Commune nomen salibus Germani habent, salcz, Hiſspani sal, Galli sel. SEN. Si hic sal ob salsedinem fastidio fuerit, dulcem salem inueniamus. BRA. Quomodo sal, dulcis est? SEN. Nihil impediet, idem æquè salsum & dulce esse. BRA. Equidẽ. SEN. Sal, de quo loquor, Indus sal dicitur. BRA. De hoc in saccharo expeditum est, in India nascitur in cannarum extremitatibus: nam calore solis exudat, & extra cannas duratur, & nostro saccharo cando similis uidetur, uocatur etiam Mel supra cannas inuentum, ad nos non defertur, & eius uice saccharo dicto cando utimur, arte parato:

Sal Ammoniacus,

Sal Indus.

quamuis nostri pharmacopolæ nescio quid, extra nigro, pro hoc sale utãtur: quid uero sit, incompertum habeo.

Sal nitrum, SEN. Sal nitrum sequitur. BRA Nitrum & litrum à Græcis dicitur: uos nitro caretis, & antiqui uestrum non habebant. Nitrum nunc terra, & scrobibus circa parietes inuentis paratur. Antiquum nitrum sponte in aqua fit, & illac transeuntes aquæ nitrosæ efficiuntur. Antiquorum nitrum colore roseo, aut candido erat: nostrum uero aut candidum est, si perfectum sit, aut subnigrum, si perfectionem non sumpserit, & nondum exquisitè ebullierit. Antiquum nitrum à Germanis salcz peter nuncupatur. Antiqui pro sanãdis hominibus, & in uita seruandis utebantur: nos pro necandis, pro eruendis urbibus, depopulandis gentibus nostrum nitrum paramus. Ex tenuitate & esse spongioso ac fistuloso antiqui suum nitrum probabant: nos quod parum crepitet. In machinis bellicis Bombardas uocatis, bombum facit nitrum: nec uehemens esset ictus, nisi nitrum adderetur. Iamq; puluis inuentus est, qui glandem sine bombo proijcit, nõ tamen uehementer, ut uel pullum interficere posset. Illustrissimus ALPHONSVS Ferrariæ Dux inclytus, in omnibus rebus diligentissimus, hunc pulucrem inuenit, qui sine bombo glandem emitteret: præter nitrum quod fluminibus innatabat, etiam nitri spumam habebant, à Græcis aphronitrum, ab Arabibus baurach appellatur: quamuis baurach & nitrum confundant Arabum sectatores, & ipsi Arabes, ut Mesue facit: tamen re uera apud Arabes baurach est nitri spuma. In salibus etiam opus erat te haloſachnem, id est, salis spumam habere, & florem salis,

quem

quem baloſanthos uocant: eſt autem ſauilla ſalis. De his omnibus Plinius capitibus ſeptimo, octauo, nono, & decimo libri decimitertij agit: & Dioſcorides quinto libro, Galenusq; undecimo de ſimplicium medicamentorum facultatibus, prope finem. SEN. Sal naphthicus ſequitur. BRA. Quis meminit huius ſalis? SEN. Meſue: tamen ſcire optarim, an apud antiquiores inueniretur. BRA. Inuenitur quidem, ſed uos eum non habetis. Plinius libro ſuprà citato ſalem in Babylonia fieri ex aqua bitumine ablato docet: & Galenus undecimo de ſimplicium medicamentorũ facultatibus, in mari mortuo ſalem fieri monet, quem Sodominum uocent: ibi enim Sodoma eſt, ubi aſphaltum colligitur. Vos hoc ſale caretis: nec opus eſt expendere ut habeatur, quoniam facillimum eſt ſine hoc ſale uiuere, & ab omni ægritudine liberari. Naphthicus appellari debet, non nafricus: peius proferunt, qui nauticus legunt. SEN. Sal Alcali ſequitur. BRA. De hoc in aluminibus loquuti ſumus: arte fit ex herba cali combuſta, quæ dictæ uſnæ aſſimilatur. Tamen ex pluribus alijs herbis & carbonibus ac lignis, uaria ſalis genera fieri poſſunt pro diuerſarum gentium moribus. SEN. Id ſcio, uerùm prædictis tantum in officinis utimur. BRA. Naphthicũ habere nõ poteris: Ammoniacum præterea uerum ammoniacum non eſt, ſed aliqui fictitium parant. Aliqui ex Germania comportatum habent. Salem nitrum habere non cures, quoniã in illo non ſibi conſtant Arabes: nam Auicenna eius proprium colorem nigrum eſſe cenſet ſecundo libro, ſed quarto libro inquit eſſe in colore ſalis, & in dulcedine mellis. Quo

Sal naphthicus.

Sal ſodominus.

Sal alcali.

autem pro illo uos utimini, ex Germania defertur. Alios sales prosequaris. SEN. Nullus est alter sal, quo utamur. Iam ad hospitium peruenimus: Herbarie cœnam para. Interim de nonnullis loquemur, quæ ad nullam seriem dedecere noui. BRA. Age quàm breuius fieri poterit, quoniam fame sitiq; ingentibus corripior.

NONNVLLA QVAE AD caput nesciunt Pharmacopolæ deducere.

SENEX.

Tutia. EX HIS unũ est Tutia, & Spodium, non quidem illud Auicennæ ex cannis. BR. Hæc ad metalla, aut terræ species adducẽda erant, de ipsisq; in radicibus egimus. Nã tutia à Dioscoride, Plinio, & Galeno pompholyx dicitur, spodium uero pars crassior existit. Vnde in fodinis ærarijs quum cadmia, uel climia in camino perficiuntur, fumus subtilior camino inhærens pompholyx & Tutia est: crassior uero & quãdoq; carbonibus mixtus, spodium. Vnde Galenus quum pompholygem habebat, nunquam spodio utebatur: quum uero spodium, nunquam antispodio: quod ex cannis Auicenna facit, antispodium est. Tu quum pompholygem, id est, tutiam facilime habere possis, antispodium & spodium abijcias. SEN. Si quispiam medicus spodium ordinaret quid agendum? BRA. Pompholyge pro spodio utaris

utaris, ut Galenus faciebat: nam pompholyx, id est, tutia est perfectißima pars spodij. Ideo à Germanis utrunque Nix appellatur: quamuis & nõnulli sint qui nil, Latino uocabulo utãtur. SEN. Rasura eboris sequitur. BRA. Ex elephantum oßibus ebur fit, imò ossa ipsa ebur sunt: & quamuis Græci ebur, ebur elephantum appellent, omnia tamen eius ossa ebur dici possunt: ex dentibus autẽ, uel dicas cornibus, pulchrius fit. Scobe eboris paronychia tolli Dioscorides censet, & Plinius libro uigesimo octauo: tamen Paulus Aegineta ex unguibus etiam fieri monuit: sed & unicornis, uel monocerotis cornu habebis, non autem falsi: nam multi lapidem uice cornu monocerotis habent, imò omnes ferè. Subniger est color, aut subcinericius. Duo integra cornua Venetijs in ærario diui Marci reconduntur, omnium quorum uiderim pulcherrima & maxima. Si hoc cornu aliubi habere poteris cura: quippe ueneno aduersatur, & puerorum uermes interficit. SEN. Nec cornua cerui omittenda. BRA. Vt habeas curabo, quũ illustrißimus princeps & patronus meus HERCVLES ESTENSIS aliquẽ ceruum insequutus defiget. A Gallis cerui cornua, corne de cerf, à Germanis hirtshorn, dicuntur: Monocerotis autem cornu à nobis alicornio, ab Hißpanis cuorno de licornio, à Germanis eodem modo sua lingua einhorn, id est, cornu unicornis dicitur. Germani uero ebur elphant dicunt, cuius rasuram Galli kacheſe diuoire uocant. SEN. Copulæ glandium sequuntur. BRA. In Ferrarienſi agro copiosè proueniunt, in Mutinenſi copioßius: ego è montanis glandibus potius seruarem. Scutellæ illæ quibus integun-

Rasura eboris.

Copulæ glãdiũ

tur & ferè pilcola adstringunt, propterea Germani nomen inuenere eichel hueteil, id est, glandis pileolum, in his rebus natura prouidit in quibus non est opus, nisi oc-
Tegname. culta aliqua necessitate factum sit. SEN. Tegname sequitur. BRA. Hoc inter ligna numerare oportebat. SEN. Ad me nihil refert, modo apud antiquos agnoscã. BRA. Nihil equidem refert, tamen congenera congeneribus prope esse oportet. Scito Tegname uocari quasi thymiama à suffumigio, eo nempe domus suffumigantur ut redoleant. Id enim nomen thymiama multis odoratis rebus commune est, suffumigio aptis, modo ex floribus non sint. Nos duplex genus corticis habemus, quæ pro Thymiamate pharmacopolæ uendunt. Vnum crassum, nigrum, & combustæ rei faciem habens, cui nigra frustula connexa sunt, ac si conglobatæ arboris succus sit. Alterum, subtile & rubrũ: si hoc suffumigaueris, redolet magis quàm primum: imò pluribus primus ille cortex male olet, quem passim uenditis. SEN. Quid est apud antiquos? BRA. Dioscorides primo libro de nascaphtho pertractat, quod uestrum tegname, aut thymiama esse inclinor: ex India defertur nascaphthon, natura corticosum est, & additur ad suffimenta, sed ingrato odore. Recentes nastatimon legunt, quum nascaphthon legere oporteat. SEN. Loquuntur ne de ipso Arabes? BRA. Loquuntur quidem: nam Serapio capite centesimo octuagesimosexto sub nomine lasahatem de nascaphtho pertractat. Genuẽsis decipitur, qui nabach Serapionis esse arbitratur, & errandi ansam Pandectario præstitit, qui ex aliorum dictis, & non ex ipso fonte colligit, quippe nabach fru

bach fructus arboris est, ut de illo Auicenna quoque scribit: sed lasahatem, Dioscoridis nascaphthon uerè est. Interpres aut librarius aliquis deceptus est, qui in Serapione nabach posuit, quum lasahatẽ scribere debuisset: hæc autem nihil ad rem, modo noscas uestrum tegname uel thymiama, id est, corticem illum apud nos in suspicionem uenisse, ut Dioscoridis nascaphthon, & Serapionis lasahatem dici oporteat. Comparato enim lasahatem Serapionis, nascaphtho Dioscoridis, idem esse pictura demonstrat: imò à Serapione exquisita Dioscoridis uerba adducuntur. Sed unus est in Genuense & Pandectario adeò supinus error, ut dissimulari non possit: ubi Dioscorides corticosum dicit, ipsi sine cortice legunt, quum tamen cortex sit: de eo Galenus & Paulus eodem ferè modo pertractant, ut Serapio Pauli uerba adducens, eadem scripsisse Paulum fateatur, quæ Galenus antea edocuerat. SEN. Certum est nostri thymiamatis odorem multis displicere, aliorum fortè miscella gratus efficitur. BRA. In cõpositionibus etiam ingratissimum odorem spirat, ut diebus proximis in uarijs miscellis, quas illustrissimus & excellentissimus Ferrariæ Dux ALPHONSVS suis manibus me præsente parabat, ut uir erat nouarum rerũ sitientissimus, expertus sum, quem nuper mors impia, crudeles parcæ nobis abstulere. O incertæ & inconstantes mundi res, ô curas hominum, quãtum est in rebus inane. Clemens pontifex septimus, intestino odio ALPHONSVM Illustrissimũ principem prosequebatur, septimo Calendas Octobris obijt pontifex, anno à CHRISTI ortu milleno quingẽteno trigesimoquarto. Quinto Calẽ

das Octobris, uigesima prima hora Illustrissimo Duci relatum est Clemẽtem obijsse, hora prima noctis Illustrissimus Dux ægrotare cœpit: pridie Calendas Nouembris, hora sexta noctis, sextadecima horæ parte dempta, Immortali Deo animam reddidit, rebus suis Christianissimo more dispositis. O iniqua fata, ô Sirenes usque in exitium dulces humanas res, quæ quum blãdiri incipiunt, mox necant. Non potuit hic generosissimus princeps res suas pacatas unquam uidere. Nam ab initio principatus usq; in uitæ calcem omnia aduersa, quæ principi cõtingere possunt, habuit, & egregie superauit. Potentissimi hostes eũ non modo pungere, sed uorare & deglutire tentarunt. Ipse dimicans, & sapientia omnes expulit, uicit & triũphauit. Toties ei factæ sunt insidiæ, ut pigeat ac pudeat à quibus, & quoties, referre. His omnibus deniq; superatis, quum tempus quietis instaret, morte præuẽtus, dum excogitabat ipse reliquum uitæ in noscendis rerum causis, in uarijs experiundis transigere. O quoties mecum loquens, dum ægrotabat, in hæc uerba prorupit: Mi Antoni, si à præsenti ægritudine euadam, ingens uiridariũ tibi decreui, & nuncios quorsum iusseris mittam, ut herbæ, quæ apud nos non sunt, afferantur: adeò simplicium medicamentorum notione delectabatur, ut integre Andromachi Theriaca fieri posset, spoponderat nũcios ad omnes mundi partes mittere, in quibus simplicia medicamẽta efficaciora inueniuntur: quod infectum non relinquet Illustriss. & excellentiss. patronus HERCVLES ESTENSIS, eiusdẽ Illustrissimi ALPHONSI primogenitus, qui post dulcissimi & sapientissimi genitoris obitum,

obitum, magno omnium gaudio & plausu in festo omniũ Sanctorum Dux creatus est, quem uideo integerrima pace & quiete diu uicturum. Nempe omnia plausere nouo Duci, nec cœlum potuit ingentibus pluuijs prius patris mortem deplorans, non ostẽdere lætitiã. A summo Olympo risit Apollo, & nubes fugauit, ut diem lætam nouo principi daret, & quietem perpetuam ostenderet, cum quo Deus est, qui in bonorum animis insidet. SEN. Audiui de hoc principe talia, qualia à iuuenũ animis abesse soleant, ut diuinus potius, quàm humanus dici mereatur. BRA. Multa quidem de illo digna circũferuntur, sed nõ talia ut eius benignitas expeteret, ut eius frugalitas & clementia expostulant. Pius est, mitis, iustus, dei præceptorum summus custos, & quod nũc rarum in Principe est, liberalis. Cuius testis sum ego, quem amplo prædio in Carpensi agro donauit: ut deinceps mihi nec succida, nec panis (ut Ciceronis paræmia utar) deesse posit. Nõ est autem hic locus HERCVLIS Illustrissimi Ferrariæ Ducis encomium canere, sed aliàs plenius (ut dignum est tanto principe) aggrediar. Interim alia prosequaris. SEN. Tartarum sequitur. BRA. Ne aliunde quæras, quàm Ferrariæ, ad quam præpotentia uina confluunt, quamuis mediocria nascantur: separatim ex nigro & albo uino, ex præpotenti & debili tartara serua. Tartari drachma in iure bibita, ter aut quater, præter noxam soluit. Hispani Latinum nomen sequuntur. Germani weinstein appellant, id est, lapis uini. SEN. Antale & Dentale sequuntur. BRA. Tot ab antiquis autoribus testarũ genera in usu medico recepta sunt, ut difficile sit spe-

Tartarum.

Antale & dentale.

cies interstinguere, & difficillimũ omnia demonstrare: nunc tamen conabimur has duas ſpecies (ſi poßibile erit) apud antiquos inuenire. Nonnulli quod uos Dentale appellatis, dentes eſſe illius optimi piſcis, quem uulgò Dẽtale uocamus, putarunt, ſed falsò: nam dentale piſcis Auratæ aßimilatur, ſed magnitudine eam excellit. Conſtat autem dentale ueſtrum, citrinum unguentum ingrediẽs, piſcis dentes non eſſe, ſed inter conchas numerandum, de quibus ab antiquis ſermo fit. Dentale & antale in purpurarum genere à Plinio libro nono, capite 36, & Dioſcoride libro ſecundo, numerari uidentur, & à Plinio eodem loco dentale buccinum dicitur, à Galeno buccinum marinum, quia ſimilitudinem habet cum buccino, quo ſonus editur. Antale à Plinio purpura uocatur: tamen & in genere buccini quoque eſt. Galenus in emplaſtro albo ariabarzanio, inter alia buccinorum cinerem addit. Ceryces à Græcis buccina uocantur: nam idem eſt ceryx quod præco apud Græcos: propterea buccinum dicimus, quod ipſi cerycem nuncupant. Recentes dentale appellant, quia cum dentibus ſimilitudinem habere uidetur. Viuunt hæc, ſed an ſenſum habeant immeritò multi dubitant, quum ſenſu uigere oculata fide conſtet: poſt marinos æſtus ſupra maris littora inueniuntur. Sunt qui hæc cocta, & qui cruda edunt, ſicut alia conchylia. Antale diuerſis inuolucris circũgyratur, tamen buccinum eſt. Accidit quandoque flante uento, per Antalif anfractus ſibilum emitti, ut tuba uideatur. Hæc Venetijs emes, aut circa mare quæras, quum in Malaciam, poſt ingentes æſtus uenit. Optarem ut buccina carnem habentia emeres: quo

res: quoniam (ut Paulus inquit) oleo decocta aurium doloribus proficiunt. Quam ob rem dentale buccinum est: Antale apud antiquos, purpura. Ideo Galenus 11. lib. de Simplicium medicamẽtorum facultatibus, eodem capite, de buccino & purpura tractat: & Dioscorides primo de purpura, mox de buccino, tanquam de congeneri expediuit. Tamen murex plura amplectitur, quàm buccinum faciat. Qui uero tellinas, ex nominis uicinitate, dentale esse arbitrati sunt, aberrarunt: quoniam Tellinæ albæ sunt in genere concharum, lenes, & perpolitæ, nullo modo striatæ: & sunt tellinæ quas nostrum uulgus peueraze, & peueracinas nuncupat. Ad alia te cõferas. HER. Cœna parata est, & iam frigescũt pultaria. SEN. Vmbilici marini supersunt, qui nos paululum remorantur. BRA. Pulchrum nomen est, à re ipsa sumptum: quoniam hominis umbilico similes spectantur: ab antiquis in genere cochlearum marinarum numerari solent. Vnum uero in genere admonendum, omnes has testas exiccare: propterea Galenus in buccino de omnibus unà pertractat, & in genere. SEN. Lauemus manus, & è regione huius ostij sedeamus, ubi suauis aura spirat. HER. Et ego in hunc angulum secedam, ne sudans, laterali morbo capiar. BRA. Considerare oportet, nunquid alia sint in his montibus quærenda, aut alibi eundum ut habeantur. SEN. Nihil amplius est quod hic desiderem: Cras Ferrariam reuertemur, ea conditione, ut comes sis, & alia nonnulla meæ officinæ commoda, necessariáq; tractemus. BRASAVOLVS. Non possum tibi non obtemperare, quamuis mihi aliò eundum erat.

Tellinæ.

Vmbilicus marinus.

Nunc autem tempus quietem exigit potius, quàm uerba, & dulcis ſopor influit per membra. HERB. *Dormiamus igitur, ut ſummo mane ſurgentes, magnam itineris partem perficiamus.* SEN. *Iam ſomno capiebar, niſi tuis uerbis interturbaſſes Herbarie.*

DE PINGVEDINIBVS, QVARUM IN OFFICINIS PHARMACOPOLARUM USUS EST.

HERBARIVS.

VRGITE iam, diluculum inſtat. En Venus iterũ eradiare cœpit. BRA. *Lucifer mane appellatur.* SEN. *Inter eũdum alia ſimplicia excogitare, & percribrare oportet, quibus in dies utimur.* BRA. *Quæ ſunt hæc?* SEN. *Primo pinguedines occurrunt.* BRA. *Quorum animalium?* SEN. *Gallinæ, Anatis, Anſeris.* BRA. *Ferrariæ eiuſcemodi pinguedines perquam commodè habentur: tamen glocientes gallinas euitare oportet, & antiquas: anſerum uero, atq; anatum ſyluestrium pinguedinem ſeorſum à domeſticis ſerua: nam ſyluestriũ pinguedo calidior & ſubtilior exiſtit: debẽtq; circa ſalem inueterari, ut Dioſcorides 2. lib. & Galenus xj. de ſimplicium medicamẽtorum facultatibus oſtẽdunt. Tu ſi ſeruare cupies, hos autores cõſideres, qui plures modos ſeruandi ſecundũ diuerſas etiã pinguedines docẽt. Ad nonnulla etiã recens ualet, ad quæ nõ inueterata, & è cõtrario. Nec te prætereat, marium pinguedinẽ calidiorem*

Pinguedines gallinæ, anatis, & anſeris.

& ſic

& sicciorem fœminarum pinguedine esse. Ideo seorsum marium,& fœminarum pinguedines serua. Differũt pinguedo & adeps,quoniam adeps in ualde obesis animalibus pinguedo est, pinguedo uero subtilior : propterea obesa animalia etiam uulgò adipem habere dicimus. Animalia uero quæ macilenta non sunt, & integra sanitate fruuntur,pinguedinem habere, & pinguia esse fatemur, non tamen adipem habere. Ideo pinguedo intra carnem, adeps in fine carnis existit. SEN. Seuũ quid est? BRA. Seuum,uel sepum,in ruminantibus adeps est in fine carnis. In sue sepum, sed ineptum etiã ad candellas, & axũgia seruantur: in renibus sumenda esse Dioscorides 2. lib. animaduertit. Seuum & adeps gelantur,non gelatur pinguedo. Tamen inter loquendũ quandoq; pinguedine,pro adipe, & adipe pro pinguedine utar, ut ferè recentes faciunt. At tu in officina pinguedinem ab adipe separatam habeas,quoniã pinguedo calidior, & minus humida est. Vbi autem magis humectare opus sit, adipem sume: ubi minus,pinguedinem. Nunc in usum uenit uitulinam pinguedinem seruare, ad circũlinienda catapotia,ne amaritudo sentiatur. Pinguedo ab Hispanis bordura nuncupatur: Galli uero gallinam' poule. Germani henn. Hispani ut nos uocãt: sed anas à Gallis canart,ab Hispanis anade, à Germanis ent dicitur. Appellãt uero Hispani anserem ansaron, Galli Oye, Germani bans: quod nomen apud Germanos antiquissimum est: nam Plinius cap. 22. lib. 11. banzam uocari apud Germanos anserem scriptum reliquit,ac si Plinius Germanum nomen declinaret à gans, quod quum ipsi proferũt,adeò asperè referũt. ut s,r, so-

nare uideatur. SEN. Taxi, ursi, ceruiq; pinguedines sequuntur. BRA. Non parum etiam refert an pinguedo ex iuniore, uel seniore animante sit. In his montibus tassorum, ursorumq; pinguedines à rusticis emes, priusquã discedamus. Vereor autem ne decipiaris, & aliã pinguedinem pro ursi pinguedine uendant, rustici hi montani, omnium rusticorum perditißimi, qui continuis factionibus sese mutuis necibus interficiunt: sed en occasio offertur, qualem uolebamus. Ab hoc rustico ursus interfectus est: pinguedinem emere quid prohibet? ut ex urso sumptã certi simus: deinde Ferrariæ Dioscoridis more aptabimus, seruabimusq;. Nec taxum illum uiuum prætermittamus, quem mulier funiculo ligatum habet, cum Ferrariæ unà comedemus, & pinguedinem seruabis. Dioscorides, Galenus, & Paulus huius animalis pinguedinem prætereunt. Constat autem plurimũ emollire. Cerui pinguedinem ut habeas curabo, quum Illustrißimus patronus HERCVLES ESTENSIS nunc nouus Ferrariæ Dux creatus, cui fata sequundent, ceruos uenatione defiget. Taxus animal est ferè in murium alpinorum genere, à quo Ferrariæ nobilißima Taxonorum familia nomen sortita est, in quo sunt duo ingentia uirtutis lumina Galeaceus patruus, & Nicolaus nepos, quorum minora non sunt Hercules, Camillus, & Alphonsus, de quibus aliàs. Galli ursum ours, Hispani ut nos, Germani beer uocant. Ceruũ uero Germani hirsch, Galli cerf, Hispani ciceruo nuncupare solent. SEN. Equi pinguedo sequitur. BRA. Curabo, ut hanc pinguedinem à Magnifico Petro Manfredo Mauro cognominato habeas, qui ea frequenter ad

Pinguedo ursi, & cerui.

Pinguedo equi.

ter ad equorum ægritudines utitur. Tamen ipſe pinguedinem comarum equi appellat, quia ex collo potiſſimum eliquat è quo comæ prodeunt. Germani equũ pfert, Galli cheual, Hiſpani ut nos cauallo nuncupant. SEN. Hirci pinguedo ſequitur. BRA. Et hanc Ferrariæ habebis: eſt enim hircus caprarum maritus, quem uulgò becho nuncupamus, & per ſimilitudinẽ eos homines bechos appellare conſueuimus, qui ſponte eorum uxores ab alijs uitiari ſinunt. Quippe omnia animalia ægrè ferunt, ſi cõpares ſuæ alijs iungantur, & pro hoc actu dimicãt, præter hircum. Quam ob rem inter Ferrarienſes inſtitutiones ſancitum eſt, ſi quis patiatur ſciens & uolẽs uxorem eius ab alio uitiari, ſupra currum ligatus, caput hircinis cornibus redimitum habens, per totam urbem ducatur, ut hoc probro uileſcat. A Gallis hircus boucq, ab Hiſpanis cabron, à Germanis bock dicitur. SEN. Caſtrati pinguedo præter dictas habẽda. BRA. Hãc etiam ne aliunde quæras quàm Ferrariæ. Agnus eſt dum puereſcit: quum creuerit, aries efficitur, ouium maritus: ſi caſtretur, ueruex dicitur: uos autem caſtratum nominatis. Dioſcorides modum ſeruandi lib. 2. docet, quamuis & alij ſint modi poſt Dioſcoridem inuenti. Galli caſtratum mouton, Hiſpani carnero, Germani ſemmel appellant. SEN. Hominis pinguedo ſequitur. BRA. De humana pinguedine exordiar, ſi in primis animaduertero caſtratorum pinguedinem à Galeno fœminæ aſſimilari, ut eandem ferè qualitatem habeãt pinguedo fœminæ, & caſtrati in ſuo genere: adeò ingẽtes uires nobis tribuunt teſticuli, qui in cauſa ſunt ut tauri nunquã aratro aſſueſcãt, niſi caſtrati.

Pinguedo hirci.

Pinguedo caſtrati.

Pinguedo hominis.

Pro humana autem pinguedine seruanda, quum suspensi alicuius sectio fiet, ut assequaris curabo. Quippe illi displicent, qui his detrahunt, qui ex homine medicinas parant, ut Alexander Benedictus, quoniam apud antiquos medicos cum Græcos, tum Arabes ex homine plures ad artem medicam spectãtes compositiones fieri colligitur. Adde hominem homini magis assimilari, quàm aliquod aliud animal: sed hæc aliàs disputanda sunt, & diffusis ac certis argumentis comprobanda. Nunc nunc etiã IOANNES SINAPIVS Germanus, uir omni bonarũ literarum genere refertissimus, & noster in naturali philosophia discipulus, libellum ostendit ueluti Enchiridion Botanologicon inscriptum, quem ueluti per transennam non quidem legi, sed una nocte uoraui. In quo libelli autor eos taxare uidetur, qui ex hominũ partibus quicquã in re medica faciũt. Sed ipsius pace dixerim, quũ humanæ partes per notas qualitates alicui ægritudini succurrunt, in his præsertim quæ exterius applicãtur, humanis partibus potius utor, quàm alterius animalis, & ita cuicũq; agendũ suadeo. Nomẽ autoris libelli Euricius cordus est, Simesusius, quem coràm ex facie noui quum Ferrariæ literis incumberet, in contubernio excellentissimi Vincentij Caprillis. Euricius uerè cordatus uir, longa experientia præditus: cuius libellum antequam ad hanc usque nostri laboris partem peruenissem, legisse optarem: quippe maximo mihi adiumento fuisset, præsertim in Germanis nominibus agnoscendis. Ad rem nostram redeuntes, Germani hominem mensch, Hispani hombre, Galli homme nuncupant. SEN. Serpentis pinguedo sequitur. BRA.

Pinguedo serpentis.

In hac

In hac pinguedine errores innumeros faciunt, & pharmacopolæ, & qui sine distinctione ordinãt medici. Nam uocabulũ serpẽs, omnia serpẽtia significat indiscrete, quæ innumera sunt, ut etiam Quintus Serenus, & plures alij antiqui, puerorũ uermes, & terrestres serpentes appellarint. SEN. Rari sunt qui hac pinguedine utantur: imò nunquã probos medicos ea uti uidi, sed agyrtas solum & ethologos. BRA. De pinguedine uiperæ apud autores sermo fit: de aliorũ serpentũ adipe nihil ferè legi apud quen quã probatũ, nisi apud Albertũ Magnũ, quẽ tamen non ausim, nec uolo inter probos rei medicæ autores numerare. Quũ igitur serpẽtis pinguedo simpliciter quæritur, uiperinũ adipẽ intelligendũ censeo, qui per decoctionẽ colligitur. Bononiæ pharmacopolas uidi, qui ex quocũq; serpentis genere (puerorũ uermibus, & terrestribus lũbricis dẽptis) indiscriminatim acciperẽt. Serpentẽ Galli couleuure, Hispani culebra, Germani schlamg uocãt. SEN. Sunt & qui leoninam pinguedinẽ in suis cõpositionibus, quas receptas dicunt, accipiant: sed an leonina sit, quam Venetijs emimus, ignoramus. Ideo in mea officina hanc habere paruipendo. BRA. Nec immerito, quũ rem ipsam an talis sit, ignores. A Germanis leuu, à Gallis & Hispanis ut nos lion, uel leon nuncupatur: primi lion, Hispani leon uocant. SEN. Nullis alijs pinguedinibus utimur, sed medullæ sequuntur. BRA. A Dioscoride autẽ & Galeno plures aliæ enumerantur rei medicæ necessariæ. SEN. De illis nihil ad nos, quum ea planitie, quæ in decliui uidetur, potiti erimus, medullas quibus utimur, enumerare incipiam.

Pinguedo leonina.

DE MEDVLLIS, QVARVM IN OFFICINIS VSVS EST.

BRASAVOLVS.

Medulla e cruribus sumenda.

EXPEDIT medullas, quibus uteris, enumerare. SEN. Id faciam, si in primis animaduertero medullas potissimum è cruribus accipi. BRA. Tamen Galenus undecimo de simplicium medicamentorum facultatibus, etiam spinalem medullam ex brutis colligi censet, & seorsum à medulla crurium seruari. Nempe medulla proprie crurum dicitur: est autem spinalis medulla durior, & siccior alijs: has seorsum collige, ut Galenus præcitato loco, & Dioscorides secundo libro docent, diuerso tamen ingenio. SEN. Prima medulla crurum ossis, cerui est: secunda, uituli: tertia, bouis. BRA. Et merito per hunc ordinem numerasti: quoniã Galenus & Dioscorides medullæ ceruinæ primum locum tribuunt, secundum uitulinæ, tertium taurinæ, & hircinæ: sub taurina bouilam comprehendimus. Germani medullam marck, Hispani tuetano uocant. Vitulus autẽ à Gallis ueau, ab Hispanis bezeron, à Germanis kalb dicitur: sed Galli bouẽ beuf, Hispani buey, Germani rindt appellãt. SEN. Agni medulla sequitur. BRA. Ferrariæ probatissimam habebis, ubi curabo ut ceruinã assequaris. Agnus ab Hispanis cordero, à Germanis lamb uocatur. SEN. Post medullas, pulmones sequuntur, de quibus statim agemus, si prius hoc flumẽ tranauerimus.

Medulla spinalis.

Medulla agni.

DE PVLMONIBVS ET TESTICVLIS.

SENEX.

NO TANTVM pulmone utimur nos pharmacopolæ. BRA. Ergo & uno corde. SEN. Imò nullo corde. BRA. Fortè nulla mente intelligis. SEN. Rem non accepisti. Intelligebam, nullius animalis cor, nostras officinas ingredi. BRA. Tui autem serui animalia sunt: igitur nec tuorum seruorum corda in officinis habe. SEN. Vtinam mendacium esset, & salibus tantum iocaremur, sed reuera meorum famulorum corda extra officinam sunt, quia amasijs & puerilibus deliramentis uacant. Ad rem uero proficiscentes, pulmonem uulpis solum medici recipiunt, & nostras compositiones ingreditur. BRA. Hunc pulmonem siccatum, potumq; suspirioſis mederi Dioscorides censet. Compositionem habetis ex hoc pulmone probam, & quæ suspirioſis magnopere prosit. Dioscorides & Galenus de pluribus pulmonibus unà scribunt, quos omnes ad attritus calciamentorum ualere iudicant. A Gallis polmon de renart, à Germanis fuchs lumgen, id est, uulpis pulmo nuncupatur. SEN. Vnius etiam animalis Testibus utimur. BRA. Cuius? SEN. Castoris. BRA. Et castorium dicitur ipse testiculus, ad tot in re medica ualet, quod (ut Galenus undecimo de simplicium medicamentorum facultatibus refert) Archigenes

Pulmo uulpis.

Testiculi castoris.

Amphibium.

integrum librum de ipso perscripserit: hoc animal Dioscorides amphibiũ appellat, quoniam & in aqua & terra uiuat, sed potissimum in aqua moratur, ob pisciculos & cancros, quos sedulè expiscatur, & quibus uescitur. Nos uulgò hoc animal biuaro nuncupamus. Galli Latinum nomen sequuntur castor, Germani à pelle, quam supra dorsum in cauda habet, ut oropygium in auibus, biber geil nuncuparunt. Receptum est, & adeò animis hominum impressum, ut nunquam dimoueri possit, hoc animal sibi testes amputare, quum uenatores eum sequuntur, quum nouerit causam quur insequantur, aut quia nobis inuidet, ne illam partem habeamus, propter quam illum insequitur. Fingunt autem recẽtes, quum eò deuentum est ut fugere nequeant, sibi eam partem amputare, quæ mali causa est: ut hoc ansam dederit pluribus amantibus, picturas ex hoc animali sibi fingere. Idem Plinius capite trigesimo octaui libri, quamuis tertio capite libri trigesimisecundi dicat medicorum uulgus id existimare. At Sextius medicus diligentissimus falsum esse obseruauit, imò adeò paruos & substrictos habere, & spinæ adhærentes, ut adimi non possint, nisi uita animalis simul adimatur. Dioscorides idem sentit non posse adimi, quoniam substricti & adhærentes sunt, quales sues habent, & nos hoc obseruauimus ter aut quater in uiuis fibris & mortuis: non sunt quales ab aliquibus Venetijs uenduntur: lutræ similitudinem habet, cauda solum differt, & habitu corporis: tamen & lutrarum testes ad eadem ferè ualent, ad quæ castoreum. In Ponto nascuntur, & in fluminibus aliquot Hispaniæ frequentes sunt, &

apud

apud nos ubi Padus mari iungitur. Quum annis proximis essem cum Illustrissimo Principe ALPHONSO duce Ferrariæ, circa loca eius maritima, ubi dicitur caput Gauri, uulgò Codegoro, in aquis castorem conspicatus pilosum piscem putabam, sed nautæ uenatores eum sequebantur. Vnus erat in prora contum ferratum habens, alij paulatim, nauem ducebant uersus eã partẽ, in qua fibrum submergi uiderant, quum fiber motu exterritus caput exereret, hic qui contum habebat, illum confixit, quem illustrissimo duci præsentarunt. Ego autem illum membratim dissecui, denique testes & paruos, & ferè dorso inhærentes inuenimus. Reperiuntur & eo loco lutræ, quamuis in Neapolitano agro frequentiores sint. Intra pelliculam castorei liquor est, qui cerosus esse debet, odore graui, & redolente uirus, gustu mordaci, & acri, friabilis. Ex uno principio, hi testes sunt. Vos autem pharmacopolæ nescio quid Venetijs pro castoreo ematis, quum facile apud nos haberi possit fiber: nec in Pontum, aut Hispaniam mittẽdum: eius morsum euitant insequẽtes, quoniam nunquam deserat, nisi perfracto membro. Ad alia pedem conferas. SEN. Olea sequuntur, de quibus statim agemus, quum alpes istas superauerimus. BRA. Imò ut uia breuior uideatur, inter eundum enumera.

DE OLEIS QVAE EX MINERA SUMUNTUR, & QUAE PER EXPRESSIONEM FIUNT, & QUAE IGNE PARANTUR.

SENEX.

OLEA quæ mineris innascuntur, & subterraneis meatibus, in hoc ordine carceres habent. BRA. Eorum nomina edoce. SEN. Petroleum, oleum de monte Zibio, oleum de saxo. BRA. De his ubertim in asphalto & naphta prædiximus, addi dimusq; petroleum ex regno Neapolitano adduci, è particulari loco, qui uulgò nuncupatur il Tocho. SEN. Ad olea igitur, quæ per expressionem fiunt, descendam, inter quæ in frequentissimo usu sunt, quæ ex amygdalis amaris, et ex dulcibus fiunt. BRA. De his in fructibus dictum est. Non pigebit tamen addere, quoad gustum perfectius fieri, si pellicula circundans dematur. Nec temperare possum, quin pinguiusculũ quorundam pharmacopolarum errorem detegam, qui ab ethologis oleum amygdalarum dulcium emunt, in uessicis portantibus, quum tamen oleum seminum lini sit. SEN. Id mihi diebus antè actis accidit: propterea statui deinceps nunquã emere, sed in officina expressis amygdalis parare. BRA. Para & alia, ut oleum seminum lini, oleum ex uitellis ouorum, quod falsò nonnulli pharmacopolæ cicatrices delere contendunt, ut oua à fatuis detrahant. Nunc tamẽ

Oleum amygdalarum amararum.

mulie

mulierũ usus est, ex hoc oleo facies decorare, aut simpliciter, aut alumine, saleq; gemmæ additis. SEN. Itaq; ex seminibus cucurbitæ oleum parabo, ex glandibus, atque nucibus. BRA. Oleum ex nucibus in usu medico non uidetur. HER. Saltem ad accensas lampades seruandas habendum. SEN. Tamen & multis ægritudinibus succurrit: quomodo fieri oporteat, Dioscorides secundo libro ostendit. HER. Quur aliarum nationum uocabula prætermittis? BRA Vt tibi maiorem geram, exarabo. Galli oleũ huille, Hispani azeytes, Germani oel, uel ol, e supra o, ponentes, et sono quodã inter o & e medio proferentes appellant: nuces ab Hispanis nuezes, à Gallis noys, à Germanis nusz uocãtur: linum Germani & Galli lin, uel Germanicè lein: Hispani ut nos lino dicunt: ouum œuf Galli, Hispani hueuos, Germani ayer nuncupant: oleum cucurbitæ ab Hispanis azeites de pepitas de calabacas, à Gallis huille de courges nominatur: glandes, Hispani bellotas, Galli glans, Germani eichel uocant. SEN. Persicorum oleum, & chrysomalorum sequitur. BRA. Ex horum seminibus oleum fit, non ex fructibus: tamen persicorum oleo rarò utimur, quoniam eius loco amygdalarum amararum oleum sumitur: quamuis ex persicis oleum exiccet magis, quàm ex amygdalis amaris. Per chrysomela autem quid intelligis? SEN. Fructus illos quos muniacas appellamus. BRA. A Germanis amarellem uocatur. Dioscorides in cotoneorum genere chrysomela numerat: colorem aureum, & suauissimum odorem habent, & per costas distincta sunt. Alij melimela esse, à melleo sapore, quæ à Varrone mustea appellãtur, propter

Oleum ex nucibus.

Oleum persicorum & chrysomalorum.

propter celeritatem miteſcendi: & re uera nullum pomum celerius miteſcit noſtro dicto armeniaco. In perſicorum genere, aut prunorum potius numerãda ſunt quæ armeniaca nuncupamus: quoniam, ut inquit Plinius, ex Armenia delata ſunt. Noſ uocabulũ corrupimus, & muniace quaſi Armeniace uocauimus, quæ Palladius inter perſica numerat: oleum ſeminum horum fructuum hæmorrhoidûm doloribus ſuccurrit, & à uobis pharmacopolis in hoc uſu tantum fit. Hominum ingenium, quod nunquam deſinit noua rimari, per uarias inſectiones, medias quasdam arborum ſpecies uel indiuidua inuenit, quæ nunquam excogitauit antiquitas: nos uulgò albercocco uocamus, fructus inter perſicum, & armeniacũ medios, cuius ſapor nonnihil etiam perſici repreſentat. Appellãt Germani perſicum pfirffenn. SEN. Glandis oleum ſequitur. BRA. Apud autores glans unguentaria reperitur, quam nos uulgò been Arabico nomine uocamus: balanus ab antiquis, & balanus myrepſica. De balanino oleo, Dioſcorides primo libro tractat, quod nos uulgò oleũ de been nuncupamus. SEN. Nunc de hoc oleo nõ loquor, ſed de oleo ex roborum glandibus facto. BRA. Eſto, Ferrariæ exprimes: nunc autem glandes in his montibus collige, ex robore tantum, non ex ilice, aut altera arbore, quamuis ſuas uires & hæ glandes habeant. SEN. Laurinum oleum ſequitur. BRA. De hoc in herbis ſcriptum reliquimus, ubi omnia, quæ ex hac arbore colligi oporteat monuimus. In his montibus baccas collige, quas ad oleum conficiendũ Ferrariæ exprimes. Sunt enim hic efficaciores quàm Ferrariæ: tamen frequentiſſimæ lauri

Oleum glãdis.

Oleum balaninum.

Oleum laurinũ

Ferrariæ

Ferrariæ uirent, & aliquot locis adeò Ferrariense solum amat, ut ferè sponte crescat. Vestalium uirginum pudicissimarum, probatissimarumq; cœtum nostra patria habemus, inter quas nonnullas sanctas numerare possem, Corporis CHRISTI sorores nuncupantur: claustrum habent, in quo adeò crescunt, pullulant, & multiplicantur lauri, ut uix recidentes agere possint quin ubiq; scaturiant, imò ipsis inuitis pullulant. SEN. Est'ne claustrũ illud, in quo Illustrissimi Ducis filia moratur? BRA. Illud est, in quo ELLEONORA ESTENSIS uirgo pudicissima, huius mundi illecebris sponte derelictis, uitã sanctissimã uiuit, & in continua Dei obsequia ducit, quæ ueluti morum specimen ac speculum, alijs optime, probatissimeq; uiuendi exemplar incõparabile tribuit. Ipsamet etiam patre prius inuito, qui filia unica spoliari nolebat, sese diuinæ speculationi, & CHRISTI obsequijs tradidit, & domina ac imperatrix aliorum imperio semet sponte subiecit. Sed pro hoc oleo Dioscoridem primo libro consule. SEN. Certe (ut de ipsa audiui) semper in melius proficit. Oleum de spica sequitur. BRA. Apud uos duplex oleum de spica reperitur: odoratum unum, alterum simpliciter de spica nuncupatũ: sed apud antiquos odoratum solùm de spica reperitur, quod nardinum uocant: apud nos confectum suauiter non olet, quoniam ex herba uulgò dicta lauandula, & non ex nardo fiat. Sunt nonnulli qui lauãdulam nardum Gallicam credidere, imò Genuæ multi ex lauandula nardinum oleum magno errore parant, quum apud ipsos uera nardus sit. Alij quum lauandula ab indigenis aliuca nuncupetur, saliuncã apud

Oleum de spica.

Oleum nardinum ex lauandula.

antiquos esse existimarunt. Alij libanotidis coronariæ speciem censent. Oleum, quod apud nos fit, uiride est: si autem ex Gallia deferatur, aut ab aliquibus Genuensium officinis, flauescit, & magis redolet. Diuersis modis conficitur, per expressionem seminum, ui solis, aut ignis: sub terra ad statutum tempus in uitreato uase conditur, ut Nicolaus in eius antidotario præcipit. SEN. Oleũ myrtinum sequitur. BRA. De hoc à Dioscoride primo libro, & myrteum uocat. SEN. Sesaminum oleum sequitur. BRA. Sesamum in Græcia & Aegypto frequentissimum est, imò nullum alterum oleum in cibis & usu habent Aegyptij. Græci & oliuarum oleo, & sesamino utuntur, sed ad dulcorandum panem sesamum addunt. Plinius libro decimooctauo, capite septimo, illud tractat, & eius effigiem pingit. Dioscorides uires tantũ tractat, arundinem habet ut milium, sed ampliorem, & radicem numerosiorem, quàm milium: caulis est ferulaceus, propterea solum uehementer emacrat: foliaceum florem habet, & grana eius in siliquis distincta sunt, ut lupini. Candida grana magis probantur, & dulciora sunt: ex his granis expressis Dioscoridis more primo libro, oleum fit, in medico usu & coquinario. Antiquitus in Italia serebatur, ut Columella scribit, & Plinius, sed nunc non solum non seritur, imò nec noscitur. Non desunt autem qui putarint grana quædam quæ in Ferrariensi agro nuper seminari cœpere, ad oleum parandum, sesamum esse: & re uera optimum oleum ex illis granis efficitur, quo Magnificus Albertus Bendedeus utitur: tamen nec caulem, nec florem sesamo similem habet, sed syluestri raphano

Oleum myrtinum

Oleum sesaminum.

phano potius. Promiserat Illustrissimus ALPHONSVS Ferrariæ Dux, ex Græcia sesamum haberi, curare. At morte præuentus non potuit. Verùm Illustrissimus HERCVLES Dux nuper electus patris promissa reintegrauit, spopondítq; in Bondonij campis latum agrum daturum, ut seratur: nam summè terram emacrat: sed Bondonij campi luxuriant magis quàm oporteat, & lætissimè ac fertilissimè cultoribus respondent, ut facile exhauriri non possint. hæc de sesamo satis: nunc ad alia te uertas. SEN. Olea, quæ per expressionem fiunt, expedita sunt: ea sequuntur, quæ igne paramus, & à Iuniperino scheda nostra initium sumit. BRASA. Ex iuniperi ligno hoc oleum dupliciter fit, aduersus pestilentem morbum apprime ualens. In duplici uase conficitur, quorum alterum perforatum in altero sit, & igne circundetur, ut recentes docent: fit etiam ex iuniperi baccis, sed per expressionem, ut alia quæ ex seminibus parari Dioscorides monuit. A Gallis iuniperus genesure, ab Hispanis genebro: à Germanis wachelderbeer, id est, baccæ Iuniperi: uel krommetbeer, id est, baccæ turdorum nuncupantur. SEN. Tartari, atque sulphuris olea sequuntur. BRASA. Et hæc ui ignis fiunt: in tua officina Ferrariæ assequeris. Sulphur Galli soufre, Hispani enxufre, Germani schuestel uocant. SENEX. Vitrioli oleum accedit. BRASAVOLVS. In Chalcantho oleum fieri admonuimus, quod non solum homines, sed & arbores interficit: ideo in secessu parandum, ubi nullus habitet. Albucasis & alij recentes modum conficiendi ostendunt. Sat est nobis ueluti per

Oleum iunipe rinum.

Oleum tartari & sulphuris.

Oleum ui trioli.

transennam res ipsas ostendere, & quum occultæ sunt, detegere. Conficiendi uero modum à recentibus discas, ne ab ipsis eorum labores sumere uideamur. SEN. Terebinthi oleum occurrit. BRA. Nos alio Terebinthino oleo utimur, quàm antiqui fecerint: quippe ex terebinthina, imò potius ex laricina, ui ignis oleum educimus multis ægritudinibus aptum. Antiqui uero (ut Dioscorides primo libro ostendit) ex Terebinthi seminibus parabant, eo modo quo myrti semina ad oleum exprimuntur. Nos terebinthi seminibus caremus. Ideo illud quod ui ignis fit, ex uera terebinthina, non ex laricina habere curabis. SEN. De oleis expeditum est. BRA Cur oleum ex maturis oliuis & immaturis prætermisisti? tamen per expressionem fit. SEN. Quoniam Ferrariæ copiosè habeo. BRA. Adde in fructibus pertractatum esse: miror autem cur tam pauca olea seruetis. SEN. Plura in usu non sunt. BRA. Ad cicatrices delendas, uel potius remittendas & emolliendas, terebinthinum oleum summè proficit, his demptis quas uarioli reliquere. SEN. Ego autem singulis annis ad uariolorum stigmata eius oleî copiam uẽdo. BRA. Decipiuntur qui pro uariolis emũt, ut experiri licuit in Magnificis cõpatribus Renata Subisia Galla uirgine pudicissima, & Comite Bonifacio Bi uilaqua nobili egregio: hi enim simul cum Magnifico Federico Quaino Lucretiam natam ad undam baptismatis eleuarũt, Anno à CHRISTI ortu M. D. XXXIIII. decimoquarto Calendas Octobris: quæ in lucem prodierat quinto Idus Septembris, sed hæc omittamus, quæ ad rem nostram nihil faciunt. Interim alia prosequaris.

Oleum Terebinthinum.

SEN.

SEN. Nihil aliud in mea scheda reperitur ad officinam nostram necessarium. BRA. Vbi olea reliquisti, quæ ex floribus & herbis fiunt? SEN. Hæc data opera omisi, quoniam Ferrariæ in mea officina optime paro. BRA. Erant & illa numeranda, ne quicquam hic scriptum desideretur. SEN. Nihil antiquius mihi esset, quàm hæc tecum dulci colloquio discutere, ut nostris simplicibus medicamentis nihil desit inconsultum. BRA. Iam urbis mœnia uideri incipiunt, & summa turris Rigibelli cacumina apparent. Pilea quatiamus, ut ab hoc ingenti puluere liberemur. SEN. Domi commodius fiet, quippe decet peregrinum hominẽ multo puluere aspersum esse, eum præsertim qui ex horridis montibus descenderit. BRA. Cras ad te diluculo accedam, ut olea omnia ex herbis & floribus, quorum in officinis usus est, recenseas, ne quicquam nostro sermoni, de his quæ in quotidiano usu tractatis, deesse uideatur. SEN. Vt compositiones recta trutina expenderes, optarim. BRA. Hoc acturus sum, & iamdiu cœpi: tibiq; pro nostra antiqua & recenti amicitia satisfacere decreui, composita omnia ad antiquorum compositiones comparare, & ubi recentes sunt aliquæ compositiones, eas per componendi normas examinare. Nunc autem uale, & olea omnia, quæ in officinis habetis, simul collige. SEN. Id lubentissime faciam, nec graueris ad me tẽpestiuè accedere, quoniam ego, expeditis nonnullis ero tecum in prandio.

BRAS. Interim igitur uale.

DE OLEIS QVAE EX floribus & herbis fiunt.

SENEX.

SALVVS sis mi Antoni Musa: Superior nox annus uisa est, quippe uehementer opto præcitata olea enumerare, & recta trutina speculari. Olea in primis scripta sunt, quæ ex herbis, aut floribus infusis, postea expressis fiunt, quorum primum Rosatum est. BRA. Non est opus ea enodare, quæ ab alijs autoribus ad libellam tradita sunt. Dioscorides primo libro modos conficiendi oleum rosatum uel unguentum (ut ipse uocat) ostendit, à quo Mesue omnia ferè sumpsit. Tu hos autores insequeris, & completum Mesue, & non completum præparabis: nec ex Omphacio parare despicias. Ad hæc autem agenda, olea sumes graui odore minus affecta: nam illi profectò delirãt, qui ex amurca olea conficiunt. Tu ex perfectißimo oleo facies, quod floris, aut herbæ odorem uehementius seruabit. Idem oleum rosaceum, ex oleo sesamino fieri posset, & ita Aegyptij faciunt: uerùm sesamino oleo caremus, propterea ex oliuarum oleo paramus. Illos tamen non laudo qui ex amygdalino facere tentant. SEN. Oleum uiolatum sequitur. BRA. Eadem ratione fit, nisi quia in oleo amygdalarum dulcium parari conuenit, & tunc eo potißimum in pectoris ægritudinibus utimur: sed ex oleo oliuarum inflammationibus etiam succurrit. At

Oleum rosatũ.

Oleũ uiolatũ.

unum

unum ambiguum est, in quo nonnunquam pharmacopolas disceptantes audiui, quid ad conficiendum oleum sumendum sit, flores an herba. Nos simpliciter in oleo florem poni oportere certi sumus. Nec te prætereat & si in his oleis per infusionem factis flores & herbæ exprimantur, proijcianturq;, nihil impediri etiam si in oleo continuè relinquantur. SEN. *Oleum de absinthio, & chamæmalinũ sequũtur.* BRA. *De absinthio ex herba, chamæmalinũ ex floribus perficitur. Illos autem inepte operari arbitror, qui ex parte lutea separatim, et ex albis fõliolis olea diuersa parant: quũ potius ex herba & floribus seorsum parãda sint.* SE. *Anethinũ, liliorũ alborũ, et rutaceũ sequũtur.* BRA. *Anethinũ, & rutaceũ ex herba fiunt, quæ perfecta sit, & præsertim cacumina sumenda: rutaceũ apud Mesuẽ fit, myrtini more. Tu Mesuẽ & recentes legas, qui uarijs modis cõficiũt, de quibus seorsum agemus: sunt enim qui succũ addãt, & qui minime, et qui igne bulliũt, et qui feruoris solis relinquãt, & qui utrũq; agant, ut per aliquot dies solis radijs calefiãt, postea igne perficiãt. Nos simul uno uolumine modos oẽs parãdi olea edocere cœpimus, plures alios à Chymistis inuẽtos addentes. At oleũ liliorũ alborũ multis modis fit: nam cõpositũ reperitur, quod recipit masticem, calamũ aromaticum, carpobalsamum ad quantitatem unius unciæ, pro quolibet, garyophylla, cinnamomum ad quantitatem semiunciæ, croci ad quantitatem trium drachmarum, fõlia liliorum alborum, id est, florum fõlia, ad quantitatem nouem unciarum. Deinde in uitreo uase condantur, & duas libras perfecti olei oliuarum superinfunde, & è regione*

Oleum absinthium & chamæmalinum,

Oleum anethinum et rutaceũ

Oleum liliorũ alborum,

radiorum ſolis per quadraginta dies ſerua: denique expri me, & pro exquiſito uendes. Non deſunt qui hoc uocent oleum liliorum ex ſpeciebus: quum potius compoſitio ſit, quàm inter ſimplicia medicamenta numerandum. Sim plex autem eo modo fit, quo & alia ſupradicta, ut recen tiores oſtendunt, quippe qui plura antiquorum oleis, ex= perientia ducti addidere. SEN. Oleum de menta, & de maiorana ſequuntur. BRA. Ex menta, & menta= ſtro ſeorſum fieri poteſt, & noſtræ etiam mulieres ad ro borandum uentriculum ex Florentina menta conficiunt, quam nonnulli ſiſymbrium arbitrati ſunt. De amaraci= no oleo eadē ratio eſt, quamuis Dioſcorides duo unguen= ta parari iubeat: unum amaracinum, alterum ſampſuci= num, appellans. Amaracus perfectiſsimam & probatiſsi mam ſpeciem habet, quam ex Galeni ſententia in antido tis marum appellari cenſeo: eam autem eſſe iudico, quam nos gentilem, id eſt, nobilem maioranam uocamus, ſua= uius ſpirantem alia. Ex hac igitur, & altera minus odo= rata olea ſeorſum parare ſtudebis. SEN. Oleum nenu= farinum ſequitur. BRA. Ex ambabus nymphææ ſpe= ciebus, alba inquam & lutea, ſeorſum olea cōficere opor tet: ex omphacio potius, quàm maturo oliuarum oleo, quoniam frigiditas in eo expetitur. SEN. Oleum de cheiri ſuccedit. BRA. Arabes, imò potius recentes uo= cabula peruertere: nam quod Græci leucoion, ipſi cheiri appellāt, eſt autē ad oēs uiolas cōmune nomē: tamen uſus fecit, ut ex luteis tantū & albis eodē modo paretur, quo de alijs docemur, & recentes oſtendunt. SEN. Oleū de ſambuco occurrit. BRA. In his nominibus recentiores

Oleū de menta & de maiorana

Oleum amara= cinum.

Oleum nenufa rinum.

Oleū de cheiri

Oleum ſambu= cinum.

longe

longe aberrarunt, sambacinum, & sambucinum: primum oleum ex iasminis significare uidetur, quoniam sambac aut zambac apud Serapionẽ Ieseminum sit: aliud ex sambuco, sed de hac re in floribus exquisitius tractauimus. Nunc sambucino, id est, ex sambuco facto, sunt qui ex floribus parent, alij ex acinis, quos non despicio, sed ex floribus potius factum eligerem. Eos autem non probo, qui ex interiori medulla cõficiunt. SEN. Oleum de cochijs accedit. BRA. Pulcherrima herba est, & theca, qua semina cõduntur, pulcherrima. Echinus uidetur, præcipuis etiam uiribus insignitur: tamen apud antiquos nunquam reperitur herba cochia: nam à uesicariæ generibus longe abest, si quis omnes recte perpendat. Quod autem à recentioribus momordica appelletur, ad antiquam cognitionem nihil facit. Oleum uarijs modis paratur, & per infusionem, ut prædicta, & sub terra per multos annos defossum, & per coctu ram, fitq; ex echino, fõlijs seorsum & seminibus. SEN. Quibus proficit hoc oleũ? BRA. Quod sub terra conditur, uenarum hemorrhoidalium doloribus succurrit. In genere id oleũ omnes dolores sedat. SEN. Oleum de papauere sequitur. BRA Et si multæ sint papauerum species, una sola potissimum utimur, albo inquam papauere. Ex hoc oleum conficitur, quamuis & ex nigro dormitioni aptũ parari possit. Quippe eo temporibus inunctis, naribus'ue sublinitis, pro meconio uti poterimus: ex seminibus fit, quũ & ex floribus fieri conueniat. SEN. Oleum irinum sequitur. BRA Ex iride fit hoc oleum, sed uario modo: nam aliqui ex radicibus, alij ex floribus parant. At in communi ferè usu est, ex

Oleum de cochiis.

Oleum de papauere.

Oleum irinum.

radicibus floribus additis in duplæ portione, & aqua decoctionis radicum: deinde oleum sesaminum, aut maturarum oluarum infundunt. Denique in uitreato uase bulliunt, itaq; uarijs uicibus permutando faciunt, ut in oleo rosaceo Dioscorides, & post ipsum Mesue ostenderunt. SEN. Oleum de hypericon sequitur. BRA. Rutam syluestrem ab antiquis, etiam ascyron in herbis appellari monuimus. Recentes ex foraminibus, quæ in foljs uidentur, si è regione solis, aut lucis alterius conspiciatur, perforatam uocant. Id oleum uarijs modis conficitur: sunt qui in uitreatum uas flores simpliciter ponant, & per se ui solis oleũ educi sinant: alij sub terra condũt, alij infundendo parant. Sed hi duobus modis utuntur: uno, ex solis floribus, altero, pluribus mixtis rebus in hũc ferè modum sumentes cacumina ascyri, id est, à nobis uocati hypericonis ad quantitatem trium unciarum, & in uinum odoratum infundũtur, trium dierum & noctium curriculo: mox duplici uase optime obturato bulliat, deniq; exprimantur, & abijciantur cacumina, in eodemq; uino, eandem quantitatem cacuminum ascyri infundito totidem diebus ac noctibus: postea adde terebinthinæ uncias tres, olei ueteris uncias sex, croci scrupulum unũ. Misceantur hæc, & in duplici uase (ut inquiunt) coquantur, quoad uinum euanescat, postea in uitreato uase, uitreo'ue seruato. Verùm nõ est opus hæc longius enarrare, quum à Mesue & recentibus luce clarius ostendãtur. SEN. Equidem harum compositionum pleni codices sunt. BRA. Imò & ad composita medicamenta potius spectant, de quibus post simplicia agere promisi, nec promißis

Oleum de hypericon.

promißis frustraberis: nihil enim gratius habeo, quàm bonis uiris inseruire: imò & olea quæ simplicia sunt, id est, ex oleo & flore uel herba inter composita medicamenta numerabuntur. SEN. Olea nunc sequuntur, quæ per decoctionem & ui ignis fiunt. BRA. Omnia per decoctionem & ui ignis fieri possunt. SEN. Verum est. At in subscribendis, usus ignis potißimum requiritur. BRA. Subscribas cito. SEN. Oleum de spica nardi. BRA. Quod ex Gallia affertur, emere suadeo: ex India raro comportatur: apud nos ineptum est, & non ex nardo, sed potius ex dicta lauandula fit, quod nonnulli balsaminum uocant, & pro opobalsamo utuntur. SEN. Oleum de citonijs occurrit. BRA. Ex ipso pomo, & floribus etiam fieri potest. SEN. Oleum de mastice accedit. BRA. Hoc cum uino fit, & sine uino, & ex oleo sesamino, & ex rosaceo. SEN. Oleum de scorpionibus sequitur. BRA. Et hoc duplici modo fit: ex scorpionibus & oleo, in quo suffocati sunt, & per triginta dies in sole seruati. Alter modus aristolochiam, gentianam, cyperum, corticem radicis capparorum, & oleum amygdalarum amararum recipit: quod potius cõpositio est, quàm simplex oleũ, urinam mirifico proritans, si pecten ungatur. Galli scorpions, Hißpani scorpiones hoc animal appellant. SEN. Oleum uulpinum accedit. BRA. Ex uiua & integra uulpe ab aliquibus paratur, quã in oleo animam reddere cogunt. Id non probo, utpote stercora & urinam recipiens. Alij interaneis ablatis ex oleo faciunt, quos probo. Galli uulpem regnart, Germani fuchs uocant. SEN. Oleum de piperibus accedit. BRA. Com

Oleum de spica nardi.

Oleum balsaminum.

Oleum de citoniis.

Oleum de mastice.

Oleum de scorpionibus.

Oleũ nulpinũ.

Oleum de piperibus.

positio ampla est, non simplex medicamentum. SEN.

Oleũ myrtinũ. Oleum myrtinum sequitur. BRA. Myrtinum suprà Dioscorides ex expressione baccarum fieri admonuit, sed alter modus est per decoctionem aut infusionem. SEN.

Oleum de capparibus. Oleum de capparibus accedit. BRA. Et hoc inter composita enumera, quoniam ex corticibus radicum capparum, iride, agno casto, tamarisco, uino, & oleo fit. Nuper ex capparum floribus paratur, quoniam Ferrariæ plantari cœpere cappares, & prodeunt: lienis durities mirifice soluit. SEN. Oleum de castoreo occurrit. BRA.

Oleum de castoreo. Per decoctionem fit. SEN. De euphorbio accedit.

Oleum de euphorbio. BRA. Dum fit, summopere cauere oportet, ne euphorbij puluis os ingrediatur, & in ebulliendo fumus euitandus. Fit ex hoc genere compositum & simplex, eadem ratione & de castoreo. SEN. De lumbricis terrestribus oleum sequitur. BRA. Et hoc præter lumbricos alia recipit: quamuis & simplicissime etiam paretur: quam ob rem Mesuem & recentes in his parandis speculeris.

Oleum de lumbricis terrestribus.

Oleum lacertarum. SEN. Oleum lacertarum postea occurrit. BRA. Ex lacertis simpliciter, eo modo quo ex scorpionibus parari nouisti: quod duplex est. Vnum, ex communibus lacertis, quæ per domos nostras & parietes uersantur. Alterum, ex uiridibus lacertis, quæ Latinè stelliones, uulgò leguri dicuntur, & hoc ex uiuis lacertis ab aliquibus fit, ab alijs ex mortuis & exenteratis, ne stercora oleo inna tent. Lacertas Galli lezard, Hispani lagardixa, Germani eidex uocant. SEN. Costinum oleum sequitur. BRA.

Oleũ costinũ. Inter composita numerandum est, quoniam recipit costum, cassiam, sampsuci cacumina, uinum, & oleum sesaminum

minum: nunc uero in tua officina hoc oleum parare desinas, quia costo caremus: nam radix ea, quam pro costo uendũt pharmacopolæ, à costi notis distare, Dioscorides & cæteri antiquiores suis descriptionibus ostendunt: tamẽ facile est ex Arabia Venetias ferre costum, facilius ex India, facillimũ ex Syria: plurimũ odorẽ habere oportet & eximiũ, quali caret costũ uestrum: nec candidũ est, gustú ue mordicat, ut uerum costum facere oportet. His autem omißis ad alia te conferas. SEN. De oleis expeditum est, quæ in officinis habemus, nisi aliquod incuria omiserimus. BRA. Plura tamen alia ab autoribus scribuntur. SEN. Hæc solum in usum uenere: quamuis & à Mesue alia quædam scribantur: quicquid sit, idem ferè modus est omnia componendi: & recentiores chymistæ nouos quosdam modos inuenere, quos partim ore, partim in suis editis uoluminibus didici. Verùm quum hac nocte omnia quæ nobis accedere, perpẽderem, & collecta simplicia mentis acie contemplarer, nonnulla in mentem uenere, omissa quidem, sed necessaria, ut Scylla. BRA. De hac in succis diximus. SEN. Testudines. BRA. Quadrupedia sunt nobis notißima, uel ex nemoribus, aut mari capiantur. Marinæ testudines pedes habent ad ambulandum ineptos, quippe alæ uidentur, quibus pro remis utũtur: quas nos marinas dicimus albo cortice tectas, & nigris quibusdam signis uermiculatas, ex mari non sunt, sed maritimis nemoribus, & sabulosis. Nostra autem nemora, & fouearum aquæ nigras faciunt. Marinæ rarißime à nobis uidentur, id est, quæ ex mari nõ maritimis nemoribus, quia has frequentißimas habemus. Annis supe-

Testudinum summaria consideratio.

riioribus Magnifica Eleonora Fliſca unam uerè maritimam habebat, & ingẽtem, quæ pedes in modum alarum ad natandum habebat, ad greſſum ineptã. Gallanæ à nobis, ab alijs tartugellæ, à nõnullis biſcæ ſcutellariæ uocantur. SEN. Etiã leporinis pilis utimur. BRA. Quid opus eſt rem tam notam deſcribere, quam Galli lieure, Hiſpani liebre, Germani haſz uocãt, & haſz harſz, id eſt, leporis pilum? de his finiuiſſem, niſi in mentem ueniſſet, ſummos philoſophos ſcriptũ reliquiſſe lépores promiſcui generis eſſe, quod etiam cuniculis & paſſeribus adſcribũt. Nos autem manifeſtiſſime in his marem & fœminã deprehendimus, quippe inſtitutũ eſt nobis, omnia quæ poſſumus, experiri, nulli ſumptui, nec labori parcentes, in his præſertim quæ ſupra humanam rationem ab antiquioribus ſcribuntur. SEN. Caligine etiam utimur. BRA. In unguentis potiſſimũ, fuliginis (ita enim Latinè uocatur, non caligo) uſus eſt. Fumi pars eſt, quæ parieti inhæret: quippe fuliginem fumum craſſiorem condenſatum uocamus, Germani rueſt. SEN. Ballæ marinæ, & ſpõgiæ etiã in mentem uenere. BRA. Idem ferè eſt harũ rerum uſus. Marinæ ballæ, uel pilæ magis nuncupandæ, arefacientem naturam habent: quid ſint, nuſquã apud antiquos reperi. In ſpongiarum genere eas repono, quãuis zoophyta non ſint, id eſt, inter plantas & animalia media, qualia ſpongiæ ſunt, ex maris ſpuma ad littora colliſa, & cuiusdam herbæ minutiſſimis feſtucis fit. Nõnulli ex fractis ſpõgijs & ſpuma, alij arte faciunt ex glutino & taurinis pilis, ignaros pharmacopolas decipientes. Ita fit maris impetus in maris æſtus: in minimas feſtucas herbã reddit, &

In leporibus mas & fœmina reperti.

Fuligo quid.

Ballæ marinæ.

ad lit

ad littora detrudit, quæ mixta ſpumæ conglobantur, & ob motum ſupra littus ex fluctu collidente in gyrum tendunt, & pilæ formam. Ad ſpongias accedamus. Apud antiquos tria tantum ſpongiarum genera inuenies, quæ per marem & fœminam, per denſum & molle diſtinguuntur, & ſuis nominibus appellantur, tragos, manæ imauos, Achilleum. Tragos ſpongia eſt ſpiſſa, dura & aſpera in marium genere: manæ imauos: minus ſpiſſa & mollior eſt: achilleum, tenuis eſt ſpongia, denſa, ad penicillos apta. Mas fiſtulas habet minores, fœmina latiores, quoniam per illas fiſtulas nutrimentum ſumunt. Nos uarias ſpongiarum diſtinctiones habemus, quas antiqui aut non nouere, aut data opera reliquere, utpote quæ in ſuis cõtineantur. Nos enim coloribus, figura, & magnitudine diſtinguimus. Dioſcorides albam fieri arte docet libro quinto, imò candidam, ſi molliſſimè inuerſæ, id eſt, parte cõcaua ſurſum ſpectante, lanuginoſa maris ſpuma aſpergantur, & inſolentur, etiã ſi nox calida ſit radijs lunæ ſupponitur, eadẽ maris ſpuma, quã ἅλὸς ἄχνην uocant, aut marina aqua cõſperſæ. Plinius de ſpongijs omnia ferè ſumit, quæ ab Ariſtotele quinto de animaliũ hiſtoria ſcripta relinquuntur: figura diſtinguimus, & magnitudine, quoniam aliquæ oblongæ, aliquæ minus, aliquæ latæ, aliæ rotundæ, aliquæ craſſæ, aliæ ſubtiles, aliquæ tuberoſæ, aliæ planæ. Subtilioribus, mollioribusq; ſpongijs ad fõmenta utimur, ſicuti antiqui Rhodiacis ad eadem, quia molliores: & pro dilatandis uulneribus, his utimur ex terebinthina, ad alia uero craßioribus, & aſperioribus: maioribus ad ciſternas utimur, ut aqua purior

Spongiarum apud antiquos tria genera.

descendat. Nonnulli pharmacopolæ pro spongia re quadam utũtur intus lanosa, quam aliqui maris spumam arbitrantur: quoniã apud Dioscoridem, ἁλὸς ἄχνη, id est, maris spuma, spumosa maris lanugo dicatur. At re uera non est maris spuma, quam pro illa sumitis. Quandoque arbitratus sum urticam marinam esse, quoniam si aperiatur, internæ partes manum urunt ueluti urtica herba: quod in antiquiori ægrius, in recenti uehementius fit, ut in urtica herba etiam contingit: facillimum est spumam maris habere circa scopulos collisam. At re ad libellam perpensa, quid esset id à uobis spumam maris appellatũ spongiæ figuram habens præduræ, aut pumicosum, inueni. Nam Dioscoridis, Galeni & antiquorum alcyonium esse certe constat. SEN. Quod igitur à nobis spuma maris dicitur, apud antiquiores alcyonium est? BRA. Equidem. SEN. Gaudeo plurimum apud me alcyonium latêre, quod diu uidere optaui. BRA. Sed aliqui nostrûm, primam speciem habent spongiæ similem, alij quintam speciem, quæ pumicosa est. At seorsum haberi debent, quoniam, ut Dioscorides refert, uarijs rebus accommodantur. Plinius quatuor genera solum enumerat, & in aliquibus à Dioscoride dissidet. Illi errant (non tamen summè, quia hæc omnia exiccandi uim habent) qui alcyonium antiquorum, id est, ab ipsis uocatam spumam maris, pro uera spongia sumunt. SEN. Nescio unde ortum sit, quod nos alcyoniũ spumam maris appellemus. BRA. Ego autem scio: uos pharmacopolæ barbaros potius imitamini, quàm probos autores. At Serapio capite 388. de Alcyonio tractat sub hoc nomine spuma maris: quod uidere

Spuma maris.

Alcyonium.

dere licet, illum Dioscoridi & Galeno conferentes. Nam eædem species & eædem uires à Serapione in spuma maris assignantur, quæ à Dioscoride & Galeno in alcyonio. Propterea eius interpres in illius capitis lẽmate potius de alcyonio, quàm de spuma maris scribere debebat, quippe Serapionis nomen est zebethalbahar: fuit ergo in causa, Serapionis interpres, ut uerum alcyonium, spumam maris appellaretis. Tamen Dioscorides ab indigenis etiam Bembici Insulæ Propontidis, alcyonium ἅλὸς ἄχνην, id est, maris spumam nuncupari dicit: & re uera ex spumæ collisu fit. SEN. Audiueram alcyonium cuiusdam auis nidum esse. BRA. Ita nuncupatur, quoniam alcyones aues, maris tranquillitatem, & summam malaciam ostendentes, earum nidos illis ferruminant: propterea & tu prius decipiebaris, & alij qui putant alcyonium nunquam uidisse, quod singulis diebus tractant. SEN. Idem igitur sunt, salis spuma aut maris spuma, & alcyonium. BRA. Non idem, sed diuersa, imò ab autoribus diuersis capitibus tractantur: tamen ab eodem principio nasci, & in uiribus quodammodo conuenire certũ est. Quam uero maris spumam nunc appellatis, & pro illa publicè uenditis, alcyonium est, & non maris spuma. Ad spongiam redeuntes, Plinius sui temporis medicos uellicat libro tricesimoprimo, cap. ulti. qui ad duo nomina spongias reddidere: ad Aphricanas, quarum firmius sit robur, & Rhodiacas ad fouendum molliores. Nos uehementius conqueri oportet, quoniam nostro æuo medici & pharmacopolæ ad unum, nomen reddidere, communissimum inquam: nam quum spongijs indigent, nihil

aliud instituunt, quàm spongia una aut duæ recipiantur. Nonnullos tamen demo, qui molle & asperum addunt. Ex Græcia, Illyria, & orientalioribus partibus Venetias afferuntur: tamen & in nostro mari spongiæ nascũtur, sed minores. Nos spongias prope Comaclium paruas quidem, sed ualde molles collegimus saxis inhærentes. Non desunt, qui lanuginem quandam supra ostreorum conchas innatam pro spongijs seruent, & ea quum opus sit, utantur: quum potius muſci marini genus sit, quàm spongiæ, imò è contrario intra spongias ostreæ, pisciculi, & lapides inueniuntur, ostreis & pisciculis nutriuntur. In tua officina omnes spongiarum species habeas. A nobis plures spongiarum differentiæ uisæ sunt, quàm ab antiquis enumerentur. Studebimus interim species omnes oculata fide secernere, & quibus locis inueniantur: lapidem quoque, qui intra spongias natiuus reperitur, habere oportet, nempe uesicæ calculos minuit. Ob id Plinius libro 36. capite 19. cysteolithos uocari censet, quia uesicæ medetur. Serapio tamen de hoc lapide agens capite 16. eos reprehendit, qui ad lapidem uesicæ ualere prodiderunt: imò, inquit, renum lapidi tantum occurrit. Tamen in calce eiusdem capitis palàm sibi aduersatur, inquiens, & lapis in spongia inuentus, contra lapidem uesicæ cum uino sumptus ualet. Deniq; illud addam, antiquos medicos affirmare, nusquam diutius spiritum durare, quàm in spongijs: propterea qui pestilenti morbo affectos curant, spongia aceto aspersa circa nares & os ponunt, ne infectum aërem trahant: & ad alia plura antiqui spongia utebantur, ut ex ipsa spiritum traherent,

non

non ex libero aëre, ob aliquam infectionem. Quod genus remedij apoſpongiſmon uocabant, præſertim Archigenes, & re uera in peſtilenti morbo, & epidemico, nihil excellentius. Reliqua proſequaris. SEN. Hactenus omnia ſimplicia ad unum uſque enumerauimus, quibus in officinis utimur: niſi unum aut alterum incuria mente exciderit, aut diligentiam noſtram effugerit. Ne tibi graue ſit, mihi opportunum uideretur Compoſita incipere. BRAS. Nunc moleſtus non ſis: quippe id lubentiſſime agam, quod ſpopondi, & quod iamdiu cœpi. Paucis quibuſdam negotijs expeditis, perficiam: quum enim operi manum dabimus, nunquam amouebuntur, priuſquam in calcem peruentum erit. SEN. Hactenus optimus deus te incolumem ſeruet: officinam meam uiſitabo, & collecta medicamenta ſimplicia ſuis loculis diſponam. BRA. Bonis auibus recedas. HER. Ergo perdicibus & faſianis recedet. BRA. Cur ita? HER. Quoniam bonæ aues ſunt. BRA. Eo intellectu, turdis & coturnicibus etiam recedendum erat.

HERB. Et illis.

BRA. Igitur deo comite recedatis.

FINIS.

Aristotelis Pro

BLEMATA QVAE AD STIRpium genus, & oleracea pertinent.

CVR aquam salsam apium recipit, porrum recusat? An quòd alterius radix imbecilla, alterius ualida est. Impatibilius autem, quod ualidius.

Cur in prouerbio est, Mentam belli tempore, neq; edito, neq; serito? An quia menta refrigerare corpora potest, ut corruptione cõstat seminis genitalis. id autem ipsum aduersum omnino est ad fortitudinem, atq; animositatem, quamuis genere sit idem.

Cur aliqua fructu uacent, cum florem habeant: ut cucumer, cucurbita, malus punica? An his fructus nõ deest: sed ipsa pro fructibus habentur, quibus flos insidet. Fructus enim id est, quod florem gerit. Cucumeri autem florem inhærere perspicuum est.

Cur eorum, quæ terra gignit, alia cocta, alia cruda, sunt cibo idonea? An quibus succus esculentus non protinus est, ijs decoctis dulcior redditur à calore. Quibus autem sapor uel protinus gratus consistit, hæc etiam cruda esitantur.

Cur alia elixa, alia assa melius edi possint? An quòd humidiora non eatenus humectari, sicciora non amplius exiccari oportet. elixa autẽ humidiora, molliora q; omnia

reddun

redduntur. quæ uero minus humida sunt, hæc igne confecta sicciora prorsus euadunt.

Cur alia esculẽta, alia inesculẽta experiamur? An cause succus est. Quod enim & ignis expers succum cõtinet immitem, & igne confectum nihilo minus redditur, hoc cibo ineptum penitus est. quod autem succo esculẽto quidem, sed uehementiusculo constat, hoc pro cõdimento recipimus. quod enim exiguo corpore uim magnã obtinet, id naturam condire potest ampliorum esculentorum.

Quam ob causam stirpium aliæ ad semen usq; uiuere tantummodo possint, deinde cũ semen tulerũt, exarescãt, ut genus herbæ, & quæ olera nominamus: aliæ nõ, sed sæpius fructificare solitæ sint. Ipsarum etiã uiuentium ad semen usq; ferendum, cũ magna pars annua sit, genus apij quod ab equo hipposelinum appellatũ est, quasi equapiũ dixeris, anno postero fructum affert: cumq; attulit, exarescit. cur ita? An omnia eatenus uigent ætate, quatenus semine quoq; ualeant. nam & homines ad annum trigesimum usq; proficiunt, aut copia, aut crassitudine. Vbi autẽ semen ferre nõ amplius possunt, modo stirpiũ obarescũt, atq; senescunt. quanquã alia ocyus, alia serius occidunt. idq; portione. sed quam ob causam alijs longum uitæ spatium, alijs breue datum est, porrò alterius interest disputationis declarare. sed cum omnibus finis, ac terminus sit perfectio seminis, quibus uita breui tempore continetur, hæc semel aut certè nõ sæpe. quæ autẽ esse longæua natura uoluit, hæc sæpe fructificare necesse est. Quã ob rem quæ imbecillima sunt, ferre non plus ualent, quàm semel: tum exarescant necesse est. ac eorum ipsorum alia anno

primo simul & semen reddere, & uitam explere naturæ ratio sancit: alia postero, ut equapium. Quæ uero prævalida surgunt, hæc annis plusculis post fructificare incipiunt, diuq; uitam agere possunt, fructificareq; sæpius, ut arbores.

Cur si quis apium radice tenus circumfodiat, partiq; imæ panicum undiq; ingerat, deinde terram accumulet, itaq; irriget, radices mira magnitudine adolescent? An quòd natura panici fungosa, & calida pabulũ attrahit, conceptumq; non sursum transmitti patitur: sed inter radicem contentum calore sibi indito concoquit, ut radicis ampliſsimum sequi incrementum necesse sit.

Cur si quis cucumeres, aut cucurbitas protinus paruulas cõdiderit in terrã, maiores multo efficiet? An quòd spiritus, & sol exiccando incrementum impediunt, molemq; tum minorem, tum crispiorem reddunt: quemadmodum & arbores, quæ loca uento, soliq; exposita tenẽt, quæq; in cauis manẽt, & riguis. alteræ enim magnæ, fungosæq; fiunt: alteræ paruæ, & spissæ. Ast uero inter terram occulta, quoniã contrà afficiantur, cõtrà euadãt, necesse est. Quin etiã quæ uasis includimus, ut cucumeres in ferulis cauis, aut tegulis, & mala punica, aut quæuis mala in ollis, ampla redduntur, & fungosa. contrà, quæ detecta sunt, parua, solidaq; augescunt, nullo ambiente operculo, quod alimoniam faciat largiorem. Id enim obiectum facit, ne pabulum aut euanescat, aut arescat.

Cur plantarum acrium semina acriora sunt, quàm radices, & folia? An quòd semine omnia oriuntur, inq; cæteras omnes partes ex eo ueluti fonte quodam, ut quidam aiunt,

aiunt, & sapores, & odores deriuari necesse est. nam etiam odores omnium unà cum seminibus esse suaues incipiunt. Quòd si acritudo cæteris ex semine proficisci solita est, semen ipsum maximè esse tale ratio exigit.

Cur tenues radiculæ acriores sunt? An quòd ampliores illæ spatio temporis longiori plenius concoctæ mitescũt.

Cur capparis locis prouenire cultis haud facile potest? multi nanque tentarunt & radice translata, & semine sparso, cum apud nonnullos commodior capparis sit, quàm rosa: sed tamen efficere nihil potuerunt. quid ergo causæ sit, ut cultis nesciat hospitari: inculta, & auia persequatur, & maxime sepulchris adhæreat? Igitur de hoc, cæterisq; generis eiusdem accepisse illud oportet, quòd non omnia eadem ex materia consistere solent, aut augeri: sed sunt, quæ ex aliorum corruptione, & principio consistant, & post augeantur. ut pedunculi, & pili corrupto alimento, aut qua labe alia corporis prodeunt. Ergo ut in corpore nonnulla excremento proueniunt alimenti, quod certè crudelitas est, & ubi naturæ uires superare non queunt, abscedunt quidem in uesicam, & aluum, quæ in promptu maxime sunt, aliqua uero animal producunt, itaq; in senectute, & morbis hæc augentur: sic in terra alia concocto alimento & consistunt, & augentur, alia excrementis, aduersaq; concretione oriũtur. Culturæ autẽ officij est, ut cõcoquat, reddatq; efficax alimentũ, quo genus mite, urbanumq; fructuũ cõsistit. Quæ igitur mitigatione, informationeq; huiuscemodi creantur, hæc urbani uocabulo significamus, eo quòd solertia hominis educata quasi eruditaq; meliora euadant. Quæ

autem cura adhibita miteſcere nequeũt, aut etiã aduerſo habitu loci ſui generis prodeũt, hæc ſyluestria ſunt, & ruſtica, cultisq; uiuere nolũt. cultus enim dũ ea melioribus inſtituere moribus cõtendit, deprauat, atq; peruertit, qp pe cũ à ſua natura deſciſcere nequeãt quæ orta ſunt ex corruptione, quo in genere capparis quoq; profectò eſt.

ῥαφανίδων radicularum.

Cur ſi quis radicularum fõlia tempore hiberno, cum maxime uigent, abſciderit, & terram pedibus complanarit, conculcaritq; ut imbrem nullum admittere poßit, radiculæ ipſæ per æſtatem amplitudine mira increſcent? An propterea quia ne corrumpantur, cauſa conculcandi ſoliditas eſt, quæ humorem putrefacere prohibet. alimẽtum uero, quod aliter ad germen ſurſum trãſmitteretur, radix ſibi ipſa totum diſpenſat, itaq; uel amplior fiat, ne ceſſe eſt: uel ſuo de látere radices alias mittat geminans modo ceparum, has enim multiplices effici nouimus, ſi quis annuas non euellat, ſed tẽpori hiberno relinquat. At cum uim iſtam procreandi, ut lateri ceparum natura dedit, ſic radicularum negarit, neceſſe profecto eſt, ipſas illas craſſeſcere nimiam ob copiam alimenti.

Cur ſi quis cucurbitas, aut cucumeres apud puteum ſitos in ipſum dimiſerit puteum tempeſtiuos, beneq; operuerit, uirides per annum totum ſeruabit? An quod uapor aquæ refrigerans efficit, ne aßiccentur, ſeruatq; uirides, & uegetiores. & obturatio illa, & ſpiritus, ſatis alere poſſunt, quæ iam in plenum creuerunt. permanendi uero facultas propterea datur, quòd relictis radicibus ſuppetit alimentum. nam ſi quis cum fructificarunt, detractis ſarmentis, præciſaq; planta ter-

ram

ram aggerarit, conculcaritq; circum radices, cucumeres faciet præcoquos, utpote, cum radix ualeat conseruari. Haud enim cucumer annuã sortitur naturã: sed uiuere ulterius potest. Ferent autẽ isti fructũ maturius, quàm qui semine prodierũt. quoniã radix bona pars scilicet operis præcondita iam naturæ habetur. quod illis seminatis prius cõfici necesse est. Terræ autẽ aggregatio, & cõstipatio teporẽ inducit, quo radix, & seruari, & germẽ mittere celerius queat. Vnde etiam fit, ut si quis per hiemẽ cucumeris semẽ in quallis situm aqua irriget tepida, & modo soli exponat, modo collocet apud ignẽ, præcoquos admodum cucumeres faciat, si tempore cõgruo ad ipsum cum quallis in terram demittet. ἐν ταλαρίσκοις, in quallis seu qualathulis.

Cur non meridie, sed mane noctu'ue irrigare consueuerunt? Vtrum ne solis feruor humorem absumat. An quòd, si aqua calida sit, necabit quæ irrigantur.

Cur omne odoratũ genus tam seminũ, quàm stirpiũ mouere urinam potest? An quia calidum est, concoctuq; facile. Cuius sanè generis sunt, quæ urinam ciere ualent. Calor nanq; interior cito extenuat, nec aliqua corpulentia odor continetur. Nam & ea quæ minime odorata sunt, ut allia, caloris sui ratione uim mouendi urinã habent, uel potius colliquandi. seminũ autẽ genus omne odoratũ, calidũ esse proculdubio nouimus. Odoris enim natura calore aliquo ommino creatur. At uero, quæ male olẽt, haudquaq; apta cõcoctioni sunt. Esse autẽ nõ calida solũ, sed etiã cõcoctu facilia debẽt, quæ sint prouocatura urinã. ut scilicet unà descendendo humores extenuent.

Cur ocyus olus excaulescat, quod semine uetustiori.

ut trimo, aut bimo prodierit, q̃ quod nouo? An q, ſicut in animantium genere ſemen celerius affert quod uiget: ita etiã ſeminũ, quæ uetuſta admodum ſunt, uim ſuã omnem exhalarũt. quæ recẽtiſſima, imbecilliora propterea ſunt, quòd excrementũ adhuc procreatoni minime conueniens continent: quæ media tempore, hæc humore inutili omni exacto, ualidiſſima eſſe probantur. celerius igtur ſemen profundunt. Id autẽ ipſum non niſi excauleſcere eſt, quippe cum ſemen ex caule proueniat.

Quã ob cauſam ruta inſita in ficũ, pulcherrima plurimaq; proueniat? inſeritur uero inter corticẽ, limoq; obducto fouetur. An q, rutæ radix fomentũ, teporemq; deſiderat. itaq; cinere quoq; circũdata iuuatur. ficus autẽ calida eſt. quod eius ſuccus omnium acerrimus docet, & fumus, quẽ multũ emittit. habet igitur calorẽ, atq; humorẽ talẽ, qualẽ etiã cinis. Quam ob rem ſi ille iuuare poſſit, ficus porrò copiam, ac uigorem eo magis præſtabit, quo humor cineris quidem non perpetuè affluit. fici uero irrequieto confluuio manat, utpote cum arboris ſuccus conſumi ex toto non poſſit.

Cur ſtirpium nonnulliæ caulem ſemper ædant inanem? An illis, quarũ natura imbecillior eſt, has rarũ, manẽq; emittere caulem neceſſe eſt.

Cur in terra Attica fructus cæteri dulciſſimi fiunt, thymum uero acerimum eſt, cum id etiã ipſum fructus quidã exiſtat? An quòd ager ille tenuis, ſiccuſq; eſt. quã ob rem non multũ humoris continent, quæ in eo naſcuntur. Ergo quæ dulcia ſua conſtant natura, hæc ob humoris contenti mediocritatẽ, ubi ſol partẽ conſumpſit maxi-

mam

mam, facile reliqua cõcoquuntur. Etenim multum concoqui negotium magnum est: mediocre expeditius confici potest. Vnde fit, ut fructus, qui lege suæ naturæ dulces creantur, dulciores euadant: qui sicci è natura, minimeq; dulces proueniunt, suam ob inopiam tantum humoris retinent, quantum suo conueniat generi, quod dulce nequaquam est. Sol autem quantum dulcissimum sit, & leuissimum, eximit. Itaque acerrimi relinquuntur, qui humore superuacuo carent, quem fructus cæteri obtinent.

Cur pulegiũ, & liriũ, & cepe, suspensa florent solstitij tẽpore? An inest crudũ in his alimentũ, quod ut hieme concoqui ex frigore nequit: sic solstitio ex calore concoquens auget. utrũ, quia influxu carent assiduo, breui marcescunt. Etenim quæ nullũ alẽdi initiũ, nullũ influxũ assiduũ habent, intereũt, exiccãturq;. Qua de causa accidit apud Scythas, ut frumentũ diu in terra maneat, propter copiam niuis, & ubi emerserit celeriter crescat.

Cur cepe unũ tam acriter mordere oculos potest? Vnde nomẽ quoq; à Græcis crõmyon impositũ putãt, perinde quasi pupillã cõprimi cogeret. origanus uero nihil huiuscemodi facit nec aliud quippiã ex cæteris quanq; acre. Neq; enim nasturciũ, quod mordacius est, oblatũ oculis efficit æque ut lachrymæ profluant. at cepe & cũ oculis admouetur & comeditur, lachrymas mouet. An q, acriũ genus discrimine euariat numeroso, quo sua cuiq; uis constitit, rataq; habetur. Nasturciũ ergo, quia calidius est, resiccare quod colliquauerit, amplius potest. Nã extrudere lachrymã cũ editur, potest. admotũ tamẽ ad oculos, nihil propterea mouet, quia nullũ mittit uaporẽ. est enim

id & ſiccius, & calidius. Origanis cæteraq; id genus calida ſunt leniter, & ſicca. quod lachrymas autē moueat, mordax id eſſe debet, & humidū & lentū. Quas ob res oleum quoq; lachrymā excutit, quāuis leniter mordeat. ſubiens enim, irreptansq; ſuā ob lentitiā, atq; tenuitatem dolorē mouet, ac proinde humorē tabificat. ac cepe uim eiuſmodi ſanè habet, ut quod & humore, & uapore ſit calido, tenui, & lēto. Itaq; oculis admodū, eo quòd uapor eiuſmodi eſt, humorq; tenuis cōmeat, lachrymas mouet. cumq; editur, itidē tranſmiſſa reſpiratione facere poteſt. Alliū calidū quidē eſt, & acre, & humoris aliquid continēs: ſed lentū nō eſt, itaq; lachrymā mouere nō poteſt.

Quā ob cauſam myrta colliſa in manu dulciora ſentimus, q̄ integra? An quēadmodū racemorū acini uindemiati dulciores ſunt, quàm nō uindemiati. Etenim muſto, quod natura ſuaue eſt, excerpti acini quaſi condiuntur. quippe qui uel extrinſecus muſtū reſudēt. at qui in racemo cohærēt, utiq; incōditiores cōſtāt. ergo myrta quoq; natura dulcia, intusq; ſuā dulcedinē acinorū in modū uuæ cōtinentia, ubi manu cōpreſſa, cōflictataq; ſunt, diffuſa inteſtina dulcedine, parte quoq; exteriore inopplentur. itaq; dulciora non immerito ſentiuntur.

Cur myrta enucleatiora ſunt, quæ minora, & palmulæ nucleo penè uacant, quæ minutæ adoleuerūt, & uuarū acini, qui paſſim conſtiterunt exigui, uinacea uel nulla cōtinent, uel pauciora minoraq;? An quia minus perfecta ſunt, quæ minora. idcirco ſemen continent indiſcretū, cui perinde ut fini, nucleus deputatus eſt. quā ob rē & minora ſunt, utpote ſurculi quidē agnati exteriores, partusq; imperfē

imperfecti: & minus dulcia, quàm quæ iustum continent nucleum. Sunt enim minus concocta. Concoctio autem non nisi perfectio est.

Quā ob causam fructuū alij partē radici proximam habent amariorē, ut cucumeres: alij postremam superiorem, ut glandes? An quòd alijs pars ista radici proxima crudo uescitur alimento, quoniā esse confluuiū per radicē frequentat: alijs quia sicci è natura sunt, postrema pars succo dulci cōcoctoq; inde absumpto, iam plenius siccatur, amarescitq; modo salis. Redditur enim unumquodq; amarū, cum amplius exiccatur, ut oliuæ, ut glandes inueteratæ efficiuntur amaræ.

Cur aliqua germinare non terra contenta, sed abscisa, aut euulsa, uel recondita possint, ut caules liliorum, ut allia, ut cepæ? An quòd omnes alimentum intra se continent, nec certo, definitoq; loco omnes oriuntur. Crescere autem unumquodque potest non eo, quòd in se continet alimentum, sed quòd decoctum iam & digestum illud pabulum est. continent igitur uel antehac alimentum: sed augeri tum duntaxat incipiunt, cum tempus ad id adest, cuius opera res illa effici potest. uelut etiam oua crocodillorum tempus tute operiri sibi commodum nouimus. incrementum tamen continuari non licet, quoniam aliud non suppetat alimentum.

Cur allia & cepæ quo sicciora serantur, eo meliora possint euadere. cætera autem deteriora? An quòd omnia istiusmodi maxime plena humoris cōficiūtur. itaq; terræ cōmissa sicciora tēperamento commodo germinare incipient. Adde quòd minus putrent, cum sicciora seruntur.

Cur allia & cepæ solæ ex plantis reconditæ germinare possint? An quòd humore alimentoq; sunt refertæ. Copia igitur alimẽti est quæ germen efficere queat. Idq; constat argumento tum squillarum, tum etiam bulborum, qui idem facere possunt. Crescere autem quodque solet cum tempus uenerit.

Quã ob causam quæ aqua frigida irrigamus, dulciora, quàm quæ tepida, euadant? An quòd sic intercluſum calidum salsius est, ut calidius, quod salsius. dulce autem ita contrarium, ut frigidum est. & alimento oleribus humor est unde saporum genera oriuntur.

Cur allia, cum excaulescunt, plenius, quàm recens ædita olent? An quòd recentia humoris multum adhuc extranei continent, quo fit, ut uim suam integram habere nequeant. Cum autem decocta iam sunt, secreto humore illo inutili, tum suum odorem sincerè adipiscuntur, qui scilicet acer est. Quinetiam cæteri nuper æditi fructus dilutiores sunt: & cepas recentiores ob eam causam minus acres sentimus.

Cur fructus myrtorum non conditarum magis, quàm fõlia defluant: conditarum autem, reseruatarumq; alga, ut fit, fõlia defluant, fructus adhæreant? An ita euenit non cõditis, quoniã natura sancitũ est, ut fructus peracta decoctione flaccescant, ac decidant. quæ quidem decoctio repositis agi non potest: sed ea tenus tantum efficitur, ut algæ uapor prohibeat, ne humor fructus immutetur. fõlia contrà, cum siccent, decidunt. Algæ autem, ut salsa exiccãdi uim habẽt. Ergo non idem fõlijs accidit arbori adhærentibus, & conditis, modo quo dictum est.

Quam

Quam ob causam cucumeres cognomento pepones, optimi palustribus planis, id est, humidis fieri soleant ut apud Orchomenũ, & in Aegypto? Aquarum etenim uberem terram esse Aegyptum putamus. Cur ergo cucumeres qui humidi sunt, & ob id hortenses, ac rigui minime laudati locis palustribus, quæ madida sunt egregie fiant? Vtrum quòd ob terræ duritiam altius cogun-tur descendere. Solum nanque limosum, ac planum maxime indurescit. Qui autem altius innituntur, meliores euadunt. An quòd terram siccam esse oportet, quoniam cucumeres natura humidi sunt. ita enim sequetur, ut per retractum in medium ueniant. Palustris uero si plana, altaq; sit, alimentum nec exiguum præbet propter soli altitudinem, locumq; ipsum, neque nimium, quoniam solum resiccari necesse est.

ἔνια τῶν μύρων nonnulla pigmenta siue unguẽta.

Quam ob causam ruta & nonnulla pigmenta odora sudorum faciant fœditatem? An quorum in odore gra-uitas est, atque acritudo, ea cum excrementitijs mista humoribus deprauare odores possunt.

Qua de causa rutam, fascinationis remedium esse aiunt? An propterea, quia tum effascinari se credunt, cum aut uoraciter edunt, aut incõmoditatum aliquarum tenentur suspicione, aut cibum habent suspectum, quem capiunt. itaque cum de mensa eadem quid priuate sibi assumunt, participem intuẽtem quempiam faciunt, affan-turq; cum impertiant, ne me fascines. ergo cibum cum perturbatione sument, nec quid bibent, aut edent sine turbatione, & flatu, qui unà hauriatur, & ingeratur. Quam ob rem flatu ipso, uel cum extrudendus effertur,

βασκανίας fascinationis.

cibus quoque unà elatus eijcitur: uel cum intercluſus per humorẽ tenetur, tormina mouẽtur, & cruciatus. Igitur ruta præeſitata, ui ſua & potestate calfactoria, uas quod recipit cibos, elaxat: & reliquum corpus itidem afficit. ex quo fit, ut flatus ille intercluſus tranſmitti, atque ſece dere poſſit.

Quænam cauſa ſit, ut origanus muſto iniecta uinum dulce efficiat? duas in amphoram iniecisſe heminas ſatis eſt. An quod tollit quantum in muſto eſt, aquabundum & fæculentum ſua ſiccitate in ſe ipſa recipiens, quibus ſcilicet ſaporem confici auſterum cenſemus. argumento, quòd uina ſi quid aquæ habeant ſibi illatum, minus mollia redduntur, atque & ſi diutius ſtare in fæce ſinantur, itidem fiet. & cum uinum dulce molimur, uuas multum temporis ſoli exponimus, ut ſol quantum ſit dilutum, auferat, & reliquum decoquat. hoc autem idem facere uel origanus poteſt, quippe quæ ſit & ſicca, & calida.

Cur nigræ myrti fronde ſunt frequentiore, quàm albæ? An quòd nigræ generis ſunt ſyluestrioris. cuius indicium, quòd locis ruſticis iſtæ proueniunt, minimeq; ex cultu mutantur. humida autem omnia fronde crebriore conduntur. Quòd enim minus ſuos fructus decoquere poſſunt, idcirco ad frondem alimentum ſe uertit.

FINIS.

FRANCISCVS FRELLAEVS LECTORI S. D.

BONI Typographi officium est, Lector, in cudendis uoluminibus non tam lucri sui rationem habere, quàm communi studiosorum utilitati sic prospicere, ut ea potissimum ex ipsius officina prodeant, quæ ingenium & eruditionem resipiant. In hanc nos rem hactenus quantum labore & industria conniti potuimus, studiosè operam dedimus, dabimusq; profectò quandiu hoc munere fungemur. Hinc est, quòd quoties eruditum aliquid affertur, uix, mihi crede, exprimere possum quantopere gaudeam, gratulerq; nostræ ætati, in quà tam feliciter bonæ artes omnes renascuntur & uelut postliminio redeunt. Atqui hæc uoluptas ad te, Lector, studiososq; omnes peculiariter pertinet. Etenim si non modò agricolas, sed & omnes quoq; homines quos communis hæc uita continet, agrorum delectat fertilitas, quæ ad corpus hoc tuendum natura est comparata, quanto gaudio par est literarum cultores affici, quoties prodeunt huiusmodi ingeniorum fœturæ, quæ naturæ arcanis aperiendis, ac salubribus philosophiæ præceptis tra-

dendis, suauissimum animo pabulum suppeditare solent? Superioribus itaq; proximis diebus Roma huc ad nos allatus est ANTONII MVSAE de Simplicibus pharmacis liber, & is quidem eruditorũ iudicio admodum eruditus. Hunc nos uigilanter castigatum, additis etiam marginalibus annotationibus, in uulgus damus. Ex eo tu ubi fructum ceperis, scito te magna ex parte eum acceptum referre debere uiro docto et celebri BENEDICTO CVRTIO SYMPHORIANO, qui, quibus est humanitate & literis, in iuuandis ingenijs ac in re literaria amplianda multo est diligentissimus: is enim pro solita sua liberalitate, libri huius mihi copiam fecit. Hic igitur ANTONIVS MVSA accuratè admodum, candide Lector, tibi legendus est, ne alijs utilitatem tuam studiosè procurantibus, tu tibi defuisse, & quæ in rem tuam sunt, neglexisse uideare. Vale.

Index copiosissi

MVS IN EXAMEN OMNIVM

Simplicium quæ in hoc libro continentur.

A

Abrotanum 102
Absinthium 50
Acanthus 144
Acatia 346
Acetosa 182
Acetum 332
Acorus 256
Adiantum 121
Aeris ærugo 420
Aetites 443
Agallochon 322
Agaricus 286
Agnus castus 192
Agrimonium 89.122
Albucus 289
Alcyonium 526
Alkakengi 83
Aloë 353
Aloës lignum 322
Althæa 71
Alumen 459
Alumen catinæ 460
Alumen plumæ 462
Alumen rochæ 463
Alumen rotundum 464
Alumen scissile 462
Alumen scaiolæ 464
Alumen zucharinum 462
Ambarum, siue Ambracam 397
Ambubeia 47
Ammi 167
Ammoniacum 372
Amomum 136.156
Ampelopraſon 96
Amphibium 506
Amygdala 201
Anacardus 231
Anagyris 136
Androsace in quibus differat à cuscuta 63
Anemone 38

Anemones ſpecies duæ 38
Anethum 198
Anguria 152
Aniſum 177
Antale & dentale 495
Anthera 23
Anthos flores 31
Anthrax 448
Antimonium 443
Antiſpodium 292
Apium 179
Argentum 419
Argentum ſublimatũ 430
Argentum uiuum 421
Argenti uiui quatuor genera 422
Argenti uiui uis maxima ibidem
Ariſtolochia 245
Arnabo 271
Arnagloſſum 70
Aron 252
Arſenicum 465
Arſinagal 389
Artemiſia 111
Arthanita 54
Aſarum 96
Aſcyron 99
Aſparagus 181
Aſpalathus 325
Aſphaltus 452
Aſphodelus 288
Aſplenon 48.114
Aſprella 79
Aſſa fœtida 399
Aſtragalus 296
Atramentũ ſcriptoriũ 471
Atra.calcographorũ 472
Atriplex 175
Auellana 200
Auis lingua 195
Aurũm obrizum 418

B

Baccharis 96
Balauſtium 42
Ballæ marinæ 524
Ballote 94
Balſami cortex 204
Bardana 119
Bdellium 404
Been 300
Ben ibidem
Ben album 301
Ben rubrum ibid.
Berberion 435
Berberis 187
Beta 84
Betonica 85

Bistorta 295
Blattæ bizantiæ 426
Bolus Armenus 474
Borago 29
Borax 481
Branca ursina 144
Braßica marina 101
Britanica 296
Bruscus 241
Bucheidem 282
Bugloßa 28
Burßa pastoris 128

C

CAchille 101
CCalamentum 52
Calamintha 51
Calamus odoratus 257
Calcecumenon 419
Cali 461
Calyx 22
Camphora 363
Canchamum 407
Canella 307
Canis lingua 29.299
Cannabis 163
Capillamenta 23
Capillus Veneris 120
Capparis 315
Capparis Arabicus 316
Caprifolium 114
Caput 23
Cardamomum 169
Cardamomi tria semĩa 170
Carduus 125
Carduus benedictus 126
Carica 210. & seq.
Carlina 297
Carpesium 242
Carpobalsamum 201
Caruus 172
Caßia fistula 224
Caßia lignea ibid.
Caßia syrinx ibid.
Castanea 313. & seq.
Catanance 295
Cataputia 194
Cauda equina 79
Caulis 82
Cedrium 409
Cedria ibidem
Cedrus 231
Centaurium maius 9
Centaurium minus 106
Centonicum 102
Centunculus ibid.
Cepa 176
Cera 351
Ceruina lingua 144

Ceruinæ linguæ duæ 145
Ceruſſa 423
Chamædrys 76
Chamæleon 298
Chamæmalon 14
Chamæmali ſpecies tres 15
Chamæpitys & 81
Chelidonium 86
Chelidonium minus 87
Cheiri 43
Chryſanthemum 15
Chryſocolla 482
Cichoreum 46
Cicuta 164
Cima 77
Cinnabaris 362.432
Cinnamomi cortex 305
Cinnamomum moſylicum 307
Cirſion 29
Ciſthos 347
Citharac 49
Citrach 116
Citrum 231
Colla piſcis & gluten 412
Coloquintida 229
Conſolida 249
Copulæ glandium 491
Corallina 301
Corallium 304.436
Coriandrum 162
Cortex 22
Coſtus 238
Cotonea 216
Cotyledon 110
Crinon 35
Croci flores 39
Cryſtallus 441
Cubebe 226
Cucumis 152
Cucumis pepo ibid.
Cucumis citrinus ibid.
Cucumis anguinus 349
Cucurbita 152
Curcuma 261
Cuſcuta 62
Cyclaminus 54.243
Cymbalaria 110
Cyminum 177
Cynogloſſon 29
Cyperus 266

D

Dactylus 214
Daphnitis 116
Daucus 173.189
Delphinium 67
Diacoralli trociſci 137
Dictamnus 280

Dinærella 110
Doronicum 299
Dracunculus 252
Dragagantum 384

E

ELaterium 349
Electrum 397
Elleborus 285
Empetron 66
Endiuia 46
Ephemerum 277
Epithymus 56
Equiſetum 79
Eranthemum 15
Eruca 165
Eruum 169
Eryngium 274
Eſula 263
Eupatorium 89.250
Euphorbium 369
Euphragia 134

F

FEl terræ 106
Fœniculus 82.181
Fœnugræcum 160
Flos 22
Folia 24
Folium Indum 146
Frumentum 161
Fuligo quid 524
Fumus terræ 64

G

GAlanga 256
Galbanum 403
Galga 100
Garyophyllata 132
Garyophyllus 205
Garyophylli fŏlia 147
Gattara 51
Genicularis 298
Geniſta 183.304
Gentiana 246
Gethis 135
Geum ibid.
Giarca 100
Githone 175
Glans unguentaria 300
Gluten taurinum 413
Glycyrrhiza 246
Granata 448
Gramen 73. & ſeq.
Guaiacum 326
Gummi Arabicum 382
Gummi cedri 408
Gummi charabe 392
Gummi elemi 385
Gummi hederæ 387
Gummi iuniperi 391

Gummi pini 399
Gypsum 485

H

HAlicacabus 83
Hastula regia 289
Hedera arborea 143
Helxine 139
Hepatica 104
Herba saliuaris 270
Herba uenti 110
Hermodactylus 277
Hierabotane 88
Hyacinthus 447
Hydropiper 137
Hyoscyami semen 150
Hypericon 98
Hypocisthis 347
Hyssopus 92

I

IMperatoria 304
Intubus 47
Inula 253
Inuolucrum maius 113
Ion 17
Iouis glans 314
Iris 247
Iris Illyrica ibid.
Iua 81
Iuiuba 212
Iuncus odoratus 110
Iuncus rotundus ibidem
Iuniperus 104.210

L

LAbrum Veneris 125
Labruscæ flores 40
Ladanum 348
Lagopum 132
Lana 23
Lapatium syluestre 133. & sequent.
Lapis aquilæ 442
Lapis Armenus 439
Lapis hæmatites ibid.
Lapis Iudaicus ibid.
Lapis lazuli 428
Lapis stellatus 427
Lappa 199
Laser 399
Laureola 77
Laurus 75
Lens 166
Leucoion 17
Libanotis 32
Libanus 317
Lichen 105
Lignum sanctum 327
Ligusticum 180
Lilium 35

Lingua passa 212
Linum 159
Lithargyrum 424
Lonchitis 359
Lupinum 163
Lupulus 125
Lupus salictarius 126
Lychnitis 37
Lycium 358
Lyncurium 440

M

Macer 319
Macis ibid.
Magnes 441
Maiorana 52
Malabathrum 147
Mala granata 218
Mali punici flores 42
Malua siue maluauiscus 71
Mandragora 310
Manna 334
Mannæ tria genera 335
Mãna apud Hebræos quid significet 341
Marchasita 425
Marella 111
Matersylua 113
Matricaria 111
Marrubium 93
Marrubium nigrum ibid.
Marrubij species duæ 94
Meconium 352
Medulla agni 504
Medulla è cruribus sumenda ibid.
Medulla spinalis ibid.
Mel 333
Mel apum 346
Mel roris ibid.
Mel cannæ ibid.
Melilotus 35
Memith 263
Menta 50
Mentastrum 51
Mercurialis 85
Mespilum 165
Meum 240
Mezereon 116
Milium solis 184
Millefolium 135
Minium 431
Minij gleba 479
Mirasole 186
Morion 311
Mumia 454
Muscus 105
Muscus marinus 301
Myosotis 140

Myrobalanus 221
Myrrha 366
Myrſinite 267
Myrtidanum 78
Myrtillus 210
Myrtus 78

N

Nardus 123
Nardus mõtana ibi.
Naſturtium 101.158
Nenufar 27
Nepeta 51
Neueda ibid.
Nigella nigra 174
Nil 295
Nix ibib.
Nux cupreſſi 219
Nux methel ibid.
Nux moſchata 223
Nux uomica 219
Nux Indica 231
Nymphæa 28

O

Oenanthe 41
Oleum abſinthium & chamæmalinũ 517
Oleum amaracinum 518
Oleum amygdalarum amarum 508
Oleum anethinum & rutaceum 517
Oleum balaninum 510
Oleum balſaminum 521
Oleum coſtinum 522
Oleũ de capparibus ibid.
Oleum de caſtoreo ibid.
Oleum de cheiri 518
Oleum de citonijs 521
Oleum de cochijs 518
Oleũ de euphorbio 522
Oleum de hypericon 520
Oleum de lumbricis terreſtribus 522
Oleum de maſtice 521
Oleum de menta & de maiorana 518
Oleum de papauere 519
Oleum de piperibus 521
Oleũ de ſcorpionibus ibid.
Oleum de ſpica 511
Oleũ de ſpica nardi 521
Oleum ex nucibus 509
Oleum glandis 510
Oleum irinum 519
Oleum iuniperinum 513
Oleum lacertarum 522
Oleum laurinum 510
Oleũ liliorum alborũ 517

Oleum montis zilij 458
Oleum myrtinum 512.522
Oleum nardinum ex lauan dula 511
Oleum nenufarinum 518
Oleum persicorũ & chry= somalorum 509
Oleum rosatum 516
Oleum sambucinum 518
Oleum sesaminum 512
Oleum tartari & sulphu= ris 513
Oleum terebinthinum 514
Oleum uitrioli 513
Oleum uiolatum 516
Oleum uulpinum 521
Oliua 213
Olus atrum 178
Opium 352
Opoponax 371
Opobalsamum 202
Opobalsami boni notæ 203
Opobalsami boni liquor in quib. deprehẽdatur ibid.
Opobalsami ueri colores 204
Ordeum 161
Orchis 282
Origanus 33
Origanus heracleotica ibi.
Origanus sylucstris 34
Orobus 168
Os dactylorum 414
Os de cornu cerui 415
Os de corde cerui ibid.
Othonna 263
Oxyacantha 187
Ozimũ garyophyllatũ 117

P

PAeonia 192
Panis porcinus 54
Papauer rubrum 37
Papauer album 154
Papauer nigrum 155
Parietaria 139
Parthenium 141.112
Pastoris uirga 124
Pentaphyllon 114
Peplion 67
Perdicium 142
Perforata 98
Perla 435
Persicaria 137
Pes columbinus 135
Petroleum 457
Petroselinum 177
Peucedanum 255
Phyllitis 49. & seq.

Pimpinella 108
Pinea 200
Pinguedines gallinæ, anatis & anseris 498
Pinguedo castrati 501
Pinguedo equi 500
Pinguedo hirci 501
Pinguedo hominis ibid.
Pinguedo leonina 503
Pinguedo serpentis & seq. 502
Pinguedo ursi & cerui 500
Piper 206
Piper Hispanum 138
Piper ex Calechut ibid.
Pira 217
Pissasphaltum 455
Pistacea 230
Pix 375.409
Pix Hispana 376
Plantago 70
Polemonium 99
Polium 124
Polygonatum 298
Polypodium 258
Poma 215
Pompholyx 294
Portulaca 73.153
Portulaca sylvestris 72
Primula Veris 145
Propolis 351
Pruna 208
Psoricum 469
Psyllium 191
Pulegium 54
Pulmo vulpis 505
Pyrethron 270
Pyrites 425

R

RApa 189
Raphanus 314
Raphanellus sylvestris ibi.
Rapum terræ 54
Rasura eboris 491
Resina oleagina 377
Resina terebinthina 378
Resina regia 382
Rha 7
Rhabarbarum 8
Rhabarbari dosis 236
Rhamnus sylvestris 360
Raphanitis 248
Rhaponticum 4
Rhecoma 9
Rheon 7
Rhizotomos 249
Rhus obsoniorum 210.347
Rhus sutorium ibid.

Risagalum 389
Rosæ 20
Rosarum tria genera 21
Rosæ damascenæ ibid.
Rosarum distinctio ibid.
Rosa Hierosolymitana 156
Rosa Iunonis 35
Rosmarinus 32
Rubia tinctorum 254
Rubia satiua ibid.
Rubinus 448
Rumex 137
Ruscus 241
Ruta capraria 99
Ruta hortensis ibid.
Ruta syluestris 98

S

SAbina 103
Saccharum 341
Saccharum candum ibid.
Sagapenum 370
Sal 486
Sal Ammoniacus 487
Sal alcali 460.489
Sal gemmæ 486
Sal Indus 342.487
Sal naphthicus 489
Sal nitrum 488
Sal sodominus 489
Salix 75
Salix equinalis 79
Saluia 37
Sambucus 39
Sanamunda 133
Sandalus 325
Sandaracha 387
Sanguis draconis 360
Sanicula 116
Sarcocolla 373
Sapphirus 445
Sardonix 449
Satyrion 282
Saxifraga 290
Scabiosa 129
Scammonium 356
Scandix 315
Scariola 153
Sceuola 79
Sclarea 97
Scolopendra 48
Scordion 95
Scoria 420
Scorodon 95
Scorodoprason ibid.
Scylla 333
Sebestem 228
Semen 23
Sementina 197
Semperuiuum 72
Semperuiuum maius ibid.

Semperuiuum minus ibid.
Sena 65
Sentis 78
Serpentaria 251
Serpyllum 69
Sertula campana 36
Sigillũ ſanctæ Mariæ 298
Siler montanum 183
Sinapis 157
Siſymbrium 143
Smaragdus 446
Solatrum 80
Solatri duo genera ibid.
Soldanella 100
Sorba 218
Sphacelus 37
Spica 123
Spina Aegyptia 346
Spina Syria ibid.
Spodium 292
Spongiarũ apud antiquos tria genera 525
Spuma maris 526
Squinantum 109. & ſeq.
Stacte 367
Staphiſagria 193
Stichas 31
Stœbe 130
Styrax 374
Styrax liquida 368
Sulphur 454
Sumachia 209
Symphytum petræũ 91.250

T

TAlchum 483
Tamar Indus 223
Tamariſcus 75
Tamarix 326
Taprobana 323
Tartarum 495
Taſſus barbaſſus 37
Tegname 492
Tellinæ 497
Teſticuli caſtoris 505
Teſtudinum ſummaria conſideratio 523
Teucrium 109
Thapſia 259
Thlaſpi 128
Thryallis 37.108
Thus 317
Thuris manna 318
Thuris pollen ibid.
Thuris fuligo ibid.
Thymbra 127
Thymus 55
Thymi ſpecies duæ 56
Thymus niger à medicis improbatur 59
Tormentilla 115.289

INDEX.

Tragacantha 384
Trixago palustris 95
Tricomanes 121
Tuber terræ 54
Turbit 267
Tußilago 120
Tutia 294.490

V

VAleriana 239
Veratrũ album 285
Veratrum nigrum 286
Verbenaca 87
Verbenacæ ſpecies duæ 88
Verzinum 326
Vincitoxicum 128
Vinum 332
Vinum omphacium ibid.
Violæ 17
Violarum nomina apud Græcos ibidem
Viſcum 409
Viſcum quernum 411
Viſcum Romanum 409
Vitis ſyluestris 41
Vitis alba 283
Vitis nigra 284
Vitriolum 465
Vmbilicus terræ 54
Vmbilicus Veneris 110
Vmbilicus marinus 497
Vnguis 24
Vniones 435
Vrceolaris herba 141
Vrtica 73.159
Vſne 105
Vua taminia 193
Vuæ paſſæ 211

X

XAmin 174
Xiris 256
Xylobalſamũ quibus notis deprehendatur 204

Z

ZEdoaria 271
Zeg 466.469
Zeneſtræ flores 40
Zeneſtræ uirgæ ibidem
Zinziber 238
Zizipha ædeſina 213
Zurumbet 271

FINIS.

LVGDVNI,

Excudebat Ioannes Barbous, aliàs Le Normand,

ANNO M. D. XXXVII.